CIRCVLVS HOROLOGI LVNARIS ET SOLARIS,

Hoc eſt,

BREVISSIMA SYNOPSIS, HISTORICA, TYPICA ET MYSTICA; VARIIS FIGVRIS & emblematis illuſtrata:

Repræſentans

Ex Vetere & Nouo Teſtamento

Continuam ſeriem præcipuarum Eccleſiæ & Mundi mutationum; ceu horarum quarundam, præteritarum, præſentium & ſecuturarum vſque ad mundi conſummationem:

AVTHORE

WENCESLAO BVDOWEZ, BARONE à BVDOWA,
Monachogrecl & Zaſadecl Domino, Sac. Cæſar. Maieſt. Conſiliario.

Tractatus & eius auctariorum diſpoſitio; cauſa quoque, cur in lucem prodeat; ex ſequenti præfatione cognoſcetur.



HANOVIÆ,
Typis Wechelianis, apud hæredes IOAN. AVBRII.

ANNO M. DC. XVI.

BERNHARDVS.

Sunt, qui scire volunt, eo fine vt sciant, & turpis curiositas est. Et sunt, qui scire volunt, vt scientiam suam vendant, & turpis quæstus est. Et sunt qui scire volunt, vt sciantur ipsi, & turpis vanitas est. Sed sunt quoq;, qui scire volunt, vt ædificent, & caritas est. Et sunt qui scire volunt, vt ædificentur, & prudentia est.



PRÆFATIO AD LECTOREM.

SALVE benigne, candide atque pie lector. Ad te enim talem, non ad Zoilum peruersum scribo. Nunquam mihi propositum fuit, edere libros: cum DEI beneficio hoc nostrum seculum fertilissimum sit scriptis in omni genere doctrinę magnorum virorum: & mihi homini politico & publicis negociis occupato, memoriaque jam in senio meo deficiente, vix commodum erat reuidere & augere, quæ scripsi antea. Quæ autem causa me ad edendam hanc meditatiunculam meam impulerit, & quasi inuitum adegerit & pertraxerit; paucis percipe. Vnicum meum consilium hoc erat: vt egressuro filio meo Adamo è scholis, & profecturo, ante aliquot annos, ad altiora in Academiis Christianis studia, ei aliquod breue præcipuarum mundi & ecclesiæ mutationum compendium concinnarem; & quidem tale: quod cum ad docendum eum, tum ad adumbranda atque præfiguranda ea, quæ doceo, inseruirent. Quare & picturis ad id vsus sum.

Consilium conscri, t. operis.

Primo autem curaui pingendum circulum generalem operum DEI, vti vides: deinde mutationes sub veteri testamento delineaui ei per Horologium Lunare, durante velamine Moysaico, quod lucerna prophetica ex parte detegere & illuminare cœperat. Verum exorto postea Sole illo justitiæ CHRISTO, demonstraui: Lunaris quidem Horologii horas elapsas: verum velamen faciei Moysis & lucernam propheticam nondum sublata esse: sed per CHRISTVM Solem iustitiæ & clariora & chariora ad nos illuminandos iuxta, & in fide Christiana vere & firmiter fundandos & confirmandos, nobis facta esse: vt in lumine

Dispositio libri, & cur figura ei adiecta.

Horologium Lunare & Solare.

Psal.36.v.10. DEI, teste Dauide, lumen DEI magis conspicue iam videre queamus. Quo in argumento, vtroque videlic. Horologio, historico typico & mystico, me non parum iuuit chronologia & index chronologicus magni & rari chronologi Abrahami Bucholceri: mentione insuper facta futurarum horarum, id est mundi & ecclesiæ, vsque ad vltimum aduentum CHRISTI, mutationum: quæ certo ex veracissimis & immobilibus verbi DEI prædictionibus subsecuturæ sunt. Adiunxi quoque speculum veteris & noui testamenti: quomodo nimirum in vtroq; vera & degener ecclesia à Moyse, Prophetis, CHRISTO & Apostolis nobis omnibus ob oculos posita fuerit. Quod si cui in hoc speculo faciei suæ siue rugæ siue maculæ deteguntur: ne speculo irascatur, aut mihi speculum exhibenti: sed potius & speculum & me magis amet: quod turpitudinem faciei suæ videre, seseque ad imaginem CHRISTI conformare queat. Addidi & prædictiones in veteri & nouo testamento prolatas. Exhibui tabellam prædictionum ex Moyse & Prophetis de CHRISTO: qua apparet non ouum ouo similius esse posse: quam CHRISTO Saluatori picturam Agni illius immaculati & ante iacta mundi fundamenta, teste S. Petro, ad mactandum destinati; à Moyse & Prophetis viuis coloribus depicti. Nimirum in CHRISTO Theanthropo id apparuit: in quo omnia impleta sunt, quæ de Messia redempturo genus humanum, prædicta fuere. Exempli gratia, qui neque agnum viuum neque lupum vnquam vidisset, nisi pictura repræsentatum: is certe, conspecto vtroque viuo, subito ex prius conspecta pictura agnosceret; qui agnus, qui lupus esset, pateretq; hoc etiam pueris. Sic ex imaginibus sacræ scripturæ, de dignoscendo CHRISTO ab Anti-christo, vtroque in scriptura sacra depicto, iudicium esto: apparebitque, multa in Mahomete conspecta, quæ de Anti-christo prædicta fuere. Hoc facto proposui filio meo tabellã quoq; Harmoniæ veteris & noui testamenti, adiuncta pictura, ad delineanda manifestius per picturas ea, quæ trado: quibus picturis, me quoq; delectatum fuisse quid diffitear?

Speculum veteris & noui testamenti.

Speculo non irascendum, sed maculis faciei.

Tabella CHRISTI & Anti-christi in scriptura sacra prædicti.

1 Pet. 1. vers. 19. 20.

Harmonia veteris & noui testamenti.

In sum-

In ſumma, vnicum hoc meum propoſitũ fuit: vt filium meum in agnita Euangelii veritate, ex iſta pulcherrima & dulciſſima Spiritus ſancti Harmonia, quæ in vtroque teſtamento veteri & nouo cernitur: & in nobis, credentibus ei, arrhabone eius obſignatur, ſolo DEI verbo fundarem & confirmarem: vt fides noſtra non ex hominum auctoritate, ſed ex immota DEI veritate, in verbo eius patefacta, dependeret; vtque is legendo & conferendo ſcripturas cum ſcripturis, vti induſtrii Beroënſes fecere, progreſſus faceret de die in diem maiores; in diſcendis ſacris literis: quæ eum ſapientem in CHRISTO reddere ad vitam æternam poſſent. Ita cum has mutationes mundi & eccleſiæ, ſcriptaque Moyſis, prophetarum & apoſtolorum, veluti in quandam ſynopſin ei redegiſſem: eumque deduxiſſem ad cognoſcenda fundamenta immotæ DEI veritatis: iudicaui non inutile futurum; ſi eidem organa illa Satanæ, quibus abdicatus eccleſiæ hoſtis verbum DEI terra cœloque firmius, non modo deprauare, ſed, ſi fieri poſſet, ex ipſa rerum natura tollere nititur, mature agnoſcenda, conſpicienda, & verbo DEI confutanda demonſtrarem. Quare ex Bohemico meo Anti alkorano, quem popularibus meis lingua vernacula prolixius conſcripſi & iam Pragæ typis edidi, extraxi breuem epitomen blaſphemiarum, quæ in Alkorano Turcico extant; & nonnulla etiam de ritibus & ceremoniis atque moribus eorum breuiter attigi: cum horum omnium Conſtantinopoli cum Oratore Cæſareo pene per quadriennium αὐτόπτης teſtis fuerim. Addidi & colloquia mea ibidem habita cum apoſtatis illis, qui chriſtianam fidem abnegantes, Mahometiſmum profitentur: & quibus illi argumentis inſtabiles inter chriſtianos animas, & in verbo DEI non fundatas, aggrediuntur: primo verbum DEI veteris & noui teſtamenti, deinde certitudinem ſalutis & vitæ æternæ in dubium vocantes: & ſuas blaſphemias, vnanimi in errore & externis cæremoniis conſenſu atque multitudine potioris partis mundi (quæ veteri & nouo teſtamento reiecto fabulas Alkorani ſuſcepit) tuentes. Ad-

Vera fides & ſpes in ſolo verbo DEI acquiеſcunt.

Act. 17. 11

2. Tim. 3. v. 15

Hoſtes eccleſiæ detegendi.

Anti-alkoranus Bohemice conſcriptus.

De apoſtatis ad Turcas prolabentib.

do &, quomodo ego DEI gratia non modo verbo DEI, sed etiam ipsa sana ratione, eosdem apostatas confuderim: adeo vt tandem fateri coacti sint: se nullas æque absurdas fabulas, atque in ALKORANO, vidisse. Verum aiebant, christianos quoque sequi fabulas: & religiones omnes politici ordinis causa institutas esse.

Apostatæ descriptio. Hinc demonstraui filio meo, quibus gradibus & argumentis ad apostasiam ire, progressus facere, ad eam pertingere, & quo fine soleant: vt illud sit certissimum axioma: omnem apostatam ab euangelio CHRISTI recedentem, quicquid simulet, dissimulet, etiam cum Baalitis corpus suum cultris compungat (quod & inter Turcas vsitatum est) quantumuis externam pietatem, & in religione sua noua euangelio CHRISTI contraria, zelum & ardorem præ se ferat (qua hypocrisi externa Turcæ omnes gentes superare videntur) tamen esse Sadducæum, Epicureum & atheistam: cui nihil cæleste sapiat, sed tantum terrestria: ad quæ consequenda eum cætum sequitur: vbi carni luxuriosa magis licentia conceditur; carnalesque homines à carnalibus altius euehuntur. *Apostatas mundus promouet.* Atque id certe in Turcia videre licet: neminem magis promoueri ad dignitates, quam apostatas: veluti meo tempore præcipua pars imperii Turcici ab illis, in summo dignitatum fastigio constitutis, regebatur.

Cur de apostatis agatur Hæc ideo consignaui lubentius: siquidem nostri homines quotannis pene Constantinpolim cum legato Cæsaris mittuntur: vt norint obuiam ire apostatis illis, qui plerumque primi ibi christianos excipiunt, & incautos decipiunt. Visum hoc nostro tempore, proficiscente Constantinopolim Domino KRECKVVICIO Oratore Cæsareo: à quo Budæ primo sacerdos eius, deinde Constantinopoli magister aulæ eiusdem, nec non aliquot alii ab illis apostatis peruerse literatis, & malitiose doctis, decepti & seducti ad Mahometismum, id est atheismum prolapsi sunt. Qui apostatæ, qualia mihi aliisq; opposuerint argumēta, infra dicetur: vbi de apostatis hisce, pluribus tractabitur. Expedit ergo hęc nosse: & officii est fidelis CHRISTI militis, aliis commilitonibus

suis planum facere: quibus armis diuina gratia sibi datum fuerit, hæc Satanæ organa superasse. Adiunxi & colloquia mea cum Græcis: quorum religio in solis externis ceremoniis extra & contra verbum DEI confictis, consistit: vbi hoc quoque axioma defendo: fieri non posse: vt ceremoniarum apparatu, cultu, exactione, veri fructus euangelii tum in docendis hominibus, inque fide christiana confirmandis; tum etiam in conuertendis incredulis & confutandis fabulis hominum conspiciantur; quin potius per tales multiplices ceremonias (vbi ex omnibus CHRISTI beneficiis comædia quædam ridicula spectanda tantum proponitur) nomen DEI inter gentes, teste Apostolo, blasphemetur: ac Turcis, Iudæis, & aliis gentibus, ad fidem christianam conuertendis scandalo fiat & offendiculo. Denique demonstratur, arma militis christiani, contra Turcas bellum spirituale gerentis, non roborari istis externis ritibus ad strenue pugnandum pro fide christiana; sed potius eneruari, & à vero zelo DEI ad zelum carnis & mundi deduci. Vt enim ex sclopetis, aut machina aliqua magna globi plumbei, ferrei, & lapidei non exploduntur absque puluere pyrio, id est, interna illa vi ignea & aërea expellente globum; & eovsque propellente, quo sclopetum aut machina collimat: ita nec militem christianum constat, nisi in cognitione CHRISTI assidue per euangelium prædicatum roboretur, quicquam contra infideles gentes pugnando, quod durabile sit & salutare, effecturum: sed absque veri DEI agnitione & vitæ sanctimonia vincendo mundum mundo, incredulitate incredulos, tandem eiusmodi militem secuturum esse incredulos & mundi castra Quo modo licet vniuersum lucraretur mundum cum mundo in æternum periturum esse, in promtu est. Hoc enim pacto Mahometes commixtis in vnum omnium gentium religionibus, & concessa carnis licentia, dilatauit regnum suum; & filios huius seculi, qui pereunt, lucratus est. Citaui quoque, quid in hac re reprehenderit in America Iosephus

Colloquia cum Græcis ceremoniarum causa.

Traditionũ humanarũ obseruatio nullius vsus

Rom.2.v.24

Militis Christiani verum robur in quo consistat.

Iosephus Acosta de Americanis. Acosta Iesuita, vir doctus & Americanis peregrinationibus clariss. in suo libro, cui titulus est, De nouo Orbe. Adiunxi quoq; *Colloquia cum Arianis & Iudæis.* colloquia mea ibidem Constantinopoli cum Arianis & Iudæis.

Hæc omnia filio meo in synopsin quandam redigere studueram, non existimans, eum cum aliis ista cõmunicaturum: quod non omnia vti decebat, expolita erant; nec, vt in vulgus emitterentur; sed vt vnus & vnicus filius meus ante aliquot annos iis erudiretur, consignata. *Causa editi operis.* Testes sunt huius rei ex bonis plurimi & doctissimi viri: inter quos est Vir Cl. Casparus Dornauius Philosophiæ & Medicinæ Doctor: ad cuius manus hic circulus operum DEI, & hoc meum Horologium Lunare & Solare, multis retro annis, peruenit. Verum cum filius meus hæc non modo cum Dn. D. Dornauio, viro doctissimo, peregrinationum suarum socio, sed etiam cum aliis communicasset: imo non paucis describenda dedisset; accidit persæpe; vt à doctissimis viris solicitarer, quo ea publicarentur. Quod si abnuerem ego, se id facturos tandem protestati sunt; typisque velim, nolim, commissuros; & in Publicum, præfixa præfatione, qua mihi laboris mei testimonium perhiberent, prolaturos. Quare metuens, ne, quæ minus ex sensu meo, meis lucubrationibus adderentur, vel in iis mutarentur: certe nolens volens coactus fui hanc opellam meam, quantum per occupationes publicas licuit, reuidere, & in publicum edere. Accedit & hoc, quod, cum Illustrissimus Hanouiæ Comes PHILIPPVS LVDOVICVS, piæ & sanctæ memoriæ, euocatus à Cæs. Maiest. RVDOLPHO Imperatore Pragam, excurrisset inde ad me Monachogræcium, & inter cætera colloquia, inspexisset hanc quoque opellam meam, vnice me hortatus fuerit ad eam edendam. *Philippus Ludouicus, comes Hanouiæ.* Imo, eo, colloquiorum occasione de labore hoc meo, peruenimus: vt sanctus ille Heros, ex summo zelo pietatis, & certitudinis vitæ æternæ in CHRISTO Theanthropo nobis ex verbo eius promissæ, sæpe cum gaudio lacrimas miscuerit; subinde illud repetens: quam ineffabile donum DEI illud sit, cui hoc datum est, vt confidenter dicat cum *Eius in pietate & religione zelus.*

Apostolo

Apostolo, Noui cui credidi. Ac veram fidem, bonamque conscientiam in solo DEI verbo acquiescere: quod nobis sit potentia DEI ad salutem: atque hoc sibi cum Dauide preciosius esse omnibus mundi thesauris. Monstrauit mihi quoque sua parua Biblia Germanica: hoc suum viaticum dicens, & assiduum comitem esse. In summa, bona fide id affirmare ausim: me similem Zelum vix vnquam tam in illustri persona vidisse: adeo totus sursum versus contendebat ad palmam supernæ vocationis, quæ est in CHRISTO IESV: quæ etiam ei (licet præter opinionem nobis erepto) iam data est.

2. Tim. 1. v. 12
Rom 1. v. 16
Ps. 119. v. 72

Legi eius vitam; in qua mentio fit tentationum, quas in agone sustinuit, è quibus tamen victoriam est in CHRISTO consecutus, absorpta nimirum morte ad immortalitatẽ. Cõspersi pagellas illas lacrimis meis non tam eius quam ecclesiæ vicẽ dolendo. Verũ quia nõ amisimus eum, sed præmisimus, breui eundẽ subsecuturi: ideo ei hanc beatitudinem non inuidere, sed ad triumphantem in cœlis ecclesiam aspirare nos militãtes assidue decet. Cuius quod hic mentionem facio, nemo, vti arbitror, mihi succensebit: siquidem & hic pius sanctusque Heros tam strenuus etiam hortator erat, vt meditationes hasce meas in lucem ederem: quarum dispositionem expetẽti eidem tunc impertire cogebar.

Pios morientes nõ amittimus sed præmittimus.

Quod autem editionem hanc distulerim: id ob multiplices meos tum publicos tum priuatos labores factum est. Verũ, grassante ante sesquiannum, apud nos pestis contagione: ideo quasi feriis à publicis negotiis concessis, totum illud tempus recognoscendo huic tractatui tribui; cum vt amicorum desiderio & votis satisfacerem: tum vt ecclesiæ CHRISTI, & piæ posteritati conuersationes meas cum orientalibus christianis & apostatis notas facerem.

At cum incidissem non multo ante in blasphemias Socinianorum: qui vera & genuina soboles sunt Mahometis, quorum hic impudentissimis & nunquam auditis mendaciis; illi sophismatis

Sociniani genuina soboles Mahometis.

& ſcommatis illudentes vero DEO & verbo eius & Spiritui ſancto, omnes gentes verbo DEI incredulas omneſque atheiſtas, qui à condito mundo fuerunt, ſuperarunt: de his quoque Socinianis, quia vnis iiſdemque cum Turcis fundamentis nituntur, aliquid dicendum erat. Nam & cum his Conſtantinopoli nobis chriſtianis, qui verum illum DEVM Triunum adoramus, multum certaminis erat. Adiunxi & aliquid contra caco-chymicos, quos demum poſt meum Conſtantinopoli reditum mihi noſſe contigit: qui extra & contra verbum DEI à reuelato euangelio ad nouas reuelationes confugiunt, & homines à cœleſtibus ad terreſtria deducunt.

De caco-chymicis & enthuſiaſtis.

Quæ omnia ideò à me facta ſunt, vt demonſtrarem: in quæ nō opinionum monſtra miſer homuncio prolabatur, derelicto verbo DEI; quod ſolum nobis eſſe debet norma credendi, docēdi, loquendi, cogitandi, viuendi, militandi & moriendi: vt tandem æternum cum CHRISTO Theanthropo viuamus: in quo nunc vita noſtra cum ipſo abſcondita eſt: ſed cum CHRISTVS, VITA ILLA NOSTRA patefactus fuerit, nos itidem patefiemus cum illo glorioſi: & videbitur quoque ab illis, qui eum blaſphema ſua lingua foderint. Attuli quoque paſſim meam cenſuram: quomodo ſancta concordia inter nos omnes chriſtianos (qui ſacroſanctam Trinitatem, Triunum illum verum DEVM agnoſcimus, colimus, adoramus, extra quem nullus alius eſt DEVS) iniri poſſet: tum ad pellendos procul Turcas è finibus noſtris: tum ad coërcenda illa Arrianorum & Socinianorum monſtra: quæ aditum hominibus ad Mahometiſmum faciunt: imo ſimulantes, ſe in caſtris Chriſtianis contra Mahometem nobiſcum militare, ſunt clandeſtini noſtri hoſtes; atque ita ipſis Mahometanis, veluti proditores noſtri, deteriores.

Ac ne quis arbitretur, me forſan plus iuſto in eos inuehi; guſtum aliquem Sophiſmatum eorum lectori præbebo. Communia habent cum Mahomete fundamenta. Mahometes negat

CHRI-

CHRISTVM fuisse DEVM, negat passum pro nobis: hoc idem Sociniani volunt, cum aiunt: CHRISTVM tantum nobis exemplum patientiæ præbuisse. Mahometes vetus & nouum testamentum in fabulas commutauit: hi suis sophismatis expresso DEI verbo, sub velo verbi DEI, contradicentes, ad eundem scopum tendunt. Exempli gratia, Prophetæ & apostoli palam CHRISTVM verum DEVM esse demonstrant: Sociniani ex aduerso aiunt, DEVM quoque dixisse ad Moysen; eris Pharaoni pro DEO, & Dauidem nominasse magistratus Deos: & tamen neque Moysen fuisse DEVM, neque magistratus esse Deos: nec DEVM pati sibi æqualem. Hoc Alkoranus in singulis pene capitibus, quas Turcæ Azoaras vocant, diligenter inculcat: DEVM socium non habere, nec pati. Sacra scriptura ita de propagato peccato per lapsum Adæ loquitur, Rom. 5. 12. Per vnum hominem peccatum in mundum introiit, ac per peccatum mors, in quo omnes peccarunt. Item v. 17. Etenim, si per vnum lapsum mors regnauit per vnum: multo magis ii, qui redundantiam illam gratiæ & doni iustitiæ recipiunt, in vita regnabũt per VNVM IESVM CHRISTVM ad iustificationem vitæ. At Sociniani negantes lapsum Adæ, hominesque æternæ morti obnoxios factos; negantes, omnes credentes in CHRISTVM ab ea esse liberatos; scripturas suis sophismatis mendacio incrustatis, S. Paulum redarguẽdo detorquent. DEVS, inquiunt, se obstrinxit, se non puniturum vllum pro altero, nec patrem pro filio, nec filium pro patre passurum esse. Ergo DEO credendum: Adami peccato homines æternæ morti obnoxios factos non esse. Atque hanc doctrinam de nostra in CHRISTO redemptione & pro nobis satisfactione esse respectu DEI & CHRISTI impossibilem, respectu nostri perniciosissimam, impiam denique & blasphemam esse. Impossibilem DEO Patri; quia facit DEVM mendacem; qui antea edixit, quod alius pro alio non luet quidquam: quod spoliat DEVM sua omnipotentia, ac si absque CHRISTO gratis nos saluare non posset: cum ipsimet homines mortales,

Ezech. 18. v. 20. Deut. 24. v. 16.

non per alios, sed ipsi soli offensas alii aliis condonare possint: derogare & misericordiæ DEI. Impossibile id esse CHRISTO: quia CHRISTVS non potuit nos à morte æterna liberare: Perniciosissimam vero esse hanc doctrinam respectu hominum: quia facit homines securos, impios & alterius iustitiæ & non suæ confidentes. Etenim CHRISTVM sibi & nō aliis promeritum salutem, & nobis tantum exemplum patiētiæ & vitæ sanctæ factum. Diabolicis hisce sophismatis omnia sacræ scripturæ dicta, Spiritum sanctum expresse mendacii arguentes, eludunt: atq; id agunt vnice: vt imbecillioribus omnem sacram scripturam reddant dubiam; imo aboleant auctoritatem eius, & atheismum cōstituant. Nonne ergo, ex vero ardentique Zelo DEI aduersus eiusmodi incarnatos Satanæ Sophistas stylus stringendus? Nonne ab ecclesia, siquidem aliud euangelium docent, iubente S. Paulo, Anathemate percutiendos; imo à christiano magistratu Doctores hosce vel potius seductores è medio tollendos esse dixerim? Nonne plebem incautam in meliorem viam, sublatis seductoribus, statuerim reducendam esse? Quid multa? tam monstrosa sunt illorum sophismata: vt, quicquid illis non placet, id alio dicto scripturæ contra propriam conscientiam eludant. Perinde, vt Iulianus Apostata auferens bona christianis, & morte eos afficiens, dixit: se omnia facere secundum euangelium, quod dicit: beati pauperes, & beati cum vos persequentur: Certe non aliter hi gigantes, CHRISTO bellum inferentes, sacram scripturam allegant, habituri quoque cum Iuliano exitum haud absimilem, & ni resipiscant, dicturi: vicisti Galilæe. Sed de his inferius plura benignus lector audiet: hic saltem gustum sophismatum eorum præbere volui: vt testarer iustum meum Zelum aduersus hos prodromos Satanæ, ante vltimam mundi ἀπώλειαν: illosque à S. Petro prædictos irrisores.

Gal. 1. v. 8. · 2 Pet. 3. v. 3

Sequitur tractatus de tempestatibus mundi, lucente in illis Sole iustitiæ CHRISTO, & quidem fidelibus, vti in Ægyptiacis

Exod. 10. v.

tenebris

tenebris & columna in deserto, quæ populum DEI illuminabat, 22.23. & 14. v. 19. 20
hostes vero obfuscabat. In quibus DEVS comædiam cum suis fidelibus, & tragædiam cum infidelibus CHRISTO & euangelio eius peragit: cuius vtriusque exitus demum verus sub vltimum CHRISTI aduentum, cum quo nunc vita fidelium eius abscondita est, patefiet: & illa scilicet rerum omnium restauratione: in qua nouos cœlos, nouam terram expectamus, quæ vtraque ad inhabitandum electis DEI dabuntur: ad contemplanda in omnem æternitatem æterna opera DEI.

Habes itaq; benigne & candide lector, causam, cur hæc opella mea in publicum prodeat: & cur de diuersa materia & diuersis hominum generibus in ea differam. Tu si quæ ex his in vsum conuertere tuum poteris gaudebo; multo vero magis gauisurus: si, quibus maiora DEI dona sunt in talibus hisce tractandis; ii aliquid elaboratius (ego enim breuitati studui, quod quidem omnium difficilimum erat) in medium proferant: quibus forte plus otii est, quam mihi homini politico, & rebus publicis occupato: plus quoque erit virium, quam mihi seni, qui DEI beneficio, breui sexagesimumquartum exegero annum: & nunc magis de mea analysi meditanda, & hoc meo terreno tabernaculo, sub quo onerati ad cœleste tabernaculum suspiramus, deponendo: quam de edendis libris, gloriolæ alicuius venandæ causa, quod longe à me absit, solicitus sim. Etenim omnis mea gloriatio in solo CHRISTO consistit: qui mihi factus est sapientia, redemptio, iustitia & sanctificatio: cuius gratia diuina sum id quod sum; & qui mihi in omnibus meis peregrinationibus & certaminibus & conflictibus cum diuersi generis hominibus, non tam cum carne & sanguine hactenus, quam cum spirituali malitia luctantia dfuit: me suo verbo roborauit, & firmauit: & porro ad finem vsque vitæ meæ vt adhæream eidem, tanquam VNICO SALVATORI meo; confirmabit, confirmatũ tandem ad se euocabit: cui sit laus, honor & gloria cum Patre & Spiritu S. in secula seculorum Amen.

IN ILLVSTRIS DOMINI, DOMINI WENCESLAI BVDOWECZ L. BARONIS A BVDOWA, &c. SAC. CÆS. MAIEST. CONSIL.

HOROLOGIVM.

Quos tua designat, BVDOWECI, *pagina cyclos,*
Non sunt de triuio, nec sine mente nota.
Entheus est illis vigor; & cœlestis origo:
Non fallor, solida nomina laudis habent.
Si pulchrum est, Sophiæ caput exeruisse per orbes,
Turba Stagiritæ quos studiosa rotat:
Purius id decus est, præcepta rotunda Iehouæ
Voluere, cœlifluis non peritura rotis.

CASPAR DORNAVIVS D.

IN HOROLOGIVM MYSTICVM

Illustris Baronis à Budovva, &c.

Iambi senarii.

MENS æuiterna, seculorum dispares
Demensa lapsus, antequam irent secula
Rerum impedita tristium per semitas;
Cum primum auitæ sancta formati recens
Orbes polorum tempora innocentiæ
ADAMI in vsus, discerent describere:
Præfixit horas circulis argenteæ
Lunæ peragrandas duodecies: grauem
Noctis sub vmbram, & ante legis aheneæ
Tentorium. At dum lineas perambulat,
Ter pallidum turpauit os ferrugine:
Donec serenos reddidit mundo dies
SOL ille verus, aureum lucis iubar
CHRISTVS paternæ: quod stygis fœdi halitus
Atræque nequicquam fauillæ obnubilant.
Fatale sulphur Antitrinitarium,
Et Alcorani virus absumet sacer
Vorante flammâ fulgor: & quod grandius
Fœcunda culpâ secula attrahunt malum,
Fulmen trisulcum vindicis latè DEI
Inter profundos manium condet lacus:
Vt nube pulsâ illuminent Solis comæ
Intaminatæ, æternitatis atria.
Sed ista rectiùs docet Solarium
Dexterque Gnomon Nestoris BVDOVECI:
Quem prisca pietas & fides Byzantium
Deduxit ad Sultanum, & æternat Virum
Splendente pennâ vtramque per Solis domum:
Memoresque fastos scribit illustri notâ;
Volucrium quos nulla temporum fuga
Obliterabit, nec cupressi degener
Lignum inuidebit viuidæ tabulis cedri.

Epigramma votiuum pro AVCTORE.

IESV, fixe crucis Gnomon in robore, nostris
Cordibus horarum quò moderere notas:

Da sancto

Da sancto capiti, quod tàm benè collocat horas,
Vltima perpetuos afferat hora dies.

ex debito obseruantiæ cultu scribb.

Michael Gehlerus Philosoph. & Med. D. Gymnasii
Rosenbergiaci Rector.

in Sophies-labiis. d. 21. Aug. 1613.

DE HOROLOGIO ÆVI CHRISTIANI.

Svrge age, surge, Anima, è tenebris noctisq; metusq;
Surge, & ad optata gaudia lucis ades.
Hactenus-obscuri SPECVLA & SOLARIA veri
Exhibet hîc dio lumine, plena, liber;
Exhibet æterni graphicè sphæramq; notasq;
HOROLOGI, & vicibus sæcla rotata suis:
Et SCALAM Isacidæ locat inter sidera CHRISTVM;
Nempe, iterum tellus quo sociata polo est.
En tibi! LVNARE & SOLARE HORARIVM, vtrumque
Bis-sex horarum diuiduum in spacia.
Ex illo primis quæ fata ecclesia sæclis
Tresq; sic ecclipses passa, videre licet.
Ex hoc, iustitiæ sub Sole, ecclesia præsens
At euangelii lux radiosa patet.
Huic quoque bis piceo incubuit nox obuia nimbo;
Extremam extremi temporis hora feret;
Quam iusto GNOMON signat discrimine: GNOMON
Desit, ei elapsa est qualibet hora, prior.
Inspice item SPECVLVM sphærâ cum duplice, duplex
Quo melius, quo non pulchrius Orbis habet;
CHRISTI illîc, Gentisq; pia simulacra videbis,
Qualia primæui picta dedêre Patres.
Hic viuos CHRISTI præsenti numine vultûs
Adq; vnius opem brachia tensa tuam,
Hîc quoque cœlestis germana didagmata verbi
Dispice, & ancipiti dissita regna fide;
HISTORIASQVE TYPOSQVE atque omnia MYSTICA veri
Sensa locis passim notificata suis.
Non hoc humani, licet optima, maxima virtus
Ingenii, nedum dextra peregit opus;
Ille, cui Heroi, & diuini in pectore sensus;
Ille, cui robur iudicii omne datum est:
Ille, cui sese indulsit Sapientia totam;
Qui cœlum spretâ totus anhelat humi;
Ille, ille hæc tam-sancta Animæ MEDITAMINA panxit,
Dicam vno verbo, BARO BVDOVVECIVS.

AD IESVM CHRISTVM

Illustris & Magnificus Dominus

DN. VVENCESLAVS BVDOVECIVS, BARO DE BVDOVVA

ἐν ἀναγραμματισμῷ

DVC, BENE DVRABO; IESV DVCE, SALVVS OVABO

SVM VIA, SVM VERVM, SVM VITAQVE, vox tua, IESV, est.
DVC igitur, quò me q; velis, me DVC modò IESV;
ME IESV, quando hora mea vita vltima curret,
DVC, BENE DVRABO, IESV DVCE, SALVVS OVABO.

vltrò ex humili obseruantiâ fac.

Melchior Agricola Philosophus & Poeta Laureatus,
Illustriss. Gymnasi Rosenbergiaci Pro-Rector.

Generalis

FIGVRA CIRCVLI HOROLOGII LVNARIS ET SOLARIS, ET æternæ DEI prouidentiæ & sapientiæ.

Isa.42.v.35. Ante me non fuit DEVS, non erit post me. Actor.15.v.18. Nota sunt DEO ab omni æuo, omnia eius opera.

O Altitudo ELAPSAE ÆTERNITATIS!

O Dulcedo FVTVRAE beatæ in CHRISTO ÆTERNITATIS!

O horror in incredulos CHRISTO, æternæ damnationis!



CHRISTVS æterni Patris sapientia Theanthropos.

Coloss.1.v.16. Eph. 3.9. Per CHRISTVM omnia condita sunt, & ipse est ANTE OMNIA, & per eum OMNIA consistunt.

Rom.9.v.5. CHRISTVS est benedictus DEVS in secula.

Est manifestatus in carne DEVS, 1 Tim.3.16

Est verus ille DEVS, & vita æterna. 1 Ioh.5.20.

In quo ante iacta Mundi fundamenta electi sumus. Eph.1.4.

DEVS *creauit Mundum quando voluit; finiet quando volet.*
Cor Mundi est Ecclesia, primum in terris viuens & vltimum moriens;
Sed æternum cum CHRISTO *in cœlis victura.*
Anima Ecclesiæ est CHRISTVS. *Alimentum Ecclesiæ est verbum* DEI.
Finis militantis Ecclesiæ, est gloria DEI, *& salus æterna fidelium* CHRISTI.
Atque ita DEVS, *qui fuit & esse potuit ab æterno absque homine,*
Vult esse in æternum ob & per CHRISTVM *Theanthropon cum homine.*

I. De



I

DE
DEO

Qualiter is ſeſe in verbo ſuo patefecerit; & quomodo in CHRISTO Theantropo ſit conſiderandus & contemplandus.

Temporibus DEVS eximitur; ſed cætera cyclo
Temporis inuertuntur: & hic vbi puncta ſuprema
Attigerit, vaſti ſoluetur machina mundi.



TRIVNVM DEVM IN CHRISTO, contemplor, credo adoro, non scrutor

Philippe qui videt me, videt & Patrem, Ioh. 14. v. 9.
Credite mihi, me in Patre & Patrem in me esse, ibid. v. 11.
Ego & Pater vnum sumus Ioh. 10 v. 30
Vt honorant Patrem, ita & me honorare debent. Joh. 5. v. 23.
CHRISTVS est ante omnia & omnia per eum consistunt. Colos 3 v. 17.
Est DEVS manifestatus in carne. 1. Tim. 3. v. 16.
Est benedictus DEVS in secula. Rom 9. v. 5.
Est verus DEVS & vita æterna. 1. Ioh 5. v. 20.

Sum baptizatus in VNVM DEVM, qui est PATER FILIVS & SPIRITVS SANCTVS.



Spiritus Sanctus ducet nos in omnem veritatem. Ioh. 16 v 13.
Verbum DEI est veritas. Ioha. 17. v. 17.
Spiritus sanctus obsignat certo arrhabone electos in CHRISTO. Eph 1 v. 13. 14.
Hi sunt templum Spiritus Sancti. 1. Cor. 6 v. 19.
Spiritus Sanctus constituit sibi episcopos. Act 20 28.
Peccatum in Spiritum Sanctum non remittitur. Matth. 12. v. 31.
Vnus est Spiritus Sanctus qui dona sua distribuit varie. 1. Cor. 12. v. 4.

Eundem TRIVNVM DEVM cum Symbolo Apostolico & tota orthodoxa ecclesia profiteor & in eum credo.

Verbum DEI non docet quærere abscondita; sed credere reuelata. Euanescerem cogitando de DEO; nisi assidue vnicum obiectum contemplandi DEI TRIVNI mihi esset CHRISTVS, DEVS ille in carne manifestatus: vbi infinitum cum finito coniunctum: quo & nos finiti vtrumque in CHRISTO contemplari queamus.

DEVS

DEVS

DEVS iam in verbo suo patefacto est Iehoua ELOHIM, Ens entium, vnus essentiâ, trinus personis, Pater, Filius & Spiritus Sanctus: distinctus non tempore, sed ordine personarum: in vnâ essentiâ, vnus verus DEVS: creator mundi, Angelorum & hominum, creator animarum: vt qui primo homini animam inspirauit: rerum omnium creator & conseruator: qui est essentia spiritualis, simplex, incomposita, & absque accidentibus, carens initio, auctione, imminutione & fine, fons æternitatis & omnium bonorum, immortalis, inuisibilis, immensus, infinitus, incomprehensibilis, lucem habitans inaccessam, omnipotens, nullius egens, sibi soli sufficiens, vbique præsens, incircumscriptus, nullibi exclusus, nullibi inclusus, perfectè iustus & perfectè misericors, longanimis, patiens, solus bonus, & solus sapiens, & omnia pro suo æterno beneplacito disponens, regens, conseruans, & ad finem bonum a se præscriptum deducens: cui nihil præteritum aut futurum, sed omnia præsentia: apud quem nulla adumbratio est: sed cui ab omni æuo omnia eius opera nota sunt. Hinc qui DEVM sensu carnis extra eius verbum reuelatum metiri volunt, coram quo ipsi Cherubini facies suas velare dicuntur, incidunt in multas insanas quæstiones; & oppressi à maiestate DEI, naufragio fidei facto, in atheismum ruunt.

DEVS in verbo suo patefactus.

Curiosæ de DEO quæstiones.

Quod si solis essentiam oculis mortalibus contemplari nequimus; si publicante DEO legem suam in monte Sinai moriendum erat, & homini & cuiuis animali appropinquanti ad montem præter terminos positos: quantò magis digni morte phanatici quidam homines, qui in ipsam DEI naturam inquirere, & in DEO materiam, magnitudinem & circumscriptionem metiri; vel potius mentiri, atque ex æternitate nescio quam æuiternitatē facere contendunt? Nam vbi omnia dixerimus, quæ de DEO piè ex verbo DEI dici possunt; vix tamē balbutire incipimus cum infantibus. Ac vtinam in spiritu & veritate clamātes, ABBA Pater, cum paruulis Christi, de DEO potius balbutiamus: quam prophanos sophistas imitando, in Deum ipsum crimē læsæ maiestatis cōmittamus: siquidē & in futura in cælis vitâ, neq; homines, neq; angelos capaces fore puto, ad perfectè cognoscendum; qualis DEVS in suâ sit essentia. Cum ergo nec mente concipere queamus, qualis sit in sua οὐσίᾳ vel potius ὑπερουσίᾳ DEVS, vt qui super omnia est ἀνάλογος:

Balbuties nostra de DEO.

DEVS incomprehen-

sibilis in CHRISTO theantropo considerandus. itaque defixis oculis mentis nostræ in solum Theantropon CHRISTVM, verum in carne reuelatum, & nunc in cælis glorificatum DEVM, in hoc solo ex verbo eius DEVM triunum, essentiâ vnum, oculis fidei & non ratiocinatione humanâ contemplemur: qui petenti Philippo, vt ei monstraret Patrem respondit; Philippe, qui videt me, videt Patrem: an nescis, quod ego sim in Patre & Pater in me? Pater operatur, operor & ego. *Ioh 14. v. 9. v. 10. c. 5. 17.* Hic noster mediator & redemtor etiam per alium paracletum, personâ à se distinctum, nempe Spiritum Sanctum, verum DEVM, deducit nos in omnem veritatem: distribuit nobis dona ex suo verbo, pro mensurâ fidei nostræ, & proportionis membrorum corporis Christi, faciens ex nobis templa sua. Hic, hic in CHRISTO noster TERMINVS esto: hîc iucunda DEI & Sacrosanctæ Trinitatis, per DEVM in carne reuelatum, contemplatio: hic non euanescunt cogitationes directæ ad corpus CHRISTI glorificatum: quod absque commixtione cum diuinâ naturâ suas proprietates humanas non amisit. Hic in Christi corpore circumscripto & finito, & nunc in cœlis ad dexteram DEI, vsque ad tempora restitutionis omnium rerum, atque in iis cœli locis, vbicunque vult, commorante, contemplamur triuni DEI vnam essentiam, maiestatem, potentiam, & vbique præsentiam, atque operationem nullis terminis circumscriptam, nullo modo finitam. *Quam vtile sit infinitũ DEVM in humanâ CHRISTI natura finita contemplari.* Hîc tutum in CHRISTO supra omnes cælos conscendere: & ad ipsum Thronum gratiæ & maiestatis DEI, per CHRISTVM, in CHRISTO, ad DEI maiestatem accedere. Hîc non moriemur, loquente nobiscum DEO ex monte suo cælesti Sinai, per æternum mediatorem nostrum, cuius Moyses typus erat. Hîc non lædemur radiis maiestatis DEI; cùm sub velamine veri corporis CHRISTI maiestatem DEI contemplabimur. Hîc in fluctibus cogitationum tuta nauigatio: hic portus securus, hîc meta, hîc quies, hîc spes, hîc ineffabile gaudium: nos in carne nostrâ cum Iobo CHRISTVM verum DEVM & hominem verum visuros. *Iob. 19. 26.* Quod si verò corpus CHRISTI glorificatum infinitum, & vbique esset: euanesceret spes nostra de verâ corporum nostrorum resurrectione: euanesceret & fides nostra de veritate veræ naturæ humanæ à CHRISTO assumtæ: quam sane naturam ille semel assumtam in æternum non deponet. Verùm vbi ita DEVM per DEVM, in carne verâ reuelatum, contemplabimur: cessabunt profanæ de DEO quæstiones, & fidelibus DEI sufficiet; DEVM atque ita totam Sacro-sanctam Trinitatem in CHRISTO nos contemplari. Qui autem quærit, quid ante Mundum conditum ab omni æternitate egerit DEVS; respondent Patres; præparasse eum talia quærentibus infernum. *Curiosæ de DEO quæstiones noxia.* Sufficiat ergo nobis DEVM in suâ sanctâ Triade ab æterno sat oblectationis, gloriæ, & maiestatis in seipso habuisse, & habere potuisse absque hominibus: & celebrãda eius est philanthropia, quam, præfinito à se tempore, de-

re, deinde in mundo cōdito, & homine creato, & lapſo viciſſim erecto, atq; verbo ſuo patefacto, reuelauit. Sufficiat item quod per CHRISTVM Theanthropon, translatâ in cœlos naturâ noſtrâ, nos in æternum duraturæ beatiſſimæ illius immortalitatis & æternitatis participes facere decreuit: relicto nobis ex ſuâ diuinâ naturâ certitudinis pignore; nempe Arrhabone Spiritu Sancto: & translata in cælos noſtrâ humanâ naturâ item loco pignoris; quò per eiuſmodi immota & mutua pignora & fœdera certi ſimus; vbi caput noſtrum eſt CHRISTVS, eò nos quoque venturos, & in æternitatem cum illo victuros eſſe. *Pignus indiſſolubile & mutuum in CHRISTVM & Eccleſiam.*

II

CIRCVLVS

Cœli terræque & ordo elementorum & planetarum, cum ſuis aſpectibus, & myſtica harum contemplatione.



Iucundum eſt, nouiſſe globum cœlique ſolique,
Adde Iacobæam, quæ tendit ad æthera, Scalam:
Hac CHRISTVM aſſequeris, quid tum? ſi cætera neſcis.

EX hoc cæli terræq; circulo videre licet elementorum mundi & planetarum cæli gradus: quo ordine ista collocata sint: quomodo terra, vti supra dictum, instar puncti respectu Cæli sit: dum minima quæq; stella, nedum Sol & planetæ, terræ magnitudinem superant: vbi Sol in medio sex Planetarum, ceu Cæsar inter Electores, consistit: qualis eius cursus & quam velox: qui, spacio viginti quatuor horarum, vniuersum cæli circulum ab ortu ad occasum & inde rursus ad ortum percurrit. Quæ ista & quam miranda velocitas! Excipio tamen cogitationes humanas; vtpote quæ nullâ velocitate aliâ, etiamsi illam myriadibus iterationum, putà explosi è bombardâ globi compararés, designari aut verbis exprimi possunt. Quæ instrumenta tam firma & immota sunt, atque istæ cælestes machinæ, quæ ob hunc cursum nunquam mutari aut corrumpi possunt? Quanta vis illuminationis Solis, omnia vegetantis, nutrientis & producentis; imo ex ipso fætore, luto & stercoribus vermes reptiles & volatiles ac muscas generantis? Quod si res creatæ tales, & nobis incomprehensibiles; & si vis earum tanta: qualis quæso ipse creator, qualis eius omnipotentia? Quales & quàm multæ electorum DEI in cælo mansiones? quales nos vermiculi? Ac cùm DEVS per Prophetas & Apostolos promittat, se nouos cælos & nouam terram creaturum, vel priora sub illâ ἀποκαλύψει renouaturum: sit ergo summa hæc nostra Astronomia; sicut in mundo cælum, sic in cælo DEVM, qui se in CHRISTO nobis patefecit, quærere: & à rebus creatis ad ipsum creatorem, Redemtorem nostrum Christum supra omnes calos oculis mentis nostræ conscendere: & viam potiùs ad cælos ex verbo DEI per CHRISTVM quærere; quam in isto cæli terræque alphabeto multa inutilia nimis curiosè scrutari; multo minùs ab astris dependere quod est proprium infidelium. Si enim in terrestribus, etiam interdum in minimis cæcutimus: & rationem earum rerum reddere non possumus: quanto magis in cælestibus creaturis id fieri credemus? Maculæ Solis & Lunæ eò cogitationum nonnullos adduxêre: vt aliquam ęthereąm terram in vel sub Lunâ & Sole sibi imaginati fuerint: cum potius maculas suas scrutari eos oportuisset: qui capaces non sunt in scrutandis tam absconditis & tàm longè à nobis distantibus rebus. Etsi autem astrorum cognitio magnum DEI donum est, si sobriè eâ Christiani vtantur; vtpote, quæ à primis parentibus ex longâ obseruatione horum motuum & per hos motus effectuum, veluti per manus etiam ad ethnicos propagata fuit: tamen quia in eâ ethnici homines plus semper, quam populus DEI excelluêre (quod illis nihil ad salutem profuit) itaque minimus quisque rusticulus, qui viam ad cælos & quidem per scalam Iacobæam, quæ est CHRISTVS, nouit, doctior est omnibus Astronomis, etiam nomen Christiani gerentibus: qui hanc vnicam scalam aut ignorant, aut per alias scalas, non per hanc Iacobæam, conscendere in cælum nituntur.

Cæli enarrant gloriã & potentiã DEI.

Sol.

Si DEVS in creaturis, quanto magis in seipso incomprehensibilis.

Isai. 64.

2. Pet. 3.

Finis & scopus Astronomiæ.

Curiosi Astronomi qui?

CHRISTVS Scala Iacobæa ad astra.

Pii Physici. Vide de his Hieronymum Zanchium, Danæum, & Illustrem atque magnum virum dominum Philippum Mornæum, in suo aureo tractatu de veritate religionis Christianæ. Prodiit etiam ante biennium, Conradi Aslaci Physica & Ethica Moysaica: quâ nihil compendiosius: & quæ veluti parua Bibliotheca piæ Physicæ dici potest. Ad hos auctores ego Lectorem remitto in contemplando hoc mundi theatro & speculo sapientiæ & omnipotentiæ, bonitatisque DEI. Verum de microcosmo, id est, homine, aliquid sub primâ Lunaris horologii horâ dicetur.

III. LVNA-



III

LVNARE HOROLOGIVM, IN DVODECIM HORAS DISTINCTVM:

Quo exhibentur

Insigniores mutationes Ecclesiæ, & mundi sub veteri Testamento, historicæ, typicæ & mysticæ: sub quo horologio Lunari tres Ecclipses, Ecclesia in veteri Testamento passa est: quæ sanè typi erant mutationum futurarum sub horologio Solari.

Et caret Horologium gnomone, horas monstrante: quia iam horæ elapsæ sunt.

1. Cor. 10. 11.

Hæc autem omnia typicè euenerunt eis: scripta vero sunt ad nostri admonitionem in quos fines seculorum deuenerunt. Itaque qui sibi videtur stare, videat ne cadat.

LVNARE HOROLOGIVM.



Gnomone iam rota versa caret; vetus excidit ætas:
Quod Deus in veteri prædixit codice factum est;
Iam nouus in terris seclorum nascitur ordo.

PRIMA HORA.

TEmpus seu prima hora in & ab ipsa mundi creatione innotescit, anno ante CHRISTVM in carne exhibitum 3970 iuxta Bucholceri supputationem, quæ mihi præ aliis placet, quod sane tempus minus quam nihil respectu æternitatis elapsæ. Ita DEVS, æternum illud Ens entium, creauit mundum quando voluit; finiet quondo volet. Et in condendo mundo, creandoque homine patefecit sese DEVS, sed tribus personis distinctus. Nam mundum condidit Iehoua ELOHIM id est, DII: & Spiritus Sanctus omnia vegetabat & sustinebat. Item in homine creando colloquitur secum hæc Sancta Trinitas, inquiens: faciamus hominem ad imaginem nostram. Quod sane colloquium DEI, cum angelis habitum fuisse (vti blasphemi Arriani fingunt) omnino diabolicum figmentum est. Nam inde sequeretur; angelos DEO in creando homine ad suam imaginem, coadiutores fuisse: id quod non modo impium & blasphemum est dicere: sed ne cogitare quidem fas erit. *Patefactio S.S. Trinitatis. Gen. 1.*

Condito cælo terraque, & omnibus in ea rebus creatis: homo, ad imaginem DEI & immortalitatem creatus, fit monarcha mundi & hæres cæli: cui duo sacramenta data; Lignum vitæ, immortalitatis contestandæ; lignum scientiæ, obedientiæ probandæ causa. *Homo ante lapsum qualis?*

Ac licet ab omni æternitate DEVS sat suæ gloriæ absque homine habuerit: & habere absque homine potuerit: tamen vult eundem in omnem æternitatem vsque gloriæ suæ participem facere. *φιλανθρωπία DEI.*

ADAM terrestris labitur, & erigitur a cælesti ADAMO, ipso Domino è cælo 1. Cor. 15. 47. facta promissione de semine mulieris, contrituro caput serpentis. Gen. 3. 15. Gal. 3. *Gen. 3. 6. & 15*

Atque ita iam tum æternus DEI filius in erigendo homine cæpit officium subire mediatoris in sola diuina sua natura, tanquam sponsor assumendæ humanæ naturæ, ad soluendum λύτρον pro homine: quo in vtraque natura sufficientissimus mediator & redemtor esset. *Adam cælestis terrestrem lapsum erigit.*

Hic iterum sacro-sancta Trinitas in expellendo è Paradiso homine secum colloquitur, & non cum angelis: qui tantorum colloquiorum, veluti creaturæ cum creatore, capaces non erant. *v. 22.*

Quando vero angeli lapsi sint, tacente scriptura, & nobis tacendum. Sufficit scire lapsos: ac celebranda est immensa DEI misericordia in erecto homine seducto: & adoranda DEI iustitia in punito, absque spe veniæ, lapso angelo seductore. Hinc, quibus datum perseuerantiæ donum, electi angeli dicti, & credentes homines in CHRISTVM electi in CHRISTO ante iacta mundi fundamenta dicuntur. Ephes. 1. 4. Vita Adæ & nostra, per lapsum, morti quam vitæ similior, vti supradictum. *Lapsus angelorum. Electi angeli & homines.*

Adam post lapsum qualis? Cum homine lapso degenerat quoque vniuersa mundi natura & vanitati subiicitur. Ipse Adam primo amissis internis imaginis DEI donis, etiam externis gloriæ DEI donis priuatur. Hic nuditatem animæ & corporis sentit; habens læsam & apertam conscientiam; & contemplans commissam inobedientiam. Pellitur ex temperatissimo & amœnissimo Paradiso: elementa omnia suam temperiem, vti coniicio, saluo tamen aliorum iudicio, mutant: Adamo subinde in auribus resonabat vox DEI: morte moriemini. Gen. 2. 17.

Hinc in dies mori incipiebat, & laboriosam, plenam omnis generis ærumnarum, vitam agere. Hinc etiam, vt præ calore & frigore corpus tegeret, vtque vitam sustentaret, coactus est ad amictum & victum sibi parandum, & offerenda DEO holocausta, pro peccatis suis, innocua animalia interficere: quod ante lapsum non fecisset; contentus tum, lætusque splendore gloriæ DEI, & temperie atque fructibus Paradisi, & amore DEI. Ac cum ad imaginem DEI initio creatus esset: iam gignit progeniem ad imaginem suam corruptam: ex qua alii filii carnis, alii filii promissionis nascuntur: illi ad declarandam DEI iustitiam; hi ad misericordiam DEI celebrandam.

Adami progenies duplex.

In Caino typus Anti-Christi, in Abelo ecclesiæ militantis cruci subiectæ exhibetur: cuius calcanea pedum serpens ille mordere non desinit: sed cuius caput à semine promisso, quod est CHRISTVS, conterendum erat, & contritum est. Et ita Ecclesia in CHRISTO semper in vita, & morte plusquam victrix euadit. In summa, vt ad priora reuertar, etiam vniuersa creatura, propter hominis lapsum, nõ modo statim degenerauit, & vanitati subiecta fuit: sed etiã omnes res creatæ sibi inuicẽ carnifices factæ sunt, persequẽtes se inuicem, vsq; ad minimos etiam musculos, & muscas, & vermiculos; dum, vt ipsi viuere possent, aliis vitam eripiebant: quod sane ante lapsum non erat; siquidem homini fructus Paradisi ad edendum, & animalibus herbæ datæ fuere. Nemo vero lubens, vt alii vitam det, moritur: & tamen hominis causa, vt homo viuat, & nuditatem tegat suam omnis creatura homini iam subiecta misere dilaniatur: imo innocua animalia homo loco sui offert in holocaustum DEO, vt DEVM placatum habeat: id quod typus fuit innocui agni illius, ante iacta mundi fundamenta, teste S. Petro, ad mactandum destinati, Vnicæ illius hostiæ CHRISTI Theãthropi; qui nobis factus est a DEO sapientia, iustitia, placamentum, reconciliatio, redemptio, iustificatio & sanctificatio. Qui, vt nuditatem nostram iustitia sua contegeremus, & reconciliati per eum DEO, vitam æternam ex sua morte consequeremur, volens pro electis suis mortuus est. O admiranda DEI media ad saluandum hominem, à carne & mundo pro stultitia habita! O admiranda Philanthropia DEI nostri!

Omnis creatura propter Adamum degenerat.

1. Pet. 1. 20

1. Cor. 1. 30

Christi mors nostra vita.

Abel

Abel proto-martyr fit typus veræ Ecclesiæ: Cain vero Anti-Christi. Pauci concionibus Adami de creatione mundi, & hominum, de lapsu & promissione (vti puto) credidere: quia Ecclesia demum sub Enos magis conspicua reddita fuit. Nam si increduli CHRISTVM, alterum Adamum, ipsum Dominum è cælo, fabri filium appellarunt; si lapidare eum volebant, quod se ante Abrahamum fuisse dixerat: si euangelium eius stultitia & offendiculum incredulis fuit; coniicio, repleto iam mundo Adami progenie (siquidem Adam 930. annos vixit) conciones eius de mundo condito, & se primo homine creato, lapso & in promisso semine erecto, a multis pro mera stultitia æstimatas fuisse. Puto etiam cum CHRISTVS, alter Adam, Dominus gloriæ contemtibilis fuerit in mundo, etiam primum hominem lapsum non adeo in mundo coram degenere progenie sua clarum & potentem fuisse: quo fides nostra non corporis oculis, sed mente & corde promissiones DEI sibi applicaret: atque ita verissimum illud esse: vitam electorum DEI hic in terris absconditam esse: cum autem se in gloria sua patefaciet CHRISTVS, vita illa nostra: tunc electos eius cum illo in gloria comparituros.

Gen. 4.8
Ecclesia sub Adamo qualis?
Gen. 4. 26
Vita nostra cum Christo abscondita Colos. 3.3

Mors Adæ ad imaginem DEI conditi huc pertinet: quam imaginem quis reparare potest, nisi, qui initio creauit? alter cælestis Adam, cuius hic typus, sed diuersis modis fuit. Rom. 5. v. 14. 1. Cor. 15. 22. Vide Franciscum Iunium de Adami peccato. Vide aureum illum libellum D. Lutheri contra Erasmum de seruo arbitrio: Vbi dici non potest, quam ex imis verbi DEI fundamentis de æterna DEI prouidentia in condendo, & gubernando mundo, & saluandis electis in CHRISTO, & condemnandis reprobis docte, pie & sublimiter disserat & docet, talia mysteria DEI non in DEO abscondito, sed in DEO per verbum suum reuelato, scrutanda: scrutari enim scripturas CHRISTVM mandasse: sed qui maiestatem DEI & eius iudicia extra scripturam scrutentur: tales a maiestate DEI opprimi. Denique in homine triplex lumen considerandum proponit. I. Lumen naturæ, quod in rebus diuinis est cæcum: ex quo omnes sapientes mundi, omnes Philosophi, omnes Iureconsulti, ipseque codex & Pandectæ Iustiniani, condemnarent DEVM iniustitiæ: cur primos parentes Adamum & Euam labi passus sit: cur ob horum lapsum omnes rei facti æternæ condemnationis: cur ex quibusdam DEVS secundum æternum propositum suum faciat vasa gloriæ suæ, & ex aliis vasa iræ: talia (inquit Lutherus) iustissima DEI iudicia ex lumine naturæ cognosci non posse. II. Verum ex secundo lumine, nempe gratiæ DEI, ex verbo DEI, per illuminationem Spiritus Sancti nos vtcunque causam reddere posse testatur; modo ne ad causam nobis reddendam DEVM trahamus; sed sola eius voluntas sit nobis sufficientissima rerum omnium causa: & generalibus DEI promissionibus credamus: Omnis qui crediderit, saluabitur. Ac cum sit fides donum DEI, & electis tantum in

930. Gene. 5.5
Lutheri de lapso & erecto homine doctrina.
Ioh. 5. 39
Sacra scriptura & nō maiestas DEI scrutanda.
In homine triplex lumen.
I. Lumen naturæ.
II. Lumen gratiæ.
Eph. 2. 8

Christo detur: neque requiratur perfecta, sed vera, & plerumque ex lucta Spiritus cum carne, agnitione porro sui, pœnitentia & proposito DEO placendi, conspiciatur: qui talem fidem habent, qualis in Adamo & Eua conspecta, & in omnibus electis lapsis conspicitur: tales debere esse certos suæ salutis: quæ omnia nunc blasphemi Sociniani derident, vti infra audietur.

III. Lumen gloriæ DEI in electis reuelandæ. III. Restare ait tertium lumen in homine; nempe in vita æterna gloriæ DEI in illo reuelandæ: atque ibi nos cognituros; DEVM perfecte iustum, & perfecte misericordem fuisse. Qui vero hanc immotam DEI veritatem de æterna DEI prædestinatione in saluandis electis, & condemnandis reprobis negant: veluti excusaturi DEVM ab iniustitia: hos loco vnius excusationis mille blasphemias in DEVM euomere: vt qui sapientiores DEO esse volunt: quasi non debuerit DEVS hæc omnibus nota facere: ne offensi rigida ista, vt illis videtur, sententia, ab eo recedant. *Oblocutores doctrinæ de prædestinatione.* At respondet Lutherus; Recedant reprobi, manebunt electi. Sic ipsum CHRISTVM ad populum de talibus mysteriis loquentem palam clamasse; *Luc. 8. 8.* Qui habet aures ad audiendum, audiat. Denique portento hoc simile esse: quod nobis summæ consolationi DEVS esse voluit: OMNES credentes esse in CHRISTO electos: id nos velle loco offendiculi ponere: & DEVM, & insipientiæ, & mendacii arguere: cum tamen, si salus nostra a viribus nostris penderet, quæ sunt, carnis imbecillitas, mundi peruersitas, Satanæ potentia: nemo saluaretur.

Hactenus Lutherus: cuius tanti viri, & tam illustris a DEO electi organi doctrinam de lapsis, & erectis primis parentibus nostris, hic breuiter consignandam duxi: plura dicturus: vbi de Apostatis, qui ad Turcas profugiunt, infra dicetur.

SECVNDA HORA.

987 HÆc hora est bibliotheca operum DEI viua: & obseruationes motuũ cæli, & astrorum, & effectuum eorum. Ecclipsium causæ & motus, nempe Lunæ, & Solis, durante longæua Patrum vita, cognoscuntur, & veluti per manus posteris traduntur. Hisce Patres eriguntur ad cælestia contemplanda: quibus hæreditas vitæ æternæ in CHRISTO promissa confirmatur, translatione Enochi in cælum. *Gen. 5. 24.*

Atque hic primus homo in cælum, procul dubio, (vt D. Philippus Melanchthon in suo chronico pie coniectatur) spectantibus aliis sanctis patribus, translatus, figura & typus CHRISTI in cælos adscensuri fuit. *Typus Christi in cælum ascensionis.* Talia miracula mundus, infidelis DEO, nullibi habuit. Vide diuinum Ioannis Iezleri tractatum; cui titulus est, de fructu mortis Dominicæ, & de totius religionis Christianæ statu, a mundi primordio vsq; ad eius finem.

TER-

TERTIA HORA.

EXistit tum apostasia vniuersalis, & Ecclipsis Ecclesiæ ante diluuium: concionante frustra Noacho incredulo mundo, paucisque fidelibus: quo tempore typus τῆς ἀπιστίας depingitur, futuræ ante vltimum CHRISTI aduentum 1. Pet. 3. *1536* *Gen. 6*



Diluuium typus est vltimi iudicii, & alterius ignei diluuii ad nouam rerum omnium, per Alchimiam cælestem, instaurationem; nempe κατακαλάσασιν in sacris decantatam. Quid si & anni in typis responderent; aut circa annum CHRISTI 1657. igneum diluuium veniret? quid si sextum millenarium excederet, & irrisores à D. Petro prædicti venirent: erit tamen DEVS in suis promissionibus verax: siquidem hæc temporum momenta non modo angelis occulta: sed etiam patefactio eorum ad ipsius mediatoris CHRISTI in terris degentis officium non pertinebat. *1. Ecclipsis Typus vltimi Christi aduentus.* *2. Pet. 3. 3*

Turris Babylonicæ ædificatio typus est Antichristi, ex luto figmentisque humanis solium in domo Domini & nubibus cæli, id est, in Ecclesia, Isaia teste, ædificantis, & spiritu oris eius collapsuri. 2. Thess. 2. 8. *1758* *Gen. 9. v. 4* *Typus Anti-Christi.*

Prima Monarchia Assyriorum est sub Nimrodo, concionante post diluuium 350. annis Noacho: cuius progenie non minus quam Adæ, viuentis, mundus repletus, & maior pars mundum secuta, plures terricolæ quam cælicolę extiterunt. *Esai. c. 14. 13. & c. 47. 1. & 8.* *1826* *Gen. 10. 8*

Vidit Noachus Nimrodum, Belum, Ninum monarchas regnantes. Ipse vero cum Sem, Arphaxat, Salach, Eber, Peleg, Regu, Serag, Nahor, Thara, & Abrahamo post diluuium non potens, sed cum DEO constanter ambulans recensetur. Moritur ætatis suæ 950. anno. *2006*

QVARTA HORA.

HIc de CHRISTO promissiones Abrahamo, Isaaco & Iacobo factæ incipiunt. *Gen. 11. 31*

Abraham vidit diem CHRISTI: excepit conuiuio Sacro-sanctam Trinitatem. *Gen. 18. 2*

Iacobo scala typica CHRISTI ad cælum ducens, monstratur ad confusionem præaltæ scalæ Babylonicæ: cuius ædificationem Sacro-sancta Trinitas, inter se colloquens, per confusionem linguarum in nihilum redigit. Quæ omnia typi fuere subsecuturæ collapsuræque in Ecclesia CHRISTI spiritualis Babylonis, per linguarum dona in Apostolos effusa; & vnam nunc linguam latinam; qua nunc Ecclesia, per vniuersum pene orbem, inter se de operibus DEI, ad ædificationem nouæ Hierosolymæ æternum duraturæ, colloqui potest. *Scala Iacobæa CHRISTVS. c. 28. v. 12* *Typus collapsura Babylonis spiritualis.*

QVINTA HORA.

Exod. 1. 10
2473
Seruitutis sub Anti-Christo typus.

ÆGyptiaca exercetur seruitus, typus duplicis seruitutis; primæ sub morte ac diabolo, a qua per CHRISTVM liberati: secundæ sub tyrannide Anti-Christi: in qua hic militandum, si qui coronandi: & eductio expectanda; mora DEO committenda: ipse opus suum inchoatum perficiet. Ante eductionem ex hac seruitute celebratur Pascha: quod erat typus agni illius nostri Paschalis, ante iacta mundi fundamenta vt mactaretur destinati.



Eclipsis secunda
c. 12. 28
1. Cor. 5. 7.

SEXTA HORA.

Exod. 12. 31
Typus liberationis nostræ
Desertum mundi.
Typus Euangelii prædicandi.

EDuctio superuenit typica, ex Ægypto typica in terram typicam, & per desertum typicum: in quo lustratio, delectus & censura militantium habita: & quidem in deserto typico huius mundi: in quo per varias tentationes, digredientes a terrestri terra recta ad cælestem ducimur. Et DEVS Ecclesiæ manifestaturus sese suæ, eam plerumque in desertum ducit, & a mundo abducit; vti in secuturis tam in veteri, quam in nouo Testamento mutationibus videre licebit. Verum eandem in tentationibus interdiu nube cælesti contegendo refocillat, vmbra sua: ne ab æstu nimio debilitetur. Lucet eidem noctu columna ignea verbi sui, quæ illam illuminat; hostes vero obfuscat.

SEPTIMA HORA.

Exod. 20
Lex pædagogus ad Christum
Gal. 6

LEgis promulgatio instituitur in deserto: quæ pædagogus noster, ducens nos ad CHRISTVM, fuit. Interea fideles sub tutore vel velamine Moysis, sub vmbris & typis constituti fuerunt, vsque ad aduentum summi illius prophetæ a Moyse prædicti Deut. 18. 18. Exstruitur & tabernaculum & arca fœderis quæ omnia typi fuere tum æterni tabernaculi: ad quod sub hoc terrestri suspiramus; tum æterni fœderis pangendi nobiscum in CHRISTO, assumturo carnem humanam, veluti arcam fœderis. Fideles DEI in deserto eodem spirituali cibo & potu vsi sunt, quo nunc Christiani. Biberunt enim ex hac Petra, quæ erat CHRISTVS: Verum non omnes spiritualiter: sicut & Petra secundum τὸ ῥητὸν non erat CHRISTVS; sed omnia CHRISTI beneficia designabat.

Exod. 20. 10
1. Cor. 10. 4
Sacramenta Veteris Testamenti.

OCTAVA HORA.

2494
Iosu. 3.
Iosua typus Christi
c. 6. 2

INductio in terram typicam occurrit: quæ fuit pignus & hypotheca vitæ æternæ, eiusdemque figura, per typicum Iosuam, quo CHRISTVS notatur: qui ei gladio cinctus apparuit, Dominum exercituum se nominans: ad quem consimili modo, exutis calceis, veluti Moyses, cum ei in rubo ardenti apparuisset, accedit.

Apostasia deinde & defectus à DEO, mortuo Iosua, accidit. Terra typica non lacte, melle aut quiete, sed bello & sanguine affluit, & seruitute premitur. Hinc pii à typica terra ad cælestem suspirare, & cælestia non terrena quærere, discunt. Iud. 2. 11

Mundus sub Hercule & bello Troiano inclarescit. Quod sane bellum Troianum toto orbe tunc celeberrimum, & antiquissimum, & tantopere à poetis Græcis, & historicis celebratum est, admixtis de Hercule & eius robore mirificis fabulis. Quod forsan Satan siue ad imitandas Samsonis vires siue ad illudendum ei, confinxit. Et tamen hæc mundus tunc admirabatur: hæc scriptis fabulosis ad posteros transmittit. Cæterum quid DEVS in terra typica per suos Hercules Moysen, Iosuam, Samsonem, Gedeonem, Iephten, Dauidem egerit; quomodo non vnam ciuitatem Troiam sed vniuersam Palæstinam, stupendis miraculis expugnarit: ista omnia mundo ignota sunt. 2881 *Status mundi & Ecclesiæ.*

Voluit quoque DEVS plura semper esse gentium regna: vt staret illud firmum, quod Moyses inquit de Israele: eum esse minimam portiunculam terræ, in qua DEO complacitum est. *Cur gentium extra Ecclesiam maior numerus, quam Ecclesiæ ipsius.*

Gentes vero relictas tum ad comparationem exhibitæ gratiæ, illis indebitæ: tum vt essent exercitia sub cruce, lucis in DEO quærendæ causa. Deut. 7. 7.

Israelitæ iudicibus spretis DEOq; cupidi gentium gloriæ in regno erigendo, pertinaciter petunt sibi dari regem: quibus datur Rex iræ DEI SAVL hypocrita & tyrannus tragico exitu. 1. Sam. 8. 5 1. Sam. 31. 4

Prophetica illustria vaticinia de CHRISTO incipiunt, tempore Dauidis. Ipse Rex in psalmis suis illustris propheta eminet, de CHRISTO & vocatione gentium vaticinatus. 2. Sam. 7 v. 12.

Latini & Athenienses sub regibus suis inclarescunt. Dauid non illorum, nec Assyriorum monarchiam, nec maiestatem Ægypti, aut mundi potentiam, quam minus, quam nihil esse ait; sed opera DEI miratur, & ianitor in postico domus DEI esse cupit.

Salomon omnium sapientissimus sequitur. Templi & aulæ eius maiestas stupenda, qualia mundi miracula nunquam visa aut videnda fuere, cito fiunt fragilia. Hi Typi sunt Constãtini Magni & noui reformatoris in Christianismo non diu durantis. Salomonis sapientia in prouerbiis, respectu Dauidicæ in psalmis, terrenum quiddam sapit. 1. Reg. 1. 39 1. Reg. 10. 23 *Typi reformatoris Euangelici.*

Accedit diuisio regni Salomonis & apostasia a DEO, & spoliatio templi Salomonis, quæ fit per regem Ægypti: typusque futuri status in reformatione Antichristi. Hinc fideles ad verum templum & aurea secula in cælis suspirare discunt. 1 Reg. 12. 16 & 30. &c. 1426 *Aurea in cælis secula.*

Inde imperant Samaritani reges decem tribuum, ob maiorem potẽtiam dicti (nomine magis catholico, seu vniuersali) Israelitici: quasi toto Israelis populo, Ecclesiaque eorum gloriantes: ad quos tamen subinde prophetæ *Typus moderni Christianismi.*

Vita æterna missi: inter quos inprimis claruere Elias & Elisæus: ille in cælum raptus, &
2.Reg.2.11 ad huius ossa mortuus iniectus è mortuis regressus est.
2. Reg. 13.21 2.Reg.1.v. 10.c.18.38. Viuentibus his Prophetis crebra audiuntur oracula; è cælo ignes decidunt in terram, & alia multa fiunt miracula: quæ tamen impios reges ad
Miracula quid infidelibus. tempus consternatos, non renouatos, & DEO obedientes reddidere. Talia miracula in nullis gentium historiis facta leguntur: nisi in solo populo DEI: quicquid ethnici de suis oraculis, & inprimis Apollinis, fabulentur. Remitto lectorem ad pulcherrimum tractatum Ioannis Ieczleri, cuius supra memini in hora secunda.

Alii autem reges tribui Iudæ, & Beniamin tantum imperantes, dicti reges Iudæ. Ipsi vero Reges Israelitæ, idololatræ & pagani ex magna parte
Typi regum Christianorum. erant: Iudæ reges ex aduerso legi DEI adhærebant, permixti tamen hypocritis: inter quos illustres Ecclesiæ reformatores Asa, Iosaphat, Ezechias, Iosias. Vrias autem summus sacerdos, apostata & adulator sub rege suo Achas
2.Reg.16.11 factus, miscet veram doctrinam cum gentilium paganismo: omnes typi, futuri inter christianos status.

NONA HORA.

Typi pœnarum DEI in Christianos degeneres. Finis succedit regni & regum Israel, ob idololatriam & contemtum verbi DEI. O ne sint typi christianorum! Vide huius rei, probeque nota causam 2.Reg.17.6.

Tum quoque mundus Olympiadas, & Romulum celebrat. Esaias in deserto gloriam DEI contemplatur.

3256 *Herodotus* 2.Pet.1.21 Circa eadem tempora Herodotus suas Historias scribit. Sic nihil scriptura sacra, à Spiritu Sancto dictata, antiquius. DEVS populum suum docet per Prophetas, Ionam, Oseam, Amosum, Esaiam.

Regnum regum Iudæ considerandum, post abductas decem tribus, & euersum regnum Israel: vbi boni malis permixti. Hic typus Euangelicorum tum in reformatione & repurgatione Ecclesiæ, tum in apostasia: inter quos
Lustratio militum Christi. lustratio ex prædictione Nahum 2. futura.

Prophetæ, Micheas, Nahum, Habacuc, Ieremias, Sophonias post abductas decem tribus inclaruerunt.

3355 Finis regni & regum Iuda ob idololatriam, gentilismum, Samaritanis-
2. Reg 25.7 mum & contemtum verbi DEI secutum.

Percurrendum autem puto breuiter, quales reges Iudæ & Israelitici fuere. Post Dauidem & Salomonem, subsecuta diuisione regni, numerantur
Reges Iuda & Israel quales reges Iuda viginti & reges Israel nouemdecim. Ex regibus Iuda boni septem: sed qui suos quoque habuere næuos & lapsus.

1.Reg.12.14 Roboam sequitur qui iuuenum consilia secutus amittit decem tribus
2.Par.13.17 1.Reg.15.3 Israel. Abias, Ieroboamum regem Israel acie vicit, cæsis quingentis millibus hominum:

hominum: & tamen in peccatis patris sui ambulasse scribitur. Asa exerci- 2.Par.14.13
tum Zeræ regis Æthiopum, qui constabat ex millies millibus hominum, &
trecentis curribus, implorato auxilio diuino, cui est facile paruis magna 1.Reg.15.12
vincere, ad internecionem cædit: idola ex Iuda eiicit; matrem idolis ser- 2.Par.15 6
uientem loco mouit. Næui autem eius fuere, quod cum Benhadad rege c.16.3. & 10
Syriæ fœdus inierit: ob quod ab Hanania Propheta obiurgatus, eundem v.12
carceri inclusit: & ægrotans pedum dolore remedium non à DEO, sed a me-
dicis tantum petiit. Iosaphat visitat & reformat ecclesias, obiurgatur a pro- 2.Par. 17.
pheta Iehu: quod impii Achabi socius in bello, ex quo vix saluus euasit, fa- 6. & c.19.2
ctus sit. Victoriam contra innumeram multitudinem Ammonitarum,
Moabitarum & Idumæorum hac precatione obtinet: cum nescimus quid
agendum sit, oculi nostri ad te, Domine DEVS respiciunt. 2 Par, 20. 2.Par.26.8
vers. 20. Vsias, qui à pietate & apparatu militari & peritia rei militaris, per
quam & hostibus formidabilis erat, laudatur. Tandem stabilito suo re- v.16
gno dicitur elatus corde fuisse, & temere, dissuadentibus id sacerdotibus,
munus in templo adolendi sibi sumsisse; ob quod lepra percussus fuit, & ex
ea, vsque ad mortem non conualuit. Ioathamum filium eius pium, belli- c.27.2
cosum & fortem principem laudans scriptura, addit: sed sub quo excelsa
omnia non sunt remota. Superuenit Ezechiæ regis insignis reformatio ec- 2.Par.29.3 2.Reg.18.4
clesiæ, serpentis confractio, & miraculosa victoria contra Sennacheri- c.19.35
bum, & ex morbo conualescentia. Verum idem, inuisentibus eum legatis c.20. & 2. Par.32.24
regis Babylonici, cum illis thesauros suos & bellicum apparatum monstra- 2.Reg.20.
ret (quibus forsan legati abusi sunt, adscribentes victoriam contra Senna- 13 19
cheribum potentiæ Ezechiæ) obiurgatus ab Esaia, cum denunciatione sub- 2.Par.32.31
secuturæ pœnæ in filios suos, & distrahendis omnibus quæ monstrauisset,
DEO sese submittit, expetens tantum pacem & veritatem in diebus suis. Se-
cus fecere Saul & Achab. Causa huius castigationis Ezechiæ recensetur 2.
Par. 32. v. 25 Primo ingratitudo pro beneficiis DEI: secundo, quod cor ipsius
fuerit ob tanta DEI beneficia elatum. Vbi recordemur assidue istius, quod
Dauid petit; se regi à DEO: ne rebus secundis elatus & securus factus, id
quod ei contigit, delinquat contra suum benefactorem DEVM; inquiens:
ego cum prospere mecum ageretur, cogitabam, me non commotum iri. Psal 30.7
Verum quamprimum tu, Iehoua, DEVS meus, abstraxisti manum tuam, sub-
ito concidi. Item, probasti nos, sicut aurum & argentum, in fornace tribu- Psal.
lationum: & humiliando me, bene mihi fecisti, vt discerem statuta tua, & er- Psal.119.71
rantes in viam quoque rectam deducerem: Sic & de Ezechia dicitur supra
allegato capite v. 31; Cum mitterentur legati Babylonici ad Ezechiam,
percontaturi de miraculo illo ægrotante Ezechia facto: DEVM deseru-
isse Ezechiam ad probandum eum, & notum faciendum occulta cor-
dis eius. Vnde scriptura innuit, Ezechiam monstrando armamen-

tarium suum Legatis Regis Babylonici hoc egisse: vt & sibi aliquid gloriæ in cæso ex exercitu Sennacheribi tribueretur. Quare assidue DEVS exorandus: ne nos deserat, ne & nos illum deseramus: sed vt sit pastor noster regens nos virga & baculo suo pastorali: ne in auia & syluestria loca a pastore ac communi ouium cætu ouilique CHRISTI, quod est sancta eius Ecclesia, alio deflectentes præda lupis Anti-Christi & Satanæ fiamus: vti & hic versiculus sonat.

Duc me, nec sine, me per me, DEVS optime duci.
Nam, duce me, pereo; te duce, saluus ero.

2. Par. 34. 21. & 33 c. 35. 20. 24. Iosias, qui præ omnibus regibus Iuda a pietate laudatur; & incredibili Zelo in reformanda ecclesia post abductas decem tribus Israel, demonstrato: tandem, suscepto non necessario contra Nechonem regem Ægypti bello, in eodem occiditur: quem quomodo Ieremias defleat, Lamentationes eius monstrant.

Felix, quem faciunt aliena pericula cautum. Hæc ideo breuiter commemorantur: vt etiam piissimi quique reges, Principes, magistratus, & domini discant salutem suam cum timore & tremore filiali peragere; Verbo DEI adhærere; & Prophetis DEI obedire; res non necessarias non suscipere: non efferri animo in rebus secundis, nec frangi aduersis: sed cum fiducia adhærendo soli DEO siue castiganti, probanti, & humilianti, siue euehenti nos, semper modeste & humilime coram eo incedere. Nam si DEVS tantis suis & tam sanctis & illustrissimis organis, vti Dauidi & iam commemoratis regibus, & posteris ipsorum ob lapsus & næuos eorum nō pepercit: si hoc in viridi factum, ecquid nobis multum sæpe arescentibus pœnarum non timendum? Apparet hic quoque illud Apostoli verum esse: neminem iustificari coram DEO operibus suis: sed omnes peccatores esse, etiam sanctissimos viros: in quibus etiam mensura roboris & imbecillitatis humanæ conspicitur: vt omnis mundus reddatur obnoxius DEO; & obturetur omni carni os: ne quæ caro coram DEO & contra DEVM, sed in solo DEO, qui exercet iudicium, iustitiam & misericordiam in terra, glorietur. Considerandum quoque in istis piorum regum plenis summi Zeli DEI reformationibus: nunquam eo peruentum fuisse: vt Ecclesia plene ab omnibus sordibus expurgaretur: quinimo sublatis e medio istis piis reformatoribus creuisse omnis generis horrendos errores & idololatriam: ob quæ peccata, & pœnæ secutæ sunt. Quæ omnia, vtinam ne sint typi subsecuturarum inter Christianos reformationum! Sic enim scriptura sancta de reformationibus omnium regum loquitur, inquiens. Veruntamen excelsa non sunt amota, adhuc enim populus sacrificabat in excelsis. Hęc cantilena & nunc omnibus occinitur principibus. Tanta scilicet est humanæ mentis peruersitas: vt a speciosis istis idololatricis cultibus, & fictis sacrificiis, nullo modo populus auelli queat!

Marginal notes: *Eph. 2. 9. Rom. 3. 23.* — *Typus reformationum in Ecclesiis Christianorum.* — *1. Reg. 15. 14. c. 22. 44. 2. Reg. 15. 4.*

Conspi-

Conſpiciuntur quoque duo reges initio boni & deinde degeneres facti, alter Ioaſch, quem Zacharias Propheta obiurgans lapidibus obruitur: tandem & ipſe a cõiuratis interficitur: alter Amazias qui ſuſcepturus bellũ contra Idumæos, conductis centum millibus ex Iſraelitis, & obiurgatus à Propheta, ne infideles ad bellum ſecum duceret, obtemperat quidem & obtinet victoriam. Sed cum Idumæorum idola coleret, & iterum obiurgaretur a Propheta, reſpondit: quis te conſtituit iudicem: vtque diſcedat, niſi verberibus affici velit, iubet: hinc bellum non neceſſarium cum Ioaſcho rege Iſraelis gerens, interficitur. 2. Par. 24. 21.25. 2. Par. 25.10 v. 16 v. 17. 27

Degeneres reges Iudæ ſunt, Iehoram, Ochozias, qui interfectus, Achaz Pater Ezechiæ, impius idololatra & apoſtata, vna cum ſupremo ſuo ſacerdote Vria: Amon filius Manaſſes & pater Ioſiæ, & degeneres quidam filii Ioſiæ, amplexi Samaritanam & gentium religionem; & ob id Babylonem deducti, typi ſunt quarundam apud Chriſtianos mutationum. Vbi quoque apparet, dona illa Dei non eſſe hæreditaria in filiis regum: ſed gratia Dei conferri & dari iis, quibus vult, & quando vult. Ex Ioathamo pio rege filius degener naſcitur Achaz. Ex hoc magnus ille Ezechias; ex hoc Manaſſes degener, idololatra & tyrannus pœnitentiã agendo propoſitus eſt pro exemplo aliis peccatoribus, pœnitentiam ſeriam acturis: quæ nunquam ſera, ſi vera eſt. Etenim Manaſſes, ſicuti omnes degeneres reges Iudæ male agendo ſuperauit: ita deductus Babylonem regeneratur ibidem in alembico crucis, & purgatus à ſcoriis fit illuſtris in Eccleſia Dei reformator: cum antea fuerit deformator & deſtructor eiuſdem. Cui filius degener Amon idololatra, pater Ioſiæ magni illius & vltimi reformatoris, ſuccedit. Cauſa vero omnium apoſtatarum eſt illa, quæ in apoſtaſia Achazi recenſetur 2. Par. 28. v. 23. nempe ideo illum verum Dei cultum deſeruiſſe, templum clauſiſſe, infinita altaria, etiam in plateis vrbis, externæ coram hominibus hypocriſeos cauſa, ædificaſſe: atque ita, adiuuante ſummo ſacerdote, idola Syrorum ſibi colenda propoſuiſſe; geſtans illud in ore: ſiquidem dii regum Syrorum cultoribus ſuis opitulentur: ſe quoque illis ſacrificaturum, vt & ſibi auxilium ferant &c. Verum addit ſcriptura: hunc idolorum cultum fuiſſe Achazo ad ruinam & toti Iſraeli. Tales certe nunc ſunt omnes noſtri ſeculi apoſtatæ; viri nonnulli tum docti tum illuſtres perſonæ, ſed athei: qui excuſſo iugo Christi Babylonis caſtra, terrenarum rerum cauſa, ſequuntur: ſecundum Virgilianum illud: 2. Par. 21. 6. c. 22. 3. Typus modernorum Apoſtatarũ. c. 28. 1. 2. c. 33. 22. 2. Reg. 16. 3. c. 18. v. 1. c. 20. 21. Reſipiſcẽtes. 2. Par. 33. 12. 15. Cauſa omnium apoſtatarum. 2. Par. 28. 23. ibid.

Flectere ſi nequeo ſuperos Acheronta mouebo.

Quorum gloria eſt cum confuſione, & finis exitium corporis & animæ. In reliquis vero regibus iam commemoratis, qui partim boni partim mali erant, admonentur omnes reges, & magiſtratus ad aſſidue vigilandum, &

orandum: ne inducamur in tentationes: multo vero magis, ne concidamus in illis: & vt obediamus Prophetis DEI: prout illustris illa adhortatio Azariæ Prophetæ ad regem Asa facta sonat 2. Par. 15. 2. Non dubito tamen: quin etiam horum degenerum regum Iuda nonnulli, & forsan Israeliticorum aliqui pœnitentiam cum Manasse egerint: quibus culpa condonata: licet pœna in corpus secuta sit. Vnde de nullo hominum desperandum, quam diu viuit: nam iudicia humana oculis nostris conspicua in diuinis cæcutiunt. Accidit hoc Eliæ: qui existimabat, se solum esse ex electis DEI relictum. Ac impii Ieroboami filio Abijæ mortem Achias prædicens ait: huic soli è domo Ieroboami aliquid boni erga Iehouam DEVM Israelis inesse: 1. Reg. 14. 13. Ioasch Rex Israel inuisit morituruum Eliseum. Monstrati sunt Ezechieli suspirantes, à DEO an habone Spiritus S. signati. Huc pertinet parabola CHRISTI de operariis diuersis horis in vineam conductis. Et certe in ipso agone mortis potens est DEVS eripere electos suos è faucibus Satanæ; à quo vincti detinebantur: & in illis purgare per ignem tentationis & consolationis inde sequentis, quæ purganda sunt: præsertim si fundamentum illud vnicum, extra quod nullum aliud poni potest, quod est CHRISTVS, consistit: in quo, cælesti alchimia Spiritus Sancti; stipulæ, ligna, stramen, fænum igne tentationum exuruntur: argentum vero & aurum reiectis scoriis, misericordia & gratia DEI ineffabili, gratis in CHRISTO purgantur: ne quis desperet, ne quis glorietur.

Occulta in regenerādis hominibus DEI iudicia. De nullo peccatore desperandū, sed pro eo orandum. 1. Reg. 19. 10. 2. Reg. 13. 14. c. 9. 4. Matth. 20.

Etenim si tinctura lapidis Philosophici momento pene metalla in aurum transformare potest: quanto magis veri illius æterni lapidis CHRISTI philanthropi, per Spiritum Sanctum, tinctura, absque commentitio igne purgatorio, id efficere potens est. Visum id in latrone pendente cum CHRISTO in cruce: qui hac Spiritus Sancti tinctura in ipso agone mortis regeneratus, agnoscit CHRISTVM, tam ignominioso supplicio affectum, pro vero Messia Theanthropo: & paradisi cælestis Domino & suo vnico opitulatore. O altitudo! Sic Naaman Syrus, quamuis debilis fide, sanatur à lepra corporis & animæ. Quanquam tantis & raris priuilegiis DEI non abutendum: sed ei innitendum, quod Apostolus ex psalmis citat: inquiens, hodie si vocem DEI audieritis: ne obturate aures vestras & corda vestra.

Simile de tinctura. Tinctura Spiritus Sancti in conuertendis in agone hominibus singulare DEI priuilegium. Luc. 23. 42. 2. Reg. 5. 13. Heb. 3. v. 8. Psal. 95. 8.

Hac tinctura in vtero matris tinctus Iacob egressurus ex vtero certabat de primogenitura cum Esau fratre. Sic Ioannes Baptista in vtero matris subsiliit exultando Sed hæc hactenus.

Gen. 25. 26. Luc. 1. 41.

Ex Israeliticis autem regibus, quorum dixi nouendecim fuisse, interfecti sunt nouem & decimus captus. Victores contra reges Iuda erant, Ioasch, qui Amaziam cepit. Item Pekah, qui cum Rezino rege Syriæ cædit Achazi centum viginti millia, & abducit ducenta millia captiuorum. Victores

Israelitici Reges. 2. Reg. 14. 13. 2. Paral. 28. v. 6. 8. 1. Reg. 20. 29. & 33.

ctores contra gentes erant Achab, qui centum millia Syrorum, capto Benhadad rege eorum, cecidit: Ioram Moabitas, Ioasch ter Syros vicit: & quidem hi tres ductoribus Prophetis. Verum hi reges, quod summopere admirandum & dolendum, neque tantis victoriis ex prædictionibus Prophetarum reportatis: neque miraculis ab illis exhibitis sincero DEI cultui & legi diuinæ adhæserunt: quanquam Ioramus scribitur idola Baalis deiecisse. Non flexit Ieroboamum, idola erigentem, manus sua arida facta & vicissim per Prophetam sanata. Non Achabum conuerterunt tanta miracula ab Elia facta: non ignis de cœlo descendens & consumens victimam Eliæ: non mortui excitatio, & alia innumera miracula: adeo vt hoc verissimum & immutabile axioma sit: qui non credit Moysi & Prophetis, non credet: etiamsi quis, à mortuis resurgendo concionaretur illi. Hinc quid sentiẽdum de eiusmodi doctoribus, vel potius seductoribus: qui regibus, principibus, & magistratibus, imo omnibus christianis Sacram scripturam dubiam reddere conantur. Nonne palam in se demonstrant: quod omni fide de DEO, & vita æterna destituantur? Cumq; ipsi sint Epicurei, Sadducæi, & athei, alios ad idẽ adducere, & à verbo DEI abducere nituntur: quo saltem auaritiæ, idololatriæ, superbiæ, voluptatum suarum terrenarum, & imperii sui terrestris promouendi, & stabiliendi habeant patronos & promotores. Talis fuit cornutus ille Zedechias pseudopropheta: qui Michiam Prophetam, verbum DEI loquentem, mendacii arguebat & in faciem feriebat. Quare ex prædictione Prophetę vna cum impio Rege Achabo periit. Ac vix in ipsis ethnicorum historiis reperientur horribiliores regum lanienæ: quam inter reges Israel: nulla stabili stirpe regia diu regnante: sed seruis sicariis regum suorum regnum inuadentibus & occupantibus. Quæ omnia erant pœnæ spretæ legis diuinæ, & idololatrici cultus.

1. Reg. 3. 24. c. 13. v. 25

Qui non credit Moysi & Prophetis nec miraculis credet.

2. Reg. 3. 2

1. Reg. 13. 5. 7

1. Reg. 18. 38 c. 17. 22.

Luc. 16. 31

Qui verbũ DEI in dubium vocãt, & ab eo abducunt sunt atheistæ.

Cornuti pseudopropheta.

1. Reg. 22. 24.

ibid. v. 37

O attendant hæc omnes reges, principes, & omnes promiscue: ne aures eiusmodi Satanæ organis præbeant: qui eos, sicut Satan primos parentes in paradiso, à certitudine verbi DEI ad dubitationem de eo, & à simplicitate eius ad sua commenta adducat: quales & nunc sunt infinitæ traditiones, & superstitiones humanæ, ex quibus idololatria, & omnis generis scelera manant: vti in regibus Israel visum: adeo vt (relicto quoque de nonnullis hisce regibus iudicio DEO) ne vni quidem scriptura præbeat testimonium, quod DEO placuerit: & tamen potentiores erant regibus Iuda: & generali nomine Israelitici vocabantur, & multitudine sua gloriabantur. Populo quoque Israelitico quid volubilius erat: qui ad placitum regum suorum idola secuti, & victoriis eorundem abusi sunt? Quanquam illustriores victoriæ, & miraculosæ apud reges Iuda conspectæ sint: quæ erant signa præsentiæ diuinæ: quam facile DEO esset, parua manu, & vno momento vniuersum mundum debellare: nisi hic prius nobis militãdum esset: & vt appareret, regnũ CHRI-

Admonitio ad pios magistratus contra pseudoprophetas

Signa præsentia diuinæ.

Regnum

Christi & suorum fideliũ non est ex hoc mũdo STI, cui hi pii reges militabant, non esse ex hoc mundo: & vt redacta in stultitiam omni sapientia, & potentia humana, tandem in futuro seculo cerneretur admirabilis in suis Sanctis: qui eum, quocunque vocauit, siue vincendo, siue cadendo hic in terris secuti sunt: quo in æternum cum illo Duce suo æterno triumphent. Expetenti enim Moysi, vt DEVS in deductione populi sui per desertum gloriæ consuleret suæ, deducendo nimirum Israelitas sine seueriore iustitiæ suæ administratione: ne plerisque extinctis, ipsi deinde fabula gentibus forent: & DEI omnipotentia in his conseruandis in dubium *Num. 14. 21* vocaretur: respondit diuinum oraculum, Viuo ego, quod gloria Domini replebitur vniuersa terra: adeo certum est DEI gloriam vt plurimum tum demum elucescere: cum ab omni sapientia humana remotissima est.

Nec dubium est: quin interitum in bello Iosiæ regis, & aliorum piorum regum Iudæ paternas DEI castigationes Baalitæ Baali suo adscripserint: quasi reformationes istas in Ecclesia à piis istis regibus factas vltus sit. Quare quotiescunque videmus pios magistratus, doctores, & quosuis homines aliqua insperata, crudeli, & violenta morte è medio etiam per malos homines tolli: aut in ipso lectulo insolitum aliquem agonem pati: consideranda est passio, & agon, & mors CHRISTI: quæ omnia iam nobis in CHRISTO cõsecrata sunt: in quo nunc quoque vita nostra cum illo abscõdita est. Ac quia CHRISTVS sua passione pro nobis satisfecit: potens est DEVS etiam istos agones, qui iudicio humano videntur esse graues, mollire: vti de martyrio S. Laurentii scribitur: imo cælum tunc aperire: sicuti S. Stephano proto-martyri CHRISTI. Sic sæpe pueruli morituri balbutiendo magis sublimia & illuminata, quam illuminatissimi nonnulli doctores de vita æterna & spe certa sibi in CHRISTO proposita proferunt: quæ omnia eo tendunt: ne quis glorietur in sua sed in sola virtute, & potentia DEI: quæ in imbecillitate humana perficitur. Apparuit hoc in magno nostri seculi quodam Theologo: qui moriturus subiunxit ex psalmo: obmutui, quia tu Domine fecisti. De quo vide pulcherrimum Wilhelmi Perkinsi librum, quem inscribit myrotheciũ & εὐζωΐα. Videat ergo mundus, & iudicet de operibus DEI: vti & impudentissimus mendax Lucianus, consarcinatis inauditis calumniis CHRISTI passionem & martyrium deridet: nihil certe talia mundi iudicia, & mendacia fidelibus CHRISTI nocebunt: teste S. Paulo dicente; Quis nos iudicabit? CHRISTVS est, qui iustificat. quis nos separabit a charitate DEI? sicut *ad Rom. 8. 33.* scriptum est, tui causa occidimur, & reputati sumus velut oues destinatæ mactationi: imo in his omnibus ὑπερνικῶμεν plusquam victores existimus.

Finis regni Israelitici & Iuda typus subsecuturi Christianismi. Pro conclusione huius discursus, & hoc diligenter omnes considerent: quam tristis exitus fuerit regni Samaritici: quam tetra, & tragica morte multi regum horum è medio sublati: quomodo decem tribus Israel ab illis seductæ, & se seduci passæ in perpetuam captiuitatem, ex qua non rediere, abductæ

ductæ ſint: & quomodo hoc regnum idololatria pollutum DEVS viciſſim ad
puriores reges Iudæ tranſtulerit, facto fine regni iſtius idololatrici. Notan-
dum inſuper, quomodo ne his quidem pœnis Iſraelitici idololatræ ab illo il-
luſtriſſimo reformatore Ezechia, inuitante eos ad celebrandum Paſcha, fle- *2. Par. 30. 10*
cti non potuerint, deridendo mandata regis ſui: &, quod magis dolendum:
etiam Reges Iudæ vna cum populo tandem in captiuitatem Babylonicam
abducti fuerint. Ah quam triſtiſſimum ſpectaculum Eccleſiæ DEI fuit: cum
cerneret tantas calamitates filiorum Ioſiæ tam pii, & ſancti regis! Ioachaz *2. Par. 36. 5.*
enim filius eius deiicitur è regno à Nechone Rege Ægypti, & deducitur in
Ægyptum: cui frater eius Ioakim, qui & Eliakim dictus ſufficitur. Verum & *v. 4.*
hic ob contemtum verbi DEI & Prophetarum à Nabuchodonozore Ba- *2. Par. 36. 6*
bylonem ductus ibidem moritur: cui ſucceſſit filius eius Ioakin, qui & Ieko-
nias dictus, cuius voluntariam in Babylonem migrationem & eiuſdem ibi- *2. Reg. 24.*
dem exaltationem Ieremias deſcribit, atque in locum eius ſubrogatus Ze- *14*
dechias agnatus eius, cum fidem iuramento datam Nabuchodonoſori fre- *c. 52. 31.* *& 2. Reg.*
giſſet, deducitur Babylonem; Hieroſolyma & tota Iudæa vaſtatur igne: gla- *25. 30*
dio nulli parcitur; relicti abducuntur. O quam hoc triſte ſpectaculum piis, *Ier. ibi. v. 11.*
quam Baalitis gratiſſimum! Cauſam harum calamitatum adfert Scriptura 2.
Paral. 26. v. 16. inquiens: contemnebant verbum DEI, Prophetis illudebant,
habentes eos pro ſeductoribus. Ah quam efficaci analeptico opus fuit popu-
lo DEI in hac tum comœdia filiorum DEI tum tragœdia infidelium, inci-
piente DEO ſua iudicia à domo ſua, & peracturo in impiis!

Hic proculdubio in Ioachazo filio Ioſiæ, & Ieconia nepote eiuſdem filio *Deſertum*
Ioackimi impii impletur: quod de quibuſdam deducendis in deſertum, & *filiorum* *DEI à Pro-*
ibidem probandis & purgandis à Prophetis prædictum fuit. Nam cum ho- *phetis præ-*
rum regum alter in Ægyptum, alter Babylonem deductus, & regno terreſtri *dictum*
vterq; priuatus eſſet: iam velut in deſerto mundi commorantes, ſentiunt *Oſeas 2. 14.*
procul dubio ex prædictione Oſeæ cap. 2. ſe ad meditandum cæleſte re-
gnum deduci. In quo ſane deſerto promittit DEVS per Prophetam, ſe ad
corda electorum ſuorum locuturum: & vera ſpe vitæ, & regni æterni illos
ditaturum, atq; in æternum ſibi ceu ſponſus ſponſam deuincturum. De quo
deſerto paſsim Prophetæ loquuntur, vti audiemus.

Quæ ſane videntur eſſe typi poſt illuſtrem aliquem Ioſiam & cladem Go-
gi atque Magogi, vltimi illius ſtatus chriſtianiſmi: & tandem ſecuturæ vlti-
mæ apiſtiæ, ceu captiuitatis Babylonicæ: ex qua per æternum Zorobabelem *Typus æter-*
CHRISTVM educti, iam non ædificabimus: ſed ædificata fruemur in om- *ni Zoroba-* *belis & no-*
nem æternitatem, noua illa cæleſti Hieroſolyma. *ua Hieroſo-* *lyma.*

De Proſelytis quibuſdam, qui erant prodromi vocationis gentium ſub
hoc lunari Horologio, quoque aliqua mentio facienda eſt. Ex horum nu- *Gen. 20. 6 c.*

mero fuerunt Abimelech rexPhilistinorum, qui Abrahamum nouit, & cum
a.41 illo conuersatus est, & Pharao rex Ægypti Iosephi tempore, item Regina
1.Reg.10.9 2.Reg.5.17 Sabæ, Naaman Syrus à lepra sanatus; Nabuchodonosor primo ob super-
Dan.4.37 biam euersus deinde à DEO conuersus: prout ex illustri illius con-
Isa.44.13 Dan.6.27 fessione apparet: Item Cyrus ab Esaia prædictus: Darius tempore Danielis, & alii multi nobis ignoti proselytæ. Ac cum considero Iosephum & Danielem, eos non modo Prophetas DEI fuisse; sed quodammodo reges, & supra reges, etiam in administrando politico regimine extitisse: si quidem horum auctoritate regna illa regum istorum, quibus inseruiebant, imo ipsi reges regebantur: monstrasse DEVM coniicio: si regnum CHRISTI esset ex hoc mundo, quam facile illi esset, fideles suos cultores tanta sapientia in administrando mundo donare, vt vniuersum mundum sibi subiicere possent. Sed quia alius finis fuit DEO, vt scilicet demum succedentibus seculis admirabilis redderetur in suis Sanctis: sic hæc ita semper temperauit, temperat & temperabit vsque ad consummationem seculi. Ni-
1.Cor.3.22 hilominus tamen verissimum illud est, quod Apostolus inquit; siue vita siue mors, siue mundus, omnia sunt vestra, vos autem CHRISTI.

DECIMA HORA.

Schola crucis schola lucis. BAbylonica imminet captiuitas, desertum illud toties à Prophetis prædictum: in quo Ecclesia ad cognitionem lucis sub schola crucis duci debuit, à terrenis ad cælestia. Typus euersionis Ecclesiæ sub Anti-christo: vbi semper magis captiuitas animæ quam corporis metuenda: in qua erant Prophetæ, Ieremias, Ezechiel & Daniel, durante captiuitate Babylonica.

3435 Secunda Persarum Monarchia constituitur: in qua Cyrus nominatim
Esa.c.45.1 ab Isaia, 348. annos ante prædictus. Sub quo reditus ex captiuitate, ex prædi-
Ier.c.29.10 Dan.9. ctione Isaiæ, Ieremiæ, Danielis, & secundi templi ædificatio, impendentibus gentibus, & Samaritanis coniunctim, concedebatur.

Typus reformationis Euangelicæ. Typus apparet Euangelicæ reformationis, Zach. 3. Ecclesia quidem incipit reformari, sed cito sub cruce & hypocritis suspirare instabilia omnia cernens: Prophetæ, Malachias, Zacharias, post reditum ex Babylone, docent.

Plato. Aristoteles. Epicurus. Superuenit tertia Monarchia Græcorum Alexandri Magni à Daniele prædicti: in qua Platonis, & Aristotelis præceptoris Alexadri Magni scripta celebrantur: Moysaica, & prophetica, in linguam Græcam translata Biblia, spernebantur: Epicurum docentem mundus audiit: & multi ex Israelitis etiam, qui deinde Sadducæi dicti, easdem partes sunt secuti.

Alexan-

Alexander Magnus, qui citò creuit, citò intra septennium perit.

Anarchia postea oritur mundi, distractioque regnorum Alexandri: 3648
mundo, & hypocritis etiam calicem iræ DEI ex prædictione Ieremiæ 25. vers. 15. cap. bibentibus: &, vera Ecclesia crucis item calicem cum gratia DEI degustante, &, in deserto habitante, ex prædictione Oseæ 2. 14. Ezech. 34. 25.

Bella Punica cum Carthaginensibus geruntur: Victoriæ, maiestas & triumphi Senatus populique Romani prodeunt. 3770

Ecclesia gemit in deserto.

VNDECIMA HORA

TRuncus Dauidis conspicitur: cum vltimus huius stirpis Iannus seipsum cultro interfecisset.

Antiochus Epiphanes à Daniele olim cap. 11. prædictus typus fuit Antichristi.

Antiochus Epiphanes typus Antichristi.

Maccabei postea extraordinario excitantur: ecclesia paulisper prodit: sed proditur & venditur à summis sacerdotibus, quibus omnia venalia. Nomen DEI blasphematur inter gentes.

1. Mac. 2. 27 lib. 2. Mac.

Typi isti sunt futurarum rerum inter christianos.

Romani triumphant. Sadducæi, in cathedra Moysis sedentes, ex lege DEI contra legem docent: solaque Moysis cathedræ, id est, templi possessione, contra expressam vanæ istius gloriationis redargutionem, à Prophetis factam, intumescunt: DEVM Israelis profitentes, à DEO Israelis populum per traditiones suas abducunt: nouas leges legi DEI contrarias sub pallio Moysis, condunt. Hinc diuinas leges, quasi essent imperfectæ, cum in dubium, & ipsi secum, & coram populo vocassent; incipiunt de legumlatore DEO, & promissis eius ministrisque dubitare. Vnde in atheismum prolabuntur: mortuorum resurrectionem, & vitam æternam negant: atque ita socii Epicureorum fiunt; & se mundo incredulo (fascinati eius maiestate, & triumphis Romanorum) consociant. Typicas de terra Canaan promissiones carnaliter interpretantur: DEVM ventrem colunt: omnes promissiones futuri seculi derident. 3850

III Ecclipsis Ecclesiæ.

Hic quoque typi vltimæ apistiæ ante Christi aduentum elucescunt. Ac certe nunquam subtiliores Sadducæismi doctores fuere: quam nunc genus hoc hominum: qui libros de imperfectione Sacræ scripturæ (proh horrendum scelus!) edere, veritatem DEI, & certitudinem salutis nostræ in dubium vocare non verentur: quo scilicet simplices suis legibus deuinciant: alios omnibus legibus, & ipsa conscientia exuant: & ad ἄνομον illum 2. Thes. 2.

Moderni Sadducæi & Atheistæ.

Ad apostasiam doctores & seductores. v.8. prædictum, deducant. Quibus duobus fundamentis auctore Satana, omnes nostri seculi apostatas ad se alliciunt. Apud quos enim lex DEI & certitudo salutis in dubium vocata fuit: tales paucitate membrorum Ecclesiæ, & specie contemtibili, qua Simeon, Zacharias, Anna, Elisabeth, Ioseph, Maria, & alii pauci, erant, facile offenduntur: & Pharisæorum figmenta, Herodisq; aulam ventris causa sequuntur.

3901 Seculum sequitur Simeonis, Annæ, Zachariæ, Elisabethæ, Iosephi. *Typus ultima apistia: Esa.1.8. Ose.1.30* Typus reliquiarum Ecclesiæ, & paucitatis, ex prædictione Isaiæ, Oseæ, ante vltimum CHRISTI aduentum.

Hierosolyma terrestris a Romanis capitur: templum spoliatur: cælestis vero Hierosolyma, templique æterni fundamentum ponitur, gentibus incognitum, & ab hypocritis in populo DEI spretum.

DVODECIMA HORA.



Dan.28.49 Dan.2.4. & 7.23. Mundus ignorat opera DEI & se in suis oblectatur. RAdix Iesse pullulat sub quarta Romanorum Monarchia, à Moyse sub vexillo aquilæ, item Prophetis, & Daniele inprimis prædicta: quam inchoauit Iulius Cæsar, cuius monarchiæ summa, & tremenda potentia, & hactenus nunquam in mundo conspecti triumphi, & summa maiestas mundo patet: Ecclesia DEI latet. Illic triumphi caduci celebrantur, & tragici: mundo pro regno terreno laborante, & fictitios deos colente: piis vero ceu in deserto Messiam expectantibus: germinante interim radice IESSE, mundo incognita: id est, conceptio æterni filii DEI in vtero beatissimæ virginis Mariæ, promissio seminis mulieris ad conterendum caput serpentis, absoluitur.

Viæ DEI Esa.49. cap.45. O quam sunt viæ cogitationesque diuinæ ab humanis dispares, atque vti cælum à terra remotæ! Ergo orandum, *Adueniat regnum tuum*; superna quærenda non terrestria: & Ieremiæ ad Baruchum consilium de non quærendis altis rebus in mundo, sequendum: siquidem DEVS omnia mundana mutando mutat, mutabitq; exercendo & conseruando suos fideles sub cruce; ne hic sedes suas figant: sed sursum corda erigant: vbi vera terra promissa, *Cælestia quærenda.* verum & stabile templum, hæreditas immarcescibilis, politia pacata, regnũ firmum.

Atque ita breuissime LVNARIS horologii veteris testamenti circulus, & horæ historice, typice, & mystice adumbratæ. Iam quomodo veram, & degenerem Ecclesiam Moyses, & Prophetæ descripserint, qualis eius status fuerit: quid illis temporibus in mundo actum sit; quomodo multiformis illa sapientia DEI, & Oeconomia in mundi Ecclesiæq; gubernatione apparuerit, qua fieri poterit breuitate dicendum. Occasio à me saltem, quasi aliqua delinea-

delineatiuncula dabitur iis, qui maioribus donis pollent, ad aliquod perfectius elaborandum in hoc Moysis Prophetarumq; speculo. Ego enim breuitati studui, qui labor sane omnium difficilimus mihi visus est: vt consulerem iis, & præsertim illustrioribus personis, occupationibus politicis impeditis: qui prolixis scriptis non delectantur, neque ea euoluere iis vacat.

D 3

Tu illuminas Lucernam nostram.
Psal. 18. v. 29.
Et in tuo LVMINE, videbimus LVMEN.
Psal. 36. v. 10.



Quid faciem obnubis? Scio, quæ vestigia monstres.
Indigitas Christum. mox ille videbitur. ergo
Nec velo obscuro reor, aut opus esse lucerna.

2. Pet. 1. 19.

Habemus firmißimum sermonem Propheticum; cui recte facitis, quod attendatis, veluti lucernæ splendenti in obscuro loco: vsque dum dies illucescat, & Lucifer (φωσφόρος) exoriatur in cordibus vestris.

1. Pet. 1. 10.

Prophetæ prænuncio Spiritu CHRISTI, qui in illis erat, scrutati sunt tempora perpeßionum & gloriæ CHRISTI: sed patefactum illis est, non sibi, sed nobis illa administrare: quibus Euangelium prædicatur per emissum è cælo SPIRITVM SANCTVM, in quem desiderant angeli introspicere.

Lucæ 16. v. 29. 31.

Habent Moysen & Prophetas hos audiant. Qui non credit Moysi & Prophetis, etiamsi quis ex mortuis resurrexerit, non credet ei.

2. Cor. 3. v. 14. 16.

Vsque in hodiernum diem in lectione veteris fœderis, manet non retectum Moysis velamen, quod per CHRISTVM tollitur, conuerso ad DEVM corde.

MOYSES.

MOyses fuit primus amanuensis Spiritus Sancti; cui lex diuina dictata: qui & πρωτοχρονόγραφος, imo, & imperator, atque dux exercituum Do-
Deut. 34.10 mini extitit: quo nemo hominũ in mundo vnquam maioribus miraculis, & familiariori cum DEO colloquio clarior fuit, vel futurus est. Natus in Ægypto anno 2373, vocatus ad ministerium anno 2453, moritur anno ætatis 120 mundi 2492.

Exod. 1.16. 22. Huius natiuitas martyriis infantium, sicut & CHRISTI, cæpit: quo ex
Matth. 2.16 ore infantium, & lactentium DEVS quoq; glorificaretur; & admirabilis in
Psal. 8.3 suis Sanctis, tam paruis quam magnis redderetur.

Deut. 18. 15. 20 Prædixit CHRISTVM, & Anti-christum: illum verbum DEI docentem; hunc, nouas reuelationes etiam cum miraculis proferentem: illi obediendum sub pæna æternæ ex DEI populo excommunicationis: hunc non audiendum, sed è medio tollendum.

CHRISTI & Anti-christi à Moyse prædictio.

Deut. 28. 49 Prædixit quartam Romanorum Monarchiam, aquilam illam nominando: à qua, & sub qua Iudæi in vniuersum orbem terrarum ob contumaciam aduersus DEVM, & eius Prophetas, dispergendi, & fabula mundi futuri essent. Reliquæ prædictiones Patriarcharum de Ægyptiaca seruitute, liberatione, & tempore aduentus Messiæ, ex libris eius petantur: sunt enim typi de Messia venturo.

Iudæorum ruina per Romanos, prædicta.

Deut. 29 Veram Ecclesiam docet: ne salutem suam in operibus collocet suis, sed in firmissimis promissionibus DEI ex bene-placito suo patribus factis: eum quippe fore DEVM ipsorum, & seminis eorum, quibus Messiam etiam prædixit, & patribus adumbrauit Typis: in quo DEVS illos sibi ex mera gratia, & proposito suo elegit, & in librum vitæ consignauit. Ecclesiam quoque, ne ex multitudine populi aut vnanimi errantis, & ignorantis DEVM mundi consensu quærant hortatur: siquidem ipsimet sint minima mundi portiuncula, quos tamen DEVS per falsum Prophetam sit probaturus: vt, qui vere fideles sint, manifesti fiant.

Deut. 9.4 Exod. 32.33 Exod. 33.19 Deut. 12. 30.31 Deut. 7. v. 7 Deut. 13.3

Deut. 20 Deut. 1.7. 8.9 Docet, quomodo sit militandum secundum leges supremi, & æterni ducis exercituum; ne terram contra leges DEI conquirendo, & mores ethnicos sequendo, cælum amittamus.

Degenerem Ecclesiam arguit, quæ verbo DEI scripto diffidit; & ait; quis ascendet in cælum aut infernum: vt veritatem & auctoritatem eius adferat:
Deut. 30.12 id est, qui dubitant de certitudine sacræ scripturæ, an sint præmia bonis in
Leuit. 26.1 cælis, & pænę malis in inferno. Item, qui erigunt sibi idola, vel imagines siue sculptas siue pictas, siue lapidem ad exhibendum illi aliquem honorem: qui
Leuit. 19.31 confugiunt ad diuinatores, aruspices & ariolos.

Status

Status Ecclesiæ talis nimirum est, de quo supra breuibus in Horologio dictum. Vnde ob rerum vere admirabilium maiestatem tota historia sæpe legenda & relegenda est. Ecclesia enim sicut fuit, duce CHRISTO, victrix, & triumphatrix hostium: sic per varias tentationes, ceu aurum, & argentũ, in deserto probatur; non ingressa terram typicam, in quam ducebatur, exceptis duobus Calebo, & Iosua. Tantum enim qui pie mortui sunt in deserto, ingressi sunt, etiam ipso Calebo, & Iosua citius, in veram terram cælestem: ad quam studiose ducebantur. Impii vero, & hypocritæ vtraq; priuati, & terra typica; &, quod horrendum dictu, ipsa cælesti promissa. *Num. 14. 30* *Vera terra promissa cælum.*

Status tum mundi hic fuit. In Assyria Spartenatus Syros subegit. In Ægypto Pharaones florebant. In Thessalia Deucalio regnabat; sub quo Ouidius, ignarus Chronologiæ, diluuium factum fabulatur: quod tamen 780. annis præcessit, nec quicquam rerum gestarum ante hoc diluuium Ethnicæ historiæ monstrant. *Fabulosum Ouidii Diluvium.*

Apud Athenienses regnauit Cecrops, Herod. lib. 8. Apud Scytas Targitanus. Herod. lib. 4. Lydii, duce Tyrrheno in Italiam migrarunt. Herod. lib. 1. Ad tempora Moysis quidam etiam Mercurium Trismegistum Ægypti Philosophum referunt; de quo Plato, D. Augustinus, & Magnus ille Philippus Mornæus, nostri sæculi inter illustres viros ornamentum, & pene miraculum, multa scribunt. Est exiguus eius libellus: in quo numen quoddam, nomine DIMANDAEVM, in visione ad se loquens, introducit; multa de DEO Patre, Filio & Spiritu Sancto, de creatione mundi, angelorũ, hominis lapsu, morte, resurrectione, & vltimo iudicio differit. *Mercurius Trismegist.*

Hæc regna, & hi populi, pluresq; alii Moysi in illustri ac florenti potentissimi Pharaonis aula versanti proculdubio noti erant, cum ait ad Israelem; Eam esse minimam portiunculam populorum. *Deut. 7. v. 7*

IOSVE.

IOsue, quo nemo Imperatorum vnquam maioribus victoriis clarior, ingressus terram typicam, & consecutus hypothecam vitæ æternæ, ipse typus CHRISTI existens Anno M. 2494. & spacio 17. annorum terram expugnauit. Prædicit reliquias gentium etiam in terra mansuras, & bella ipsis illaturas: vt discant, quid sit bellum, & motus in illo; & quid liberatio, pax & protectio diuina. *Typus Christi.* *Cur gentes relictæ cap. 23*

Veram ecclesiam hortatur: vt adhæreat verbo DEI: & hos vere sapientes arguit, & felices futuros, tam in Ecclesiasticis quam in politicis rebus: qui legi DEI adhærebunt, non declinando ab ea, neque à dextris, neque à sinistris: siue in secundis siue in aduersis rebus. Minatur pœnam iis, qui Gẽtium idola vel sequentur, vel imitabuntur. *Sapientes qui c. 24. 25*

Status Ecclesiæ vere militaris fuit, plenus victoriis miraculosis. Quoad Mundi statum, Regnum Troianum, Dardania à Dardano condita, incepit: quod paulo post, nimirum 300. annis tempore Samsonis deletum. Europa regis Phænicum filia in Cretam abducta, Herod. & Cadmus literas & doctrinas ex Phœnicia in Græciam intulit.

HIOBVS.

Hiobus quo tempore vixerit, certo non constat: aliqui ad hæc tempora eum referunt.

Christus redemtor. Prædicit redemtorem suum CHRISTVM: quem ipse nouo indutus immortali corpore, suis oculis sit visurus.
c.19.25.
c.7. *Veræ Ecclesiæ* sub cruce futuræ typum sese præbet: quam sicuti deprimere
c.9. re subito, ita quoque euehere potens est DEVS. Iustitiam non in operibus
c.15.5 suis, sed in mera DEI gratia collocat: ait etiam, ipsos cælos coram DEO, la-
c.9.10 psu angelorum coinquinatos esse. Arguit eos, qui dum non assequuntur iu-
c.12.& 28 dicia DEI; obloquuntur eis: cum tamen in minimis operibus DEI, & rebus
c.35. creatis etiam in exilibus vermiculis incomprehensibilis sit eius tum potentia tum bonitas. Iudicia autem eius omnia sunt iusta; siue euehat siue depri-
c.13. v.15 mat suos: itaq; se illi confisurum, etiamsi se interfecerit, adfirmat.

Qualis tum Ecclesiæ, & mundi status fuerit, nescitur: cum non constet, quo tempore Hiobus vixerit.

S. DAVID.

S. Dauid, militauit sub Saulo Anno 2883; regnare cæpit Anno M. 2891. mortuus Anno 2930.

Psal.118.16 Prædixit CHRISTI aduentum, traditorem eius Iudam, passionem, re-
Christi regnum à S. Dauide descriptum. surrectionem, in cælos ascensionem, gentium vocationem, & monarchiam eiusdem in terris spiritualem. Prædicit etiam Anti-christi ruinam, nempe superbæ Babylonis vna cum progenie sua.
Psal.16. & 22. & 67. Veram Ecclesiam depingit; quæ dies, noctesque in lege DEI meditatur,
& 68. & 72 nemine excepto: cui lex DEI probatior & purior, quam aurum & argentū,
& 47. & 110
Ps.137.8.9 dulcior melle, thesauris omnibus preciosior: cui est regula & norma vitę, lu-
Psal.1.2. cerna pedibus, fons aquæ viuæ, satietas vera, consolatio in ærumnis, vera in
Ps.19.11. & Ps.119.v.72 DEO, & lætitia, & consolatio, & sapientia, & spes inde certa videndi salutare
Psal.119.9 Domini: DEVM ecclesiam suam sibi elegisse ante montium origines, & libro
& v.105. viuentium consignasse. Hanc offerre DEO oblationes, & sacrificia laudis, &
Psal.36.10
Ps.17.v.15 gratiarum actionis, spiritum contritum, & humiliatum. Hanc in lapide illo
Ps.118.50. & 47. & 98. angulari; qui electis lapis preciosus, reprobis vero lapis offensionis, ædifica-
& 99. & 100 ri. Hanc esse terram viuentium, in qua mortui, id est, non regenerati, DEVM
Psal.90.2 non laudabunt.
Psal.69.29. 51. Psal.19

Psal.50.14. & 23 Ps.107.v.22. Ps.116.17. Ps.51.19. 118. Ps.22. Ps.142.v.6. 90. Ps. Ps.115.v.17.

Psal.14. *Degenerem Ecclesiam* arguit: quod gloriando in lege DEI contra legem vi-

pat:

erat: DEVM esse neget: magis sacrificiis, quam gratuitis promissionibus DEI, patribus factis, innitatur; iustitiæ cōfidat suæ: cum nemo mortalium sit, qui coram DEO operibus suis iustificari queat, sacrificia in lege DEI non præscripta offerat: hæc enim non DEO sed diabolo offerri. Ps. 36. & 51 Psal. 14. 5 Ps. 106. 37

Mundum & regna gentium spernit, dicens: omnes populos respectu Ecclesiæ, minus esse, quam nihil: sed illum populum beatum, quem sibi in hæreditatem DEVS elegit: quamuis à mundo prematur, & veluti ouis ad mactationem hic sit destinatus: qui tamen sub cruce luce DEI fruitur, & dum humiliatur euehitur. Psal. 68. 3. Psal 33. 12 Psal. 44. 13. & 23. Psal 43. v. 3 Psal. 44 & Psal. 90. 15. 16.

Status Ecclesiæ etsi difficultatibus suis non caruit: tamen sub Dauide longe augustior fuit tempore belli; quam sub Salomone tempore pacis. Ecclesia simul regem, & Prophetam habuit: quod nullo tempore contigisse constat. Incepere ergo vere aurea, nempe Prophetica CHRISTI secula: augustiorque fuit compositio Psalmorum Dauidis de CHRISTO, & vero templo, id est, vita æterna vaticinantium; quam vniuersa, & stupenda illa mundo admirabilia Salomonis ædificia: lucis vero diuinæ in Dauide excellentia tanta: vt Salomonis sapientia omnis, respectu huius, ceu Luna à Sole, differat. Cuius Psalmorum summulam Constantinopoli inter varias tentationes Anno 1579. 25. Octobris ita ad me consolandum, & in fide Christiana confirmandum, consignaui. Dauid nō solum certis oraculis diuinis de Messia edoctus, sed etiam solenni illa promissione 2. Sam. 7. v. 12. per Prophetam Nathan facta, confirmatus, non desinit meditari; qualenam regnum illud sit futurum, quod DEVS ex Dauidica stirpe sese excitaturū promiserat, nempe (vti verba Nathanis sonāt) æternum & sine vlla commotione & afflictione. Itaq; in suis psalmis mirifice, hinc inde animo concertat suo, modo vitam, modo mortem expetendo; vitam ad conseruationem suæ familiæ: ex qua tantum bonum exoriturum erat: mortem ob instabilitatem rerum humanarum, in qua talis durabilis, & ęternus status sperari non poterat. Quare etiam in hac vita fideliter inseruiēdo consilio DEI, diuinaq; opera in hoc mūdi cæliq; alphabeto incredibili Zelo admirando, & celebrando, semper supernam respicit vocationem: cuius ciuem se profitetur, quemadmodum aduenam in terris. Atq; demonstrat in se summū exemplum animi, & exultantis ob beneficia DEI, & luctātis cum miseria humanæ imbecillitatis, nec aliter satiatū iri se affirmat; nisi cum apparuerit promissum salutare Domini; q, iam spe possideat: se amplius neq; terrā neq; cælum curare; siquidē hæc omnia vti vestimēta veterascēt. Sola autē DEI veritas, & misericordia in ęterno illo Messia ante montiū origines, & mundi fundamēta, nobis promissa, sit in æternū duratura, adeo, vt ob admirationē tantorum beneficiorum DEI erga nos immeritos, & degeneres Adæ filios sæpe clamitet, Domine quid est homo, quod memor es eius? Vltimo concludit beatum esse eum populū, quem DEVS Iacob in hæreditatem sibi elegit. *Collatio status regni Dauidis & Salomonis.* Psa. 39. v. 13 Ps. 73. v. 25 Ps. 102. v. 27 Ps. 90. v. 1. 2 Psal. 14. v. 3. & 53. v. 4. Psal. 8. v. 5 Ps. 33. v. 12

Status mundi. In Assyria Tyneus Dercillus,& Iupeles regnabant: In Ægypto Rampsinitus: sub quo admissum furtum insigne; ob quod Rex furi filiam dedit: vt Herodotus memorat.

Heraclidæ ex Argiuo regno pulsi, primo Peloponnesum, deinde Spartam in Græcia occupant, Anno 80. post excidium Troiæ. Thucyd. lib. 1.

Iones ex Achaia Athenas pelluntur: vbi Codrus Melanthi filius regnauit. Herod. lib. 5. Iones in Asiam migrant; exstructis ibi duodecim vrbibus: inter quas Ephesus, & Miletus.

Latini in Italia regnant.

Troia deletur. Troia deletur: ex cuius ruderibus adhuc hodie columnæ marmoreæ diuersi generis Constantinopolin aduehuntur.

Heneti fusi non procul a Troia. Heneti gens Slauonica (cum qua Boemi, Poloni, Moscouitæ, Dalmatæ, Bulgari, Sarmatæ, Bosnenses, Illyrii, Sorabi, & aliæ multæ gentes vnam linguam, tantum dialectis inter se differentem, habent) ab Antenore vicino Troiæ vincuntur. *Dauid quid admirabatur.* Hos populos regnaque horum non miratur Dauid; sed omnes minus nihilo esse respectu Ecclesiæ ait: & cultus sacrificiaque eorum Diabolo, non Deo fieri: solumque illum, vt dixi, populum beatum, quem Iehoua in hæreditatem sibi elegit: qui nempe legi adhæret eius. Voluit autem Devs omni tempore præcipuas mundi mutationes notas esse ecclesiæ: vt *Psal 47.3 Psal. 113 Psal. 24.1 Psal. 89.27 ibid. v. 2 Psal. 145* agnosceret, teste Dauide Devm esse Dominum, Rectorem, & Moderatorem totius mundi, sed Patrem tantum Ecclesiæ suæ: vtque populus Dei ex gratia & misericordia illa sibi exhibita (id quod gentibus non contigit) eo ardentius Deo suo gratias ageret.

SALOMON

Prou. 8.22 &c. CHRISTVS æterna sapiẽtia. Regnare cæpit Anno M. 2931. moritur 2970. Christvm nominat æternam illam sapientiam, per quam omnia creata, & quæ ab æterno cum Deo fuerit, cum illo collocuta; particepsq; eius gloriæ facta: In qua tamen gloria Devs, vt ei placuit, ad tempus certum sese celauit.

In canticis mystice Christvm sponsum cum sua sponsa decantat.

Prou. 9.10. & c. 2. c 3. v. 5. & 7 Prou. c. 1 *Veram ecclesiam* ait ex solo verbo Dei sapere: contra omnes absque verbo Dei desipere: adeo, vt, & oratio ad Devm, eorum, qui verbo Dei regi nolunt, sit abominationi.

De mundo, & politica sapientia plura scripsit, quam Dauid. Itaq; Dauid in suis Psalmis magis Deo, quam mundo sapere studet.

Maiestas Salomonis & potentia. Quod ad statum ecclesiæ; fuit tum eius externa maiestas tanta, quanta nunquam visa, aut amplius futura est. Ac scribat Iustus Lipsius de maiestate Romani Imperii, quicquid velit: vmbra certe fuit illa, præ magnificentia, & splendore Salomonis. De magnitudine enim non loquor: cum sciam Romanos

manos præcipue sub Augusto, & Traiano vniuerso mundo pene imperasse: quanquam, & Salomonis tempore nullum illo monarcham potentiorem fuisse puto: siquidem ad Euphratem vsque imperauit, & omnes Arabici Reges & alii vicini tributa ei dabant: remotiores vero munera offerebant. Adde quod & maris Dominus fuerit, latiusque orbem, quam Sesostris Rex Ægypti olim tempore Deborę, circumnauigauit, illa scilicet triennali classe, quæ ex insulis Ophir & Peruaim, id est, Peru ex Indiis occidentalibus, & orientalibus auri argentique immensa pondera reportabat. Tunc vere aurea secula floruerunt: dum auri massæ, ceu lapides, in plateis iacebant. Hac mundi ætate etiam piæ mentes, tanta gloriæ maiestate inebriatæ, & in eam nimium ceu in Solem intuentes, obfuscatæ, & obtenebratæ procul dubio carnales concipiebant cogitationes: sensuque carnis DEI promissiones, Dauidi per Nathanem factas, & à Dauide decantatas, de osculando filio Regis, de subiugando vniuerso mundo, deque regno, & solio Dauidis æternum duraturo, interpretabantur. Vnde destituti exercitio crucis, amisere multum lucis: imo vna cum Rege (quamuis, & ille ex parte prophetarit, libros Theologicos, Politicos, & Physicos de natura omnium stirpium, & animantium scripserit σοφῶν σοφώτερος) plerique in horrendam idololatriam lapsi sunt. Hinc Salomone mortuo regnum diuisum: Israelitæ, saltem triennio ambulantes in lege Domini, sequuntur idola Ieroboami: templum à Sysako rege Ægypti spoliatur: aurea illa terrestriaque secula in populo DEI cessant: mundi imperia regnaque florere, regnum Israel, & Iuda indies vilescere ac diminui pii vident: quos DEVS via sua inde ab Adamo inchoata, iterum per vias tribulationis & crucis, ad vera illa aurea secula, à via lata perditionis, ad viam angustam salutis, à terrestri ad cælestem illam Hierosolymam, æternum illud, & nunquam concutiendum regnum, & regem eorum CHRISTVM per Prophetas, vti ex subsequentibus patebit, deduxit: mundo hæc mysteria ignorante, & hypocritis etiam in populo DEI illa deridentibus. O altitudo consiliorum DEI!

Salomon Monarcha suo tempore potentissimus. *2. Paral. 9. àv. 21. ad 26* *Classis Salomonis in Americam.* *Lapsus Salomonis.* *1. Reg. 12.* *2. Par. 12.* *Schola crucis Schola lucis.*

Mundi status. In Assyria regnauit Laosthenes. In Ægypto Smondex, qui & Sesak, ad quem Ieroboam *1.* Reg. *11.* v. *40.* confugerat.

Siculi ex Italia in Siciliam traiiciunt. Thucyd. lib. 5.

In Italia regnabat Alba Syluius, sextus Latinorum rex. Dion. Eusebius.

DE PROPHETIS,

Quorum scripta non extant, sed res gestæ quædam commemorantur.

EX iis est *Nathan*, qui Dauidi pænas DEI ob peccata ab eo commissa denunciauit, eidemque vere pœnitenti, vt in Psal. *51*, videre est, non modo

nomine DEI absolutionem impertiuit à peccatis: sed & de CHRISTO ex lumbis eius orituro, & æterno eius solio vaticinatus est, fuitque Dauidis quasi aulicus concionator. 2. Samu. 12. & capit. 7. Consequuntur præterea

Gad, qui Dauidi ob numeratum populum tres pœnas à DEO propositas, vt vnam ex his deligeret, denunciauit. 2. Sam. 24. 13.

Achias, qui detulit Ieroboamo Regnum decem tribuum. 1. Reg. 11. 31. eiusque familiæ excidium imminens prædixit. ibid. c. 14. v. 10.

Anonymus, qui Iosiam Ieroboamo de nomine prædixit: & per hunc destructionem altaris idololatrici à Ieroboamo exstructi, cui prædictioni euẽtus annis 333. elapsis, respondit. 1. Reg. 13. 3.

Semeias, qui Rehabeamum à bello contra decem tribus dehortatus 1. Reg. 12. 24.

Azarias, qui Asam ad studium pietatis adhortatus est. 2. Paral. 15. 2

Iehu, qui accusans impietatem Baesæ Regis Israel ab eodem interficitur. 1. Reg. 16. 9.

Chanani, qui obiurgauit Asam; quod à rege Syrio contra Baesam regem Israel auxilium peteret. 2. Paral. 17. 7.

Mensura roboris & infirmitatis humanæ.

Elias Propheta, currus, & auriga Israel, dux, & gubernator ecclesiæ DEI præcipuus, in cælum viuus sublatus: in quo etiam certa mensura roboris, & infirmitatis humanæ conspecta: qui cum in conspectu Achabi Baalitas mactaret, deinde ad minas Iezabelis mulierculæ latebras, & mortem quæsiuit: id quod pulcherrime noster Bucholzerus in chronologia sua describit. 2. Reg. 2. 12. 1. Reg. 19. 4. & 10.

Iasiel, qui Iosophato victoriam contra Ammonitas prædixit. 2. Paral. 20. vers. 15.

Iehu, qui Iosaphatum, quod cum Achabo fœdus iniret, obiurgauit. 2. Paral. 19. 2.

Micha, qui Achabo cladem prædixit. 1. Reg. 22. 28.

Elisæus etiam miraculis clarus, qui Amaziæ regis Iudæ & Ionæ tempora attigit. 2. Reg. 22.

Eliezer, nuncians Iosaphato causam irritæ nauigationis in Ophir. 2. Paral. 20. 37.

Obed, qui Israelitas monuit de restituendis captiuis è regno Iudæ abductis. 2. Chron. 28. 9.

Hulda Prophetissa nuncians Iosiæ euersionem regni Iudæ, regnantibus posteris eius 2 Reg. 22. 14.

Anonymus prædicens Achabo victoriam contra Benhadad regem Syriæ. 1. Reg. 20. 13. & alius anonymus, ibid. v. 35. nuncians Achabo pœnam ob impune dimissum regem Syriæ v. 42. & alii &c.

Eccle-

Ecclesiæ status sub his Prophetis.

AC licet tot Prophetas excitasset DEVS, inprimis Eliam, & Elisæum, illustres stupendis miraculis: vt & mortuos resuscitarent: tamen impiis regibus Israel, inprimis Achabo, qui ex prædictione Prophetæ victoriam illustrem contra Benhadad Syrum obtinuit, nihil profuere: iuxta illud, qui non credit Moysi & Prophetis: etiamsi quis à mortuis resurrexerit, non credet ei: vti supra dictum est. *1.Reg.17.22* *Miracula incredulis absq; verbo DEI non prosunt.* *Luc.16.31*

In hoc seculo ante Ionam, sub impiis regibus Israel, eo redacta est ecclesia: vt Elias se solum superstitem esse putarit. Mira inter eos laniena: tota familia Achabi à Iehu exstirpatur. *Ecclesia sub Elia qualis.* *1.Reg.19.4* *2.Reg.10*

In regno Iudæ res magnæ ante Iosiam gestæ sunt. Abias occurrenti sibi exercitui Ieroboami, qui octingentis millibus constabat, opposuit *400000.* sui exercitus: & in fugã coniecto Ieroboamo cædit ex eius exercitu *500000.* hominum. Tales autem exercitus puto non lustratione, & stipendiis, sicuti nunc fit, comparatos ac sustentatos fuisse: sed passim, vti quisque possessiones obtinuit, ad bellum concurrisse. *2.Par.13.* *Exercitus Iudæorum quales.*

Sic miseria illa inenarrabilis, in quam post lapsum Adæ homines deuenere, subinde magis innotescebat, affluente terra promissa cruore vndique, non lacte & melle.

De reformatione Asæ, & Iosaphati in ecclesia, & miraculosis horum victoriis, supra dictum est. *2.Par.14.17*

Duæ tunc reginæ impiæ vixerunt Iesabel in regno Israel, & Athalia in regno Iuda: vtraque tragicum exitum sortita. *2.Reg.11* *1.Reg.19*

Quæ omnia accidere intra *233.* annos à morte Salomonis, vsq; ad interfectum Ioam à coniuratis suis in aula ministris.

Mundi status. à morte Salomonis, vsque ad interfectum Ioas, & Ionam Prophetam, intra *233.* annos hic præcipue fuit: Ægypti rex Sesak templum diripuit. 1. Reg. *14.26.* Æthiopum regem Zeram Asa, *2.* Par. *14.13.* Ammonitas, Moabitas & Idumæos Iosaphat. *2.* Par. *20.23.* Benhadadum Syrum Achab vicit, 1. Reg. *20.* de quo iam supra etiam sub hora nona, in describendis regibus Iuda & Israel, dictum.

Latini reges in Italia regnarunt, Alba Syluius, Capetus, Agrippa Syluius.

Carthago, regnante Ioaso rege Iudæ, condita; & Lycurgi leges, quibus furta concessa, promulgatæ sunt.

Græcia domesticis bellis intricata fuit.

PROPHETÆ ANTE ABDVctionem decem tribuum.

IONAS

Anno M. 3119. CHristi sepulturæ & resurrectionis typus. Ecclesiam sub ricini vmbra non diu durantis figurat. Niniuitas quosdam, metu futuri periculi ad pœnitentiam prouocat: quibus Devm Israelis concionatur. Nec dubiũ, quorum Devs corda tetigit, eos Hierosolymam deinde frequentasse: licet ipsi cultum Dei Israelis domi, inque sua ciuitate non constituerint. Paries enim ille intergerinus rumpi non debuit; nisi sub Messiæ aduentu, vocatis omnibus gentibus.

c.4. Niniuitæ proselytæ. c.3. Paries intergerinus. Eph.2.14

Ecclesiæ status. Anno M. *3119.* in Iudæa regnabat Amazias, qui factus idololatra, & Prophetarum contemtor: & illato temerario bello Ioaso regi Israelitico, desertus à suis in manus hostis venit: verum mulcta data dimittitur: tandem à coniuratis domi interficitur: *2.* Reg. *14. 19.* & interregnum est annis vndecim.

In regno Israelitico regnabat Ieroboam *13.* Rex, impius, sed fortunatus: qui repressis Syris, veteres regni Israelis fines vsque ad Damascum recuperauit. 2. Reg. *14. 25.* Amos *1.* Oseæ 1.

Mundi status. Sardanapalus dominatur vltimus Rex Assyriorum, & Epicuri de grege porcus, teste Eusebio: cuius exercitũ Arbaces Medus cum fudisset; & Sardanapalus in vrbem Niniuen fugisset; ibi obsessus, rebus desperatis, se suaque scorta exstructa pyra cremauit: cuius symbolum erat Epitaphio inscriptum; ede, bibe, lude: quod & D. Paulus ad Romanos citat. Sardanapalo interfecto, Phul Belochus, Rex Assyriæ & Babyloniæ fuit: atque hunc regem, & Niniuen conuertit Ionas. Ion. 3.

In Ægypto regnabat Sensoris, & Cephrones: qui deorum suorum templa multos annos clausit: & Peduhastis.

Latinis imperabat Auentinus Syluius.

OSEAS

Anno M. 3150 BIennio post terræmotum exurgit regnante Vsia, Iothamo, Achaso regibus Iudæ, & Ieroboamo Secundo rege Israelis, & Sardanapalo, Salmanassare regibus Assyriæ. Prædixit Oseas Christvm alterum illum Dauidem, Devm & sponsum Ecclesiæ suæ cap. 1. v. 7. c. 2. v. *19.* c. 3. 5. qui Devs verus cũ Iacobo luctatus est; qui homo factus, in ipsa infantia, ex Ægypto, vti Filius Dei euocatus est: qui è mortuis educet, & resuscitabit suos absorpta morte

CHRISTVS. cap. 12. 4. & 5. c. 11. 1. c. 13. 14.

morte ad victoriam; cum futurus sit CHRISTVS mors mortis, & vita suorum fidelium.

Veræ ecclesiæ statum futurum ita prædicit; vt in deserto ad tempus latitet: *c.2.14*
cuius cordi DEVS ipse ibidem per verbum suum loquetur: & futurus sit loco *Ecclesia in deserto lati-*
muri, & habitationis securæ: quod spe viua eam roborabit: & eam sibi in æ- *tans.*
ternum despondebit: quæ sub cruce ardentius quæret DEVM: proditura ta- *v.15.&18*
men suo tempore: cuius perditio ex ipsa gente Israelis; salus vero à Do *v.19. c.3.5* *c.11.v.10.11*
mino. *c.14.v.1*

Degeneris Ecclesiæ statum depingit per mulierem adulteram: cuius tamen *c.13.v.9.* *c.1.&2*
DEVS misertus coniugem prophetæ eam desponsauit: sed quæ malam ge-
neratura sit progeniem: verum eandem vltimis temporibus, quasi conster- *c.3.5*
natam, secuturam DEVM Israelis. Monet itaque, ne sequantur caput illud, id *Anti-christus typice*
est, Anti-christum: quod sit absque DEO, nulla eius auctoritate, in ecclesia *prædictus.*
erectum: qui falsus Propheta & mercator; qui variis Sacrificiis & multitu- *c.8.&9* *c.12.v.8.9*
dine altarium ditescit, quæ ad libitum suum ornat. Hortatur itaque, vt offe- *c.8.11.v.10.11*
rat Israelis DEO sacrificia labiorum: & monet, vt qui sapiens est, animaduer- *c.13 v.2*
tat: quibus verbis & Daniel in vaticinio de Anti-christo, & ipse Filius DEI, *c.14.2.* *&v.9*
prædicens abominationem in loco sancto, & S. Ioannes in apocalypsi de
cōputando numero bestiæ, vsi sunt. Quod si quis dicat: Vriam Sacerdotem
tempore Achasi idololatram factum notari: non repugno, hunc etiam ty-
pum fuisse Anti-christi: sicuti & captiuitas Babylonica & aliæ res typi fuere
subsecuturarum inter Christianos mutationum.

Mundo, & inprimis Assyrio mala minatur: à quo degener ecclesia auxilia *cap.8*
quærit, & in eo confidit.

AMOS.

Anno M. 3160 CHRISTVS.

HIc regnante Vsia, Rege Iudæ, & Ieroboamo rege Israelis, ex bubulco
Propheta constituitur. Prædixit tabernaculum Dauidis erigendum: &
promissiones DEI firmas futuras: DEVM Israelis nihil in mundo facere, *c.1*
quod non prius per Prophetas suos, & mysteria prænunciet sua. *c.9.11.&seq* *Prædictiones DEI.*

Excidium regno Israelis, & Iudæ denunciat.

Ecclesiam adflictam solatur: futurum, vt reliquiis Iosephi DEVS miseri- *cap 3.7* *c.7.11.&c.8*
cordiam, & gratiam suam exhibeat. *c.5.v 14.*

Degeneri ecclesiæ ob ingratitudinem, & contemtum verbi DEI, maio- *15.16*
res tenebras minatur: quia in successione errorum à patribus accepta glo- *c.2.v 1.&2* *Successio in*
riatur: & circumferunt, adhærentes illi, tabernaculum Moloch. Vnde fa- *erroribus.*
mem verbi DEI eis prædicit, & mirabilem totius domus Israelis confusio- *c.5.26* *Fames ver-*
nem, & agitationem inter omnes gentes. *bi DEI.*

Mundo dira minatur, qui per tyrannidem fines dilatet suos. *cap.8.11* *c.5.9* *c.1*

ESAIAS

Anno M. 3168. *Cœpit docere, docuit 90 annos.* *Apocalypsis & visio Esaiæ c. 6. 1* MAgis ille Euangelista est, quam Propheta. Natus ex stirpe regia, docuit regnante Vsia, Iothamo, Achaso, Ezechia regibus Iudæ: & Ieroboamo Secundo, ac Phase regibus Israelis: συγχρονος Oseæ atque Amoso Prophetis: imperante in Assyria Salmanassare sub initio Olympiadum. Has dum deinde Romani incredibili fastu celebrant, Esaias incredibili Zelo in visione gloriam CHRISTI contemplatur, teste etiam S. Ioanne.

CHRISTVS prædicitur, cap. 7. 14. c. 9. 6 c. 52. 13 c. 53. 1 Prædixit CHRISTI ex virgine natiuitatem, passionem, vltimum aduentum, & æternum eius regnum ex omnibus gentibus colligendum: Spiritus Sancti in apostolos effusionem, Sennacheribi cladem, & multarum aliarum gentium interitum.

c. 32. 15 c. 54. c. 60 & 61. c. 37. 7 c. 10. 32. c. 1. 8 c. 4. v. 2. c. 17. 5. 6 & c. 33. vsque ad 36 c. 45. 13. c. 42. 13 c. 52. v. 1. 2. 3 & c. c. 60 *Veræ Ecclesiæ* statum ita depingit, & futurum prædicit: dum ecclesiam nominat filiam Zionis, velut tuguriolum in vinea, & tegillum in cucumerario: cuius reliquiæ à mundo quidem spretæ, verum à DEO in librum vitæ consignatæ sint: quas ipsas reliquias ait futuras, quasi post messem, hinc inde neglectas spicas: aut post decerptas oleas, remanentibus in vertice arboris duabus vel tribus, verum frugiferis. Solatur fideles, DEVM suo tempore ecclesiam suam ex angulo cum doctoribus, & pastoribus eius, ad celebrandum palam nomen suum, educturum: suoq; tempore in vita æterna gloriam promissi Messię, regis æterni, & nouæ Hierosolymæ manifestaturum.

c. 41. 14. 24 43. 12 v. 14 c. 9. 13. 14. 15 c. 54. 14 & 62. 1. 2 c. 46. 3. & 4 Interea hanc ecclesiam in terris militantem nominat vermiculum Iacobi & minimam hominum portiunculam: cui IEHOVAH DEVS eius redemtor eius, Sanctus Israelis, id est, Sancta Trinitas, opitulator: iniquitatem eius non ob merita Iacobi, sed ob promissiones ei factas delet: siquidem primus homo, id est, Adam peccauit: in quo omnes homines quoque peccarint: adeo, vt & ii, qui visi sunt sibi fuisse extra DEI verbum ductores semper fuerint & porro sint seductores. *Præsentia DEI cum Ecclesia c. 48. 10 c. 49. 18 c. 54. 6 & seq c. 49. 23 c. 55. 8. 9 c. 66. 1. & 2* Prænunciat cæterum, quod in DEO omne robur, & iustitiam sit habitura: qui etiam in ipsa senecta sic eius protector futurus sit; vt eam in fornace crucis ceu argentum purificare, ac ita se cum ea æterno vinculo, ceu sponsus cum sponsa copulare velit. Ac etsi interdum sese abscondit: fœdus tamen suum gratiæ ac misericordiæ cum ea initum, etiamsi montes ruant, non mutaturum in æternum, ait: quin imo suo tempore ipsos reges futuros eius protectores, & reginas nutrices: atque ita in Ecclesia gubernanda DEI cogitationes viasque ab hominibus perinde esse remotas, atque cælum à terra longissimis spaciis distat. *c. 57. 19 & 66. 2 Pax DEI. c. 32. v. 17. 19 & c. 54. 10* DEVM, qui in altissimis habitat, cuius solium cælum, & terra scabellum pedum eius, tamen testatur ad humilia in terris, & inprimis ad Spiritum demissum, & cor contritum, & tremens ad eius sermones, sui pauperculi gregis respicere: qui solus pace DEI inter summas mundi confusiones fruitur.

Atque

Atque huic gregi sub primo Messiæ aduentu exoriturum annum Iubi- *c.61.1*
læum: cuius anni typus Mosaici Iubilæi fuere. Id quod in CHRISTO fuisse *Iubilaeus sub*
impletum Luc.2. & Act.13. comprobatur: & demum in vita æterna plene *Messiæ annus*
implendum speratur, & certo expectatur: cum DEVS teste Propheta, nouum *c.65.17*
cœlum, & nouam terram creabit: vel, vt S. Paulus & Petrus interpretantur, *c.32*
renouabit. Quare hortatur Propheta populum ad fidendum DEO, & parendum ei, etiam in afflictionibus: siquidem in his pace DEI donantur: quam *c.55.v.24.*
impii etiam rebus lautissimis vndiq; affluentes non habent: vt qui persæpe *25.&c 48.22* *c.63.6*
quoq; hic calicem iræ DEI tragico cum exitu haurire coguntur: & hos pro- *c.51.v.22.23*
inde non esse timendos, cum sint instrumenta DEI, veluti securis, serra, vir- *Impii instrumenta*
ga, & baculus: quibus DEVS opus suum peragit: quo peracto eos sit tanquam *DEI*
instrumenta iræ suæ reiecturus. *c.10.v.5.15 & 6*

Degenerem Ecclesiam arguit: quod contemto verbo DEI, nudis oblationi- *c.1.11.&21*
bus DEO placere studeat: cuius ciuitas magna facta sit meretrix, idolorum *Anti-christus.*
cultrix superstitiosa: & quæ assidue fœdera cum impiis contra pios ineat, *c.2.8*
confugiat ad mortuos, legem Iehouæ DEI sui deserat. Iccirco DEVM, ait, ca- *c.8 v.10*
put illius ecclesiæ, impium illum & ἄνομον hominem, per germen Dauidis, *&19* *c.11.4*
Spiritu oris sui tandem percussurum: id quod S. Paulus de Anti-christo 2.
Thessa.2.v.8. interpretatur, & ἄνομον eum nominat: quod proprium est Anti-christi videlicet subiici nolle, vt exlex esse queat. Nominat eundem Propheta spiritualem adulteram Babylonis, regem Babylonicum, stellam e cœ- *c.14.4.12*
lo delapsam, id est, apostatam: cuius ciuitatem ait collapsuram vna cum ido- *c.21.9*
lis suis, & scopis DEI purgandam: quod, licet DEVS luce verbi sui illi luceat, *c.14.23* *c.21*
impio tamen cætui eius semper immineant tenebræ: cum vanas traditiones sequantur. Vnde prædicit fore: vt ciuitas illa magna, plena abomi *c.47*
nationum conteratur: & serpens ille versipellis, & Draco horribilis in- *c.27.3*
terficiatur: quantumuis glorietur icto cum inferno ac morte fœdere: *c.28.15*
id est, indulgentiis, & bullis sibi aliisque confictis. Ac licet prætendat fal- *c.48.1*
sa ecclesia, se quoque DEVM timere: huius tamen timorem nullius apud
DEVM precii aut æstimationis esse arguit: cum ex mandatis hominum proficiscatur. Quare necessario Babylonem, quæ multis superstitionibus, & incantationibus delectatur, casuram: vtut sancta ciuitas nominari velit. Mi- *c.47.9 & c.48.2*
grandum ergo piis ex ea. Hanc enim, quamuis externa pace fruatur, tamen *v.20*
interna destitui. Etsi vero illa dilatat palatia sua magis, quam gentes; re- *c.57.24.25*
ges vngat; sibi subigat: tamen, cum spreto verbo DEI sibi ieiunia sua con- *c.57.12*
stituat, Abrahamum, & Israelem, qui eam ignorant, inuocet; præterito Re- *&13* *c.58*
demtore nostro, qui nos nouit: cumque suam iustitiam iustitiæ DEI præ- *c.64.2*
ferat, imo sanctissimam sese, cum fœdissima sit, nominet: ideo interituram: *c.66* *c.49.1.&7*
& DEVM remotas insulas & populos ad sui agnitionem vocaturum asserit. *c.65.1*
Hactenus Propheta.

Hic quam vere, Propheta non modo typice, sed etiam graphice futuros in ecclesia Christiana Anti-christi status depinxerit: quis, nisi cæcus, non videt? Licet autem iuxta literam tunc in regno Israelis, & regno Assyriorum quodammodo hæc impleta sint: loquitur tamen ipsa veritas, rectius in Antichristum ista dici, & quadrare.

Mundus quid. *Mundi statum* ita depingit: omnes gentes populosque coram DEO com-
c.40.v.15. parari guttulæ aquæ, & puluisculo in æquilibrio pendenti.: itaque minus
16.17 esse quam nihil, & meram coram DEO vanitatem. Assurum, qui se existimat
c.10|13 sua sapientia, & fortitudine imperia, regnaque mundi conquirere, & popu-
v.15 lum DEI adfligere: reuera nihil esse aliud, nisi baculum, virgam, securim, &
serram iræ consiliique DEI: quæ sane instrumenta contra DEVM, qui illis
v.17 vtitur, gloriari non possunt. Lumen tamen Israelis futurum Assuro instar
c.14.23 ignis ad comburendum: quem etiam scopis suis DEVS purgabit.

c.47.v.13 Diuinatores eius, & prognosticos, qui singulis mensibus suas prædicunt
Prognostici fallaces mutationes, deridet: cum nemo quidquam prædicere norit, excepto solo
c.48.5 DEO per Prophetas suos.

Cyrus prædicitur Cyrum nomine suo expresse, suoque tempore subsecuturum pronun-
ciat: qui etiam ab illo vaticinio annis *210*. elapsis comparuit: & à tot histori-
c.44.23 & c.45.1 cis, atque inprimis à Xenophonte in pædia Cyri, celebratus fuit. Vnde nullum dubium; exhibito deinde Cyro, arsisse quidem cor fidelis populi DEI, ob impleta DEI vaticinia: verum eundem longe alias de eo cogitationes, nempe de erigenda inter sese maiestate Salomonis, concepisse: quam dein-
c.55.9 de in Cyro (occulto DEI, vti puto, Proselyta) conspexere. Atq; sic vere Esaias cogitationes DEI altissimo cælo sublimiores à nostris esse docuit.

c.48.22. Mundum nulla pace frui posse, subinde Propheta exclamat: cum mun-
c.57.24.25 c.59.8 dus, quid sit pax DEI, ignoret.

MICHEAS

Anno M. 3200
Christi natiuitas. CHristi natiuitatem secundum carnem in ciuitate Bethlehem prædixit:
quod & factum: eiusque exitum secundum æternam eius diuinitatem,
c.5 2. ait, esse ante secula. Spiritum Sanctum, & eius opus ab impiis impediri posse
Spiritus Sanctus. negat: vt qui robore ac virtute peculiari suos fideles muniat.

c.2.7.c.3.8 *Veram Ecclesiam* nominat reliquias Iacobi: quæ, medias inter gentes, &
c.4.11.12 vanam ecclesiam, futuræ sint initio veluti ros, & pluuia, ad irrigandam ter-
c.5 7. v.8 ram: & deinde veluti Leo proditura, ad subiugandos & conterendos aduer-
c.6 8 sarios. Hanc ecclesiam administraturam esse iudicium, & misericordiam, & humilime coram DEO ambulaturam subiicit.

c.1.11 *De Ecclesia degenere* ait: quamuis ea in loco illustri habitet, & nomine Iaco-
c.2.& 3 Anti-christus. bi cognominetur: tamen cum tyrannidem, auaritiam, & crudelitatem ad-

uersus

uerſus pios exerceat; futurum, vt denudetur, & turpitudo eius palam fiat. Nominat etiam eam Aſſurum, conculcantem palatia Hieroſolymæ: verum reliquias Iacobi inſtar leonis Aſſuro ipſi formidini futuras. Sub quo ſane Aſſuro ſemper Anti-chriſtus typice à Prophetis adumbratur. c.5.5 v.8

Status Eccleſiæ, & mundi ſub his quatuor Prophetis, qui pene σύγχρονοι erant, deſcribitur. Nam omnes pene, & prædixerunt, & viderunt interitum Regni Iſraelis.

Oſeas docuit annos circiter 80. temporibus Vſiæ, Iothanis, Achaſi, & Ezechiæ regum Iudæ, & tempore Ieroboami, filii Ioaſi, regis Iſraelis.

Amos ex paſtore, ſeu armentario Propheta factus, biennio ante terræmotum, Amos *1.1.* Zach. *14.* v. *5.* mutationes imminentes, & interitum regum Iſraelis prænunciauit. Nam Ieroboamo illo mortuo, inteſtinis diſſenſionibus, & mutuis lanienis inter ſe principes graſſati ſunt. *Terræmotus*

Eſaias concionari cæpit, & gubernare Eccleſiam annos circiter 90. regnante in Aſſyria Phul Aſſyriorum: qui Menahemo regi Iſraelis tributum impoſuit. *2.* Reg. *15.19.* *Anno M. 3168*

In Iudæa regnabat Ioathan vndecimus rex Iudæ, filius Vſię. Hic fuit princeps pius, iuſtus, domi felix, & foris formidabilis. Babyloniis imperabat Tiglat Phul Aſſar, vſque ad Salmanaſſarem. *2. Par. 27.6*

Micheas, Nahum, & Ioel Prophetæ, vixerunt temporibus Ioathanis, Achaſi, & Ezechiæ: quo tempore Romulus, & Remus nati dicuntur.

Mortuo pio rege Ioathamo, Achas filios ſuos cremauit idolis: ſub quo hoc vaticinium editum; Ecce virgo concipiet, & pariet filium. &c. *2. Par. 28.3* *Eſa. 7.14*

Cui impio regi Achas bellum à Rezino rege Syriæ & Peka rege Iſraelitico infertur: Hieroſolyma obſidetur: ſed ex prædictione Eſaiæ c. 7. non capitur: verum terra vaſtatur; & vno die in Iuda centum, & viginti millia hominum interimuntur: & ducenta millia mulierum, & puerorũ in terram Iſraelis abducuntur: ſed ad ſermonem Obed Prophetæ, remittuntur. En rurſus terram non melle & lacte, ſed ſanguine fluentem. Pii vero ad aliam terram promiſſam adſpirabant. *2. Par. 28.5* *v.6.* *v.8*

Achas ad vlciſcendum damnum conducit contra Rezinum magna pecunia Tiglat Phul Aſſur regem Aſſyrium. Hic Rezinum capit, & interficit, regnum Iſraelis deprædatur: & abducit tribum Ruben, Gad, & dimidiam tribum Manaſſe, & vniuerſam tribum Naphtalim: cui vt complaceat Achas, templum Domini claudit, & euocato ad ſe Damaſcum Vria ſummo ſacerdote nouum altare idololatricum ad formam Damaſceni erigi, & in templum collocari iubet: qui typi fuere Anti-chriſti. *2. Reg. 16.7* *v.7* *2. Reg. 15.29* *2. Reg. 16* *Anti-chriſti alius typus.*

Pekach rex Iſrael à coniuratis interficitur: & ſecutum ſeptennale interregnum in Iſraele. 2. Reg. *15.30.* *3216 a.m.*

Roma conditur à Romulo: quam Auguſtinus, & alii ſcriptores ap- *3220 a.m. Romæ conditæ.*

pellant Babylonem occidentalem. Romani tunc bellum aduersus Sabinos mouerunt, gesseruntque.

c.44. & 45 Esaias, auctore Iosepho, circa hæc tempora vaticinatur de Cyro Monarcha Persarum ante captiuitatem Babylonicam annis *140*. & ante eius finem *210*.

2. Reg. 16. 20 Achas impius moritur, tertius factus ex impiis regibus Iudæ: qui sepulti quidem in ciuitate Dauidis: sed non illati in sepulchra regum. Primus Ioram, qui fratres suos interfecit *2*. Par. *21. 4*. secundus Ioas, qui Zachariam occidit: Tertius hic ipse Achas.

Impii reges Iuda. *2. Par. 24. 22. c. 28. v. 2*

Hoc perturbatissimo, & inquinatissimo rerum omnium, inprimis ecclesiæ statu, in quo omnia sursum deorsum, quasi fortuito volvi videbantur, Ezechias decimus tertius rex Iuda, ætatis anno *25*. regnante Osea rege Israelis, instituit illam insignem Ecclesiæ repurgationem. Serpentem æneum, olim Dei iussu erectum, ob abusum confringit: Pascha celebrat; in quo *3930*. holocausta Deo oblata: ad quod Pascha etiam Israelitas per literas vndique emissas, amice inuitauit: verum plerisque deridentibus, paucis vero sequentibus, tandem biennio elapso, Oseas rex Israelis, recusans Salmanassari dare tributum, fiducia initi fœderis cum Soo rege Ægypti, Samaria regni metropolis à Salmanassare capta est: decem tribus vna cum rege in Assyriam abductæ: & in vrbes Medorum, aliaque loca distributæ sunt: atque ita regnum Israelis: quod à morte Salomonis steterat annis *262*. extinctum est.

2. Reg. 18 v. 4 *2. Chron. 30* *v. 11 & 12* *2. Reg. 17. 6* *Finis regni Israel.*

Typi Christianismi Faxit, o Devs: ne isti sint typi Christianorum quorundam regum: ne & illi spreta vera ecclesia Christi, piaque ad celebrandum Pascha inuitatione, confisi in fœdere Ægypti, & Babylonis spiritualis potentia, spectante pio Ezechia, pœnas dent: & suo demum cum damno sapere discant: cum scilicet regnum Israeliticum regibus Iudæ administrandum dabitur;

Felix quem faciunt aliena pericula cautum.

Fuerunt regum Israelis numero nouendecim: nouem placida morte mortui, nouem interfecti, & Oseas vltimus abductus: de quibus supra satis est superque dictum.

Causæ huius exilii commemorantur ab Osea cap. *2. 4. 10. 13*. & Amos 3. 4. 5. *6. 8. & 2*. Reg. 17. 7. & seqq.

c. 1. & 2 *Nahum* hoc tempore, teste Iosepho, vrbis Niniues excidium prædixit: quæ fuit typus Anti-christi: vt ex eius Prophetia apparet. Euentus autem ipse vaticinium, in typo prius exhibitum, post annos *115*. comprobauit. Ita abductis à Salmanassare decem tribubus; Sennacherib se re-

c. 1. 8 siduas tribus Iudæ, & Beniamin (quas Esaias veluti tuguriolum derelictum in vinea vastata nominat) longe facilius abducturum putans; misso

Rabsa-

Rabsace suo obsidet Hierosolymam: verum precibus Esaiæ, & Ezechiæ miraculose per angelum cæduntur 185000. Assyriorum: & ipse Sennacherib, fugiens Niniuen, à filiis interficitur 2 Reg. 19. v. 37. 2. Paral. 32. 21. ex prædictione Esaiæ c. 37. 7. Herodotus lib. 2. Ezechiam Sethonem regem Ægypti, & Vlcam Sacerdotem nominat: contra quem cum Sennacherib magnum exercitum duceret, contemtis eius diis, Sethonem diuinitus in somniis monitum, ne eum metueret: tandem noctu à muribus pharetras, & arcus corrosas, & exercitum dissipatum dicit: qui & illius statuam in Ægypto sese vidisse affirmat, cum hac inscriptione; IN ME INTVENS ESTO PIVS. Berosus qui Alexandri Magni tempore Assyriorum Monarchas descripsit, ait; Sennacheribum ex Ægyptiaco bello reversum amisisse exercitum, quem sub Rabsacis imperio reliquerat, & vna nocte 185000. hominum peste absumta fuisse. Fieri autem potuit, Sennacheribum euocasse Rabsacem ex Ægypto ob obsidionem Hierosolymæ; cum is prope ciuitatem illam cæsus fuerit diuinitus. Ægyptii hoc à suo Vulcano factum opinabantur. Hinc quia Hierosolyma ab Ægypto, & Græcia remota erat, & forsan ex cæde illa nemo ea in loca quicquam retulit: ideo veritas rei in Ecclesia tantum mansit; adumbratio vero inter gentes. Neque enim DEVS omnibus gentibus sua mysteria, & res gestas notas fecit. Vide Chronic. Philippi, & Chron. Chytræi, & præcipue nostri Bucholceri. Inspice ipsum Herodotum, & Berosum, in quibus hæc iucundissima lectu sunt: quorum maioribus clades quidem Sennacheribi nota fuit: sed circumstantiæ illius ignotæ: & quorum historicorum ignorantia differt à Luciani, & Mahometis fabulis: qui ex proæresi confictis impudentissimis, & diabolicis mendaciis historiam sacram in veteri, & nouo testamento comprehensam in nihilum reddere conati sunt: id quod nulli gentium historici fecere.

Herodoti & Berosi de clade Sennacheribi cum sacris literis cõcordantia ex parte.

PROPHETÆ SVB REGIBVS IVDA.

Post abductas decem tribus Israelis à Salmanassere in Mediam.

FLorebant tum Nahum, Ioel, Abacuck, Ieremias, Sophonias, Abdias. Quanquam enim Oseas, Amos, Esaias, & Micheas, qui interitum regni, & regum Israel prædixerant, etiam tristes huius abductionis spectatores fuere: quia tamen isti sex supra dicti diutius docuere: itaque huc soli referuntur, non autem ii, qui hæc tantum tempora attigerunt.

NAHVM

c.1.15 PRædixit præcones,& legatos Euangelii CHRISTI, dicens; O quam pulcherrimi pedes ſunt euangelizantium pacem, eam ſcilicet, quam

Pax.ex Euangelio Chriſti. Phil. 4.7 1.Cor.1.30 CHRISTVS nobis interprete S.Paulo ad Rom.5.1. attulit: & quæ omnem captum humanum ſuperat,cuſtodiens,& cor,& mentes noſtras in CHRISTO IESV olim promiſſo,nunc vero exhibito in carne,Meſſia noſtro Theanthropo: qui nobis factus eſt pax,ſapientia,iuſtitia, ſanctificatio, redemtio,

c.1.2 & vita æterna. Sanctam Trinitatem ter IEHOVAM nominat.

c.1.15 *Veram Eccleſiam* mirifice tunc agitatam,& quaſſatam pace illa præconum ſuo tempore proditura,ſolatur.

c.1.11 Anti-chriſtus. 2.Theſſ.2.8 c.2.10.11.12 c.3.1.3.4.16 *Degenerem eccleſiam* cognominat Niniuen ſpiritualem, ex qua proditurum,ait,impium, & ſceleſtum illum ἄνομον, DEO ſe opponentem: cuius tamen ſpeluncæ,vna cum leonibus ſuis,viſitabuntur. Vnde, ait, væ ciuitati adulteræ,& homicidæ,ob multiplices etiam ipſius idololatrias, ſuperſtitiones,& mercaturam,quam cum multis gentibus exercuit.

Futurum enim,vt ſolo terrore DEI ruat. Quæ ſane omnia typice de Antichriſto prædicta,& à S.Paulo 2.Theſ.2.8.item 2 Pet.2.3.expoſita, & in apocalypſi ad viuum depicta extant. Tale ſit,& de agno CHRISTO, à Moyſe, & Prophetis depicto iudicium: qui eadem plane forma innocens agnus

Speculum propheticũ quale. comparuit, qua ab illis depictus erat. Tale ſit hoc noſtrum propheticum ſpeculum: vt in ea omnes facie veræ,& degeneris Eccleſiæ conſpecta; & ab ipſo DEO per Prophetas hoc ſpeculo confecto,& propoſito iudicet; vtri Eccleſiæ adhæreat, illine quæ ad cælum, an alteri quæ ad terram ducit: vti in ſpeculo noui teſtamenti à CHRISTO, & apoſtolis exhibiti,breuiter quoque proponetur.

IOEL.

CHRISTVS IEHOVA HIc CHRISTVM IEHOVAM,interprete S.Paulo, nominat: quem quicunque inuocauerit,ſaluabitur.

c.2.32 cap. 2.31 Spiritus Sanctus. c.2.28.ibid. Sancta Trinitas vid.& c.3.circa finem. Prædixit & vltimum eius aduentum cum ſignis, & prodigiis. De Spiritu Sancto,& effuſione eius in apoſtolos vaticinatur. DEVM Patrem mittentem, & Spiritum Sanctum mittendum ait, & ſic expreſſe diſtinctionem perſonarum in Sancta Trinitate monſtrat.

Veram eccleſiam ſolatur,dicens;ex Sione venturam redemtionem:& ex reliquiis Iſraelis,quas Dominus vocabit ad ſe, quemadmodum ante per Prophetas prędixerat,atque ita Iudam in æternum manſurum.

c.2.32. c.3,20 c.2.13 *Degeneri eccleſiæ* ſuadet: vt loco veſtium,ex mera hypocriſi, ſciſſarum, corda ſua coram DEO dilacerent.

Mundo

Mundo & Ecclesiæ Tyrannis minatur iudicium, & vindictam DEI: c.3.2
quam DEVS miraculose purget congregando ad se gentes ceu in conualle
Iosaphati, qui miraculosam illam victoriam, 2. Paral. 20. contra Moabitas, &
Ammonitas obtinuit.

ABACVC

CHRISTVM nominat vnctum Domini: qui caput scelesti illius Anti- cap 3.13
christi conteret: quod si protraheretur liberatio DEI, ne pii desperent, c.2.3 & c.3.16.17
monet: siquidem iustus ex fide viuet. Rom. 1.17. Gal. 3. 11. Heb. 10. 38. 18

Veram Ecclesiam solatur: quod moriendo non morietur: quod aperte, & c.2.4. & 3 c.1.12
audacter de DEO loquetur: quod etiam in rerum omnium penuria fideles c.2.14
in DEO veram abundantiam, & lætitiam habituri sint: quod deniq; IEHOVA c.3.17
sit lætitia, IEHOVA fortitudo, & DEVS eorum, id est, Sancta Trinitas. c.3.18.19

Degenerem Ecclesiam arguit: quod neglecto verbo DEI sese suis traditio- c.2
nibus ceu luto conspurcet: & auaritiam exercens vrbem suam sanguine ho-
minum ædificet.

Mundi Monarchis ait: siquidem omnes gentes deprædentur, futurum vt c.2.8
illi vicissim præda fiant.

IEREMIAS.

HIc prophetare cæpit Anno M. 3325. desiit circa annum M. 3370. Pro-
phetauit in Iudæa, & in Ægypto, In Iudæa sub Iosia 19. annos, sub Ioa-
kimo & Zedechia 22. annos. Vidit illam insignem sub Iosia Ecclesiæ refor- *Gaudium*
mationem: defleuit infelix bellum Iosiæ cum Necone rege Ægypti: sub Io- *& luctus Ieremiæ.*
akimo, cui vrbis deditionem, & voluntariam migrationem in captiuitatem c.26
Babylonicam iussu DEI suadebat, male habitus: & liber eius à Ioakimo scis- c.36.23
sus, & combustus fuit. Vidit pœnas DEI in Ioakimo à se prædictas, & Iu-
dæam à Nabuchodonosore occupatam: vidit voluntariam Ieconiæ in Ba- 2. Reg. 24.14
bylonem migrationem cum regina, principibus, artificibus, populo & Da-
niele: quos per epistolam consolatus est cap. 29. Rebellanti Zedechiæ con- Ier. c.37
tra regem Nabuchodonosorem prædicens pœnas, capitur à Sacerdotibus,
& à rege in puteum coniicitur. Vidit vrbis Hierosolymæ ruinam, & regis c.39
captiuitatem: cum reliquiis populi Iudæ, in Ægyptum migrantibus, eo ab- c.43.6
ductus. Quid ibidem ad illos sit locutus: quid responsi acceperit, vide pro-
beque nota cap. 44. quibus sane verbis etiam hodie Anti-christi sectatores, v.16
Euangelicos alloquuntur. Tandem lapidibus ab illis obrutum, alii à rege
Ægyptiaco Aprye interfectum tradunt.

Christum prædicens, nominat eum germen Dauidis, & DEVM iustitiam c.23.6
nostram.

c.25.v.1 & c.29.10 Ecclesiam veram, cui captiuitatem 70. annorum prædixerat, solatur; futuram ex ea liberationem: & siquidem DEVS iudiciorum suorum princi-
c.25.15 & seq. & v.29 pium à populo suo fecit: eum quoque calicem irę suæ omnibus populis pro-
c.30 pinaturum: Ecclesiam suam, quam DEVS æterna dilectione diligit, sub cru-
c.31.8 ce conseruaturum, probaturum & ex captiuitate Babylonica cum lacrymis, cum exultatione in DEO, & humilimis precibus eduсturum; & legem
v.33 suam cordi fidelium inscripturũ nouo cum illis inito fœdere Euangelii cum miserabitur iniquitatem eorum, purgando eos ab omni peccato.

Alta non quærenda Baruchum amanuensem suum conturbatum ob prædictas toti mundo mutationes, instruit: ne sublimes, & quietas res in mundo quærat: sed con-
c.45 tentus sit istis, quæ nunc sunt, & quæ imminent mundi ecclesiæq; mutatio-
v.5 nibus: sufficiat, loco summæ prædæ animam suam inde auferre, & lucrari: quasi innueret Propheta; ideo DEVM omnia mundana assiduis mutationibus subiecisse: vt eo ardentius ad immutabilia ac cœlestia dona (dicentes, *Adueniat regnum tuum*) suspiremus.

c.2 *Degeneri ecclesiæ* ob idololatriam, & iconolatriam, auaritiam, & crudeli-
c.6.14 tatem ac hypocrisin minatur dira. Ecclesia degener peccata populi extrinsecus sanare contendit, ingeminans subinde, pax, pax, cum tamen, secun-
Successio errorum. dum DEVM, nulla pax sit. Eadem etiam successione vana templi gloria-
c.7 c.4 & seq. tur; dum clamat, Templum, Templum Domini possideamus: cum tamen successio illa carnalis, & possessio templi nullius apud DEVM sit mo-
c.8.v.8 & seq. menti, eo quod legem spernat Domini, nec regatur verbo DEI. Vnde quæ eius sapientia, quæ beatitudo esse queat? Imo potius maledictum esse: & hæc omnia contendit proficisci à malis pastoribus, à quibus cum suo tempore
c.16.v.15 & 19 liberabitur populus dicet: certe patres nostri vere res vanas & falsas secuti
c.23.21 sunt. Iccirco ait, pastorem illum malum, & eius emissarios sponte sua absque legitima DEI vocatione currentes, & sua non verbum DEI (quod ipsi onus
v.36 appellant) docentes, diuina iudicia per germen Dauidis, id est, CHRISTVM, experturos, & calicem iræ DEI bibituros.

Capite 44. quæso diligenter expostulationem Ieremiæ in Ægypto cum Iudæis, & Iudæorum responsum perpende. Cum enim Propheta eos iusso
Oblocutores moderni euangelio Christi non subiecti. DEI hortaretur, vt adhærerent verbo DEI, omissis traditionibus vanis, & idololatricis patrum, & regum suorum; respõdit vniuersa multitudo: Verbo quod indixisti nobis, nomine Iehouę, minime sumus auscultaturi, sed omni-
v.16. & seq. no facturi, quodcunq; prodierit verbum ex ore nostro; libando, & sacrificando exercitui cælesti, quemadmodũ fecimus antea, & maiores nostri, reges, & principes, tum satiabamur cibo, & eramus hilares, nec malum expe-
Sacrificia auctoritate tantum humana nixa. riebamur. Ex quo vero remissius agimus, omnibus egemus, & gladio, & fame consumimur: an putas nos nostra sacrificia absq; præstantibus viris facere?
v.21 Quibus respondit Ieremias: annon quoq; IEHOVA recordatus est vestri suffitus,

situs,& sacrificiis cum propter abominationes vestras terra vestra in vastationem, desolationem,& maledictionem sit redacta. Hactenus Propheta.

Quam hi fuerunt insignes typi modernorum quorundam Israelitarum; *Typi Christianismi moderni*
nunc iisdem verbis, mutata persona veræ ecclesiæ responsitantium: ob quorum idololatriam quoq; Orientis in vastationem,& maledictionem Mahometanam redactæ: eædemq; calamitates propter admissas cædes occidenti *Anti-*
imminent; ni DEVM eiusq; Prophetas audiat. Capite 49. depingit Anti-christum sub Idumæo,& malo pastore: cuius domicilia ii, qui minimi videntur *christus* v.7
ex plebe, destruent: imo ad eum destruendum,& septentrionales gentes ventur as, atque ita Babylonem casuram. Quare monet, vt fideles inde migrent, v.20 *Septentrio Anti-christum euertet*
nec profuturam ait medicinam eorum, qui collabentem Babylonem curabunt: siquidem medicus cum ægroto peribit. c.50 & 51 *Medicus cũ ægroto in cu ratione Anti-christi peribit.*

Mundo prædixit fore; vt libent calicem iræ DEI cuncti populi: vtque insaniant: cum DEVS gladium suum mittet inter eos. DEVM omnibus gentibus finem facturum, reliquias autem populi sui conseruaturum. c.25.15

Status mundi iste tunc fuit. Assyriorum Monarchiæ imperabat Nabuchodonosor Primus temporibus Iosiæ, & Nabuchodonosor deinde Magnus, qui sub Ioakimo imperare cæpit,& Hierosolymam cepit, diruit cremauit.

Lydii quoque reges in Græcia,& Asia celebrabantur.

Neko Ægypti Rex (Herodoto teste,) à quo Iosias Iudæorum rex interfectus : In Media vero Cyaxares claruit, qui totam Asiam peragrasse scribitur.

In Græcia mixtus status fuit: Thalesque Philosophus sub Cyaxare Medo, teste Herodoto prædixit eclipsin: quo tempore quoq; Hierosolyma diruta, & cremata fuit. *Ecclipsis à Thalete prædicta*

Romæ Tarquinius Priscus regnabat.

Scythæ etiam 28. annis imperium Asiæ tenebant, Herodoto teste.

Hæc regna,& hi reges, quin & populo DEI,& Prophetis innotuerint, non dubito.

SOPHONIAS

CHRISTVM Regem Israelis nominat, dicens: eum in medio populi sui c.3. v.15. 17
palam commoraturum,& pastorem ipsius futurum.

Veram ecclesiam solatur & ait: DEVM etiam in medio impiorum sacerdo- v.12. 13
tum,& vanæ Ecclesiæ collocaturum populum pauperculum, & adflictum;
& reliquias illas Israelis, quæ cum DEO suo regi & pastori confidant, eas pa- *CHRISTVS pastor*
scet: ad quem mites terræ accurrent, nullam aliam retributionem pastori suo v.10
exhibituræ, nisi diligendo eum, idque ille acceptabit loco meriti. & c.2.3

Degeneri ecclesiæ minatur ista : Væ ciuitati gestienti, & secure habitanti, c.12.15
& dicenti in corde suo, ego sola sum; & præter me nulla est alia. Væ ciui- *Anti christus superbus*

c.3.3 tati magnæ,& præcipuæ,quæ non auſcultat voci DEI:nec confidit in IEHO-
VA; ſed in ſuis principibus, qui ſunt veluti Leones rugientes, & Prophetæ
v.4 eius nequam,& crudeles,Sacerdotes polluti: vt qui legem DEI ad ſuas de-
v.5 torquent abominationes,& contaminant res ſanctas.Inter quos licet DEVS
c.2.2 quotidie ſua peragat iudicia:tamen illi hæc omnia contemnunt. De mun-
do ait fore,vt ventiletur,quemadmodum palea.

ABDIAS

v.18 CHRISTI aduentum ita prædixit,dum ait: domum Iacobi futuram in-
v.17 ſtar ignis ad comburendas paleas Eſau: & ex Sione venturam libera-
v.21 tionem,cum Redemptor iudicabit Eſau. Tunc enim DEI IEHOVÆ futu-
rum iudicium.

v.19 *Veram Eccleſiam* nominat Iacobum, quam ait fratrem ſuum Ephraimum,
id eſt,degenerem eccleſiam iudicaturam.

Anti-chriſ[ti] ſedes *Degenerem eccleſiam*, & Anti chriſtum typice contra Idumæum ad meri-
v.3 diem ſedentem,vaticinando deſcribit:quæ in corde ſuo ait; Quis me detra-
v.4 het ad terram?quam ita Propheta alloquitur. Etiamſi inſtar æquilæ nidum
tuum in loco excelſo collocares; tamen inde te detraham, theſauros aufe-
ram tuos,& exſtirpabo eos,qui fœdus tecum iniere: imo illi ipſi ſocii fœde-
ris deſerent te, & ſapientes tui; eo quod adflixiſti Iacobum fratrem: qui te
v.10 vltimo iudicabit. Idipſum, & Daniel prædicit futurum, vt ſanctis tradatur
Typus victo-ia contra Antichriſtum. iudicium.Vltimo ait Propheta,Iacobum terras meridionales Idumæi,id eſt,
degeneris eccleſiæ occupaturum.
v. 19 & 20

STATVS ECCLESIÆ MVNDIQVE ſub his Prophetis.

Eccleſiæ.

NAhum Anno M.3233.floruiſſe putatur. Audiuit illuſtres ab Eſaia Pro-
phetias de CHRISTO Emanuele,vero DEO, & homine, ex virgine na-
ſcituro,& hoſtia pro peccatis noſtris futuro. Audiuit etiam à Michea Pro-
pheta,locum in Bethlehemo naſcituro Meſſiæ deſignari. Hinc ſpiritu ge-
c.1.15 ſtiens futuriſque euangelii præconibus gratulans ait: quam pulchri pedes
euangelizantium pacem!

Vidit Sennacheribi interitum: & mortem Eſaiæ Prophetæ, quem ſerra à
Manaſſe diſſectum nonnulli Rabinorum aiunt, non potuit non ſummo-
pere deflere.

Initium hiſtoriæ Herodoti. Hoc loco Herodoti hiſtoria incipit, ethnicorum antiquiſſima. ſic nihil
ſacra ſcriptura antiquius!

Succe-

Succedunt Abacuc,& Ioel:in quorum ore cordeque procul dubio assidue resonabant recentia illa atque illustria de Messia vaticinia præcedentium Prophetarum.

Ac hortatur ille, vt moram liberationis istius patienter ferant : iustum *c.3.16.17.18*
autem fide victurum ait. Prædixit reformationem illam Ecclesiæ, omnium, *c.2.v.3.4*
quæ vnquam fuerunt, celeberrimam sub Iosia: quæ etiam antea, ante annos
333. ab alio Propheta sub Ieroboamo prædicta fuit. Cum enim ecclesia sub
Manasse idololatra,& tyranno ceu in latebris latitaret; prædixit, eam palam, *c.2.14*
& audacter laudes DEI Israel celebraturam: id quod typice in Iosia primum *Typi impleti & adhuc plenius implendi*
impletum: deinde sub Christianis in Constantino Magno; tertio temporibus HVSSI, LVTHERI, CALVINI factum: denique sub clade Gogi,& Magogi,& Iudæorum conuersione expectatur.

Ioel vero, qui etiam spectator Sennacheribi cladis, & impietatis Manassæ fuit, inuehitur in hypocritas, vt loco vestium corda sua scindant, sua- *c.2.13*
det:& de Redemtore ex Sione venturo,& Spiritus Sancti effusione, ad con- *c.2.32 &28*
solandam mæstam ecclesiam, vaticinatur.

Ieremias prophetare cæpit anno M. 3325. desiit circa annum M. 3370. Sophonias anno M. 3332. Abdias Anno M. 3340. Hi tres ergo Prophetæ συνχρονοι fuere: forsan,& Huldam Prophetissam nouerunt: quam Iosias rex inuento Moysis libro, instituturus illam insignem reformationem in vtroque regno, & Iuda, & Israelis consuluit: quod typus fuit vltimi illustrissimi reformatoris christiani. Sophonias tamen, & Abdias demum post Iosiam docuere: sed spectatores erant Iosiæ reformationis: & defleuerunt cum Ieremia occisum Iosiam à Nekone rege Ægypti: cuius interitus Baalitæ Sacerdotes procul dubio causam fuisse aiebant, nouam religionis formam inductam, vt patet Ierem. 44. cap.

Sic nunquam DEVS voluit Ecclesiam brachio confidere humano : nec
Ionas ricino, ad se in summo æstu tegendum, diu vsus fuit. Subinde tales ri- *Ricini Ionæ cur non diu durent*
cini, præter spem à DEO ad vmbraculum ecclesiæ suæ concessi; sed iidem
præter spem quoque corruunt. Ac dum pios etiam in bello è medio tollit DEVS; protegit eos ab incredulo mundo : quod agit in ecclesia exercens eam: cuius corda vult sursum ferri ad palmam supernę vocationis: nec oculis corporis aut ratione humana, sed oculis mentis, & fidei, sub spe contra spem vult à nobis cognosci. Nec dubium est Baalitarum cultores, quorum idola Iosias destruxerat, & verum DEI cultum restituerat, hanc victoriam Baali suo adscripsisse: ac si vltionem de Iosia sumsisset. Sic de Iosia Saxone nostri seculi quidam cecinit.

Victus eras acie; fidei constantia tandem
Victorem fecit te ante DEVM, atque homines.

Sub Iosia Ieremias docuit 19. annos: Sub Ioakimo & Zedechia 22. annos: *Ierem.35.23 &32*

Liber eius à Ioakimo scissus, combustus. Vidit pœnas DEI in Ioakimo à se prædictas, & Iudæam à Nabuchodonosore occupatam: vidit voluntariam Iekoniæ in Babylonem, ad quam eum voce DEI hortatus est, migrationem: idque cum regina, principibus, artificibus, & magna populi parte, inter quos & Daniel: quos omnes per epistolam Hierosolyma missam consolatus est c. 29. Rebellanti autem Zedechiæ contra Nabuchodonosorem prædicens pœnas, capitur à sacerdotibus, & iussu regis in puteum fædum coniicitur. Vidit vrbis Hierosolymæ ruinam & regis captiuitatem. Legit, & forsan audiuit, Ezechielis vaticinia de euersione Hierosolymorum, & de futura per CHRISTVM liberatione, & mortuorum resurrectione. Deinde à Ioanna, & reliquiis populi Iudaici in Ægyptum, dissuadens, & dehortans eos, est abductus: quibus quid ibidem locutus sit: & quid illi vicissim responsi dederint, quæso vehementer, & vnice omnes, DEVM sincere colentes, oro; vt diligenter cognoscant ex Ieremiæ 44. cap.

Ierem. 37

Ierem. 52 & c. 39

Ieremias in Aegyptum abductus

Quam sane impiam cantilenam adhuc hodie vani Israelitæ veris DEI cultoribus occinunt, & canent vsque ad vltimum CHRISTI aduentum. Quam autem Ieremias vere vir adflictus fuerit: & in quos impatientiæ scopulos ipsemet impegerit; vide Bucholceri chronol.

Cantilena perpetua degeneris Ecclesiæ.

vide c. 37. 12

Has mutationes in Ecclesia mundoq; ne casu fieri putarentur, audiuimus iam omnes prædictas esse: quia, vt inquit Propheta, nihil facit IEHOVA: quod non prius reuelet sanctis suis Prophetis.

Et quia eadem nunc vitia, quid dico eadem? imo, proh dolor longe deteriora, longe magis abominabilia in Ecclesia deprauata regnant: metuendum, ne maiores pœnæ sequantur.

Clamant hodierni degeneres Israelitæ, pax, pax, vbi nulla pax est: dum vnanimem quidem (si tamen vnanimis est) sed in errore duntaxat externum consensum, vel potius externam religionis, in ritibus suis laruam, & characteres bestiæ, pro vero DEI cultu venditant: dum possessione templi non veritatis gloriantur: dum longam præscriptionem abominationum suarum, à regibus, principibus, doctoribus suis veluti iure hæreditario acceptarum, contra expressum DEI verbum, ipsi Ieremiæ contumaciter, & scelerate obtrudere non verentur. Certe, certe obtinebunt etiam iure hæreditario, & ex præscriptione longaque consuetudine pœnas illas; quæ typice in Iudæis, sub velamine Moysis, & lucerna Prophetarum in obscuro loco lucente, conspectę: sed hic longe grauiores erunt, quo, lucente SOLE IVSTITIÆ CHRISTO, idem CHRISTVS tam felici tempore ab illis contemnitur. Harum calamitatum Ieremiæ participes fuerunt Sophonias, & Abdias. Ac dum Sophonias videret illas horrendas non modo ecclesiæ DEI, sed in vniuerso quoque mundo mutationes, & generalem illum iræ DEI calicem, à Ieremia prædictum: ne animo penitus conciderent

Vbi successio errorum ibi & pœnarũ

Nunc maiores immĩnẽt pœnæ

Ierem. 25. 15

reliquiæ

reliquiæ illæ ecclesiæ, tam in Iudæa, quam in captiuitate Babylonica: audiuimus iam in eius prophetia, quam cordate veram ecclesiam soletur: quod eam DEVS sibi in medio vanæ ecclesiæ ex populo adflicto, & paupereulo colliget; ipsemet Rex, & Pastor eorum futurus: ad quem mites terræ accurrent. Quæ licet tunc typice in reliquiis istis piis etiam acta; tamen veritas ipsa temporibus CHRISTI planius & plenius impleta, & sub Anti-christi iugo etiam sæpe similia conspecta; & adhuc conspiciuntur. Hinc quales pœnæ ciuitati illi secure habitanti, & dicenti ego sola sum, immineant, idem Propheta prædixit: quæ licet in Babylone typica impleta; adhuc tamen, interprete S. Ioanne in Apocalypsi, complebuntur vere in septicolli spirituali Babylone. *Soph. 3. v. 11. & seq. c. 2. 3 & c. 3. 10* *Probe considerandum c. 2. 15*

Hæc vaticinia Abdias Propheta comprobat, dum ait; Domum Iacobi futuram suis temporibus veluti ignem ad comburendas paleas Esau. Et Idumæum dicit in meridie sedentem, etsi nidum suum tanquam aquila, scilicet occupatura Romanum Imperium ex prædictione 2. Thess. 2. in nubibus cæli, id est, in ipsa ecclesia collocarit: tamen inde deturbatum iri, vna cum sociis fœderis: Iacobum vero terras meridionales istius Idumæi occupaturum. *v. 18* *v. 4* *v. 19*

Mundus maiestatem, & potentiam Assyriorum mirabatur.

Assur teste Esaia c. 30. existimabat; se sua potentia, & fortitudine regna mundi conquirere, populum DEI adfligere; cum tamen existens baculus, serra, securis & virga DEI, nihil aliud egerit: quam quod manus DEI faciendum decreuerat.

Iudæi vero fabula ipsis erant; vtut plus quam manifesta signa præsentiæ DEI in populo Iudaico, veluti in victoriis Amasiæ, Iosaphati, & Ezechiæ apparuerint. Illa tamen omnia fortuito casui, vti nunc mundani homines, adscripsere.

Romæ Romulus, regnante Manasse in Iuda, moritur, Gygen in Lydia regnasse Herodotus memorat: & recenset longum catalogum regum Ægypti, & Sethonis Sacerdotis: sub quo Sennacheribum, Pelusium obsidentem, diuinitus cæsum ait, Hierosolymæ & Ezechiæ obsidionem annuens.

Sic mundus ceu in coruscatione nocturna aliquid de operibus DEI audiuit; nonnulla vidit. Verum tenebris mundi durantibus; & coruscatione cito euanescente, quæ etiam oculos non regeneratos, non modo non illuminabat, sed etiam obfuscabat: ideo cognitio mysteriorum DEI in populo Iudaico, durante pariete intergerino, permansit. *Ethnici de operibus DEI auditionem, tanquam per coruscationem nocturnam acceperunt.*

PROPHETÆ

In captiuitate Babylonica tribus Iudæ, & Beniamin.

EZECHIEL

cap.34.v.23 24.31 CHRISTVM nominat verum,& vnicum pastorem,& æternum Dauidem,ac verum DEVM.

c.11.19 Noua Hierosolyma. c.37.v.12.13 c.40 & seq. Spiritus Sancti missionem, veri DEI prædixit; cui etiam DEVS resurrectionem mortuorum, & nouam alteram Hierosolymam in visione monstrauit.

Ecclesia inuisibilis. c.9.4 c.11.v.19.20 & c.36.v.26 27 c.34.v.25 In deserto mundi ecclesiam pascendam. c.36.v.25 29.33 c.34.v.23.24 *Veræ Ecclesiæ* membra latitantia Hierosolymæ,in medio abominationum, cum de his pene subdubitaret Propheta, DEVS eidem per visionem cælestem monstrauit;dum iubet per angelum, omnes ingemiscentes super his abominationibus signo Thau,id est, arrhabone Spiritus Sancti signari. Ac promittit DEVS, ablato corde lapideo,se illis carneum,& Spiritum Sanctum suum in interiora eorum daturum,vt in mandatis eius ambulent. Velle etiam paruulum gregem in deserto pascere;& ibi cum eo fœdus pacis suæ erigere:eumque ab omni eius iniquitate purgare : idque per æternum illum Dauidem,qui istorum vnicus futurus esset princeps,&pastot vsque in æternum.

CHRISTVS æternus Dauid. c.44.28 Dominia clero non danda In dimensione templi mystici iubet DEVS: ne vlla pars terræ hæreditatis loco Leuitis detur : Siquidem DEVS est hæreditas eorum. Hoc idem,& CHRISTVS docuit,ne Ecclesiæ pastores dominia possideant, & populis dominentur.

Anti-christus. c.28.2 Abd.v.14 Ose.passim c.34.2.3 & seqq *Degenerem Ecclesiam*, & Anti-christum ita depingit : Quia eleuatur cor tuum,& dicis;DEVS fortis sum:& sedeo in sede DEI,& prope mare;cum tamen homo sis,& non DEVS , eo quod ob mercaturam tuam thesauros tibi collegisti:ideo,& cor eleuasti tuum. Quibus sane verbis etiam Esaias capit. 14.v.13.14.& Abdias ac Oseas,Daniel 7.11.12.& S.Paulus 2.Thess.2.etiam de Anti-christo vaticinantur. Quare minatur ei Propheta, & eius emissariis: qui adipem ouium comedunt, lanam cutemque illis detrahunt , infirmos non roborant, ægrotos non curant , sauciatos non ligant,dispersos non recolligunt,sed tyrannice,superbe,& auare,gregi DEI imperant:minatur,inquam,eis:quod pastor ille malus, & eiusdem emissarii pereant, & pingues

Anti-christi clades. cap.38.&39 oues ipsorum exstirpentur. Eundem Anti-christum Gogum, & Magogum nominat,& eius horrendam cladem prædicit.

DANIEL

VAticinans de CHRISTO, expreſſe, & nomine proprio illum CHRI- *c.9.24.25 26 Tempus ad-*
STVM, & vnctum Domini appellat. Prædicit & certum tempus ipſius *uentus*
aduentus, paſſionem ipſius, mortem, reſurrectionem, & glorioſum in nubi- *CHRISTI à Daniele*
bus reditum, & aduentum filii hominis: quem & Dominum è cœlis nomi *prædictũ*
nat: & lapidem è cœlo abſq; manu delapſum ad conterendum Coloſſum, & *cap.7.13.14*
mundi regna, & erigendum æternum regnum. *c.2.44.45 cap.9*
Eccleſiæ veræ hic in terris militanti prædicit crucem, & horrendas ſub An- *c.12.v.7*
ti-chriſto perſecutiones, & captiuitatem ſub eo: quam tamen copioſe ſola- *Captiuitas quæ metu-*
tur: ne tam externam corporis captiuitatem, quam internam, id eſt, amiſſio- *enda*
nem lucis, & agnitionis DEI metuant: ſiquidem ita DEO placuit: eos hic per *c.11.v.30 31.32.33*
illum ſceleſtum Idoli Mauſeos cultorem, & thori coniugalis contemtorem *v.36.37*
(qui ſe ſupra DEVM & verbum eius effert, & regnum in templo DEI erigit *v.35. & c.12 v.10*
terreſtre) probari, & purificari ad tempus : demonſtratis tandem in eo ſuis
iudiciis ; adeo, vt iudicium Sanctis ſuis ad eum iudicandum commiſſu- *c.7.22.&27*
rus ſit.
Degenerem Eccleſiam, & Anti chriſtum in ea ſeſſurum typice ſub Antiocho *c.8.26 & c.11 v.4*
deſcribendo cæleſti oraculo monet: vt vaticinia illa ad tempus certum ob- *Danielis*
ſignet: ſiquidem ad longiora tempora illa ſeſe extendant. Futurum enim, vt *vaticinia ſub Chriſti-*
ſuo tempore pii diligenter illa legant, & ſcrutentur: impii autem horum ni- *anis impleri*
hil intelligant, imo contemnant penitus. Ait ergo, in fine quartæ Monarchię *debebant c.12.10*
beſtiam produituram, quæ bellum inferet ſanctis, & vincet eos: eouſq; , dum *cap.7.25.26*
iudicium ſanctis à DEO aduerſus eam tradatur. Ait illum ſceleſtum conatu- *27*
rum mutare tempora, & legem DEI in ſuas traditiones; & ſeſſurum ad me- *c.8.24 v.25*
ridiem: qui ſe eleuare conabitur vſque ad cœlum, & ſtellas cœli: qui dere- *c.8.v.9.10*
licta veritate, non vi, ſed fraude creſcet. Hinc etiam, vbi completa fuerit eius *24.25 c.7.v.25*
iniquitas, non humanis ſed diuinis viribus contritum iri.
Ac mentio hæc meridiei non caret ſummo myſterio. Etenim neque de *Sedem Anti-chriſti tã*
regibus Babylonis, qui erant reſpectu Iudææ orientales, neq; de Antiocho *vnanimiter & in prophe*
Magno id dici potuit: ſed vere ad alia tempora, teſte Daniele reuelatio ſedis *tis & in apo-*
iſtius meridionalis Anti-chriſti illius fuit reſeruanda. *calypſi meri-*
Hunc autem Anti-chriſtum, qui typice in Antiocho deinde apparuit, *die poni, non carere my-*
Propheta in capit. *11.* à v. 21. vſque ad finem ſuæ Prophetię deſcribit dicens: *ſterio.*
eum initio non magnæ æſtimationis futurum, & abſque regio ornatu: ve- *Quãti fraude in Eccle-*
rum per fraudem pacifice regnum occupaturum : & quidem per fœderis *ſiam ſit Anti-chriſtus*
ſui ſocium: quem quoque per fraudem decipiet; occupaturus eius regna *irrepturus*
in locis fertiliſſimis: facturuſque ea, quæ non fecere patres eius: vt qui corde *v.21. v.22*
ſuo, ſeſe auertet à fœdere legis DEI, & per hypocriſin externum DEI cultum *v.23. v.24*

Anti-chriſtus totus

ἄνομος id est, exlex simulabit; eundem conspiraturum, ait, & societatem iuncturum cum iis, qui
v.27 v.30 v.31 deseruere item fœdus legis DEI; cui adhærebunt exercitus magni regum
Abominatio desolationis ab Antichristo introducenda. & principum: & contaminabunt sanctuarium DEI: neglecto vero sacrificio erigent in loco sancto abominationem desolationis; ad vniẽdos, & confortandos per hypocrisin, & blandiloquentiam eos, qui impie contra fœdus Legis DEI agunt. Doctores autem ductoresq; populi DEI igne ferroq;
v.32. v.33 Martyria Christianorum perituros; aliquos in captiuitate futuros; parũq; auxilii à suis habituros, quo scilicet purgentur, probentur, & dealbentur vsque ad certũ tempus. In summa,
v.34.35 Anti-christi petulantissima prævaricatio. regem illum omnia facturum secundum voluntatem suam, adeo, vt supra DEVM eleuetur: & contra altissimum loquatur: cui feliciter omnia succedent: quique oblitus paterni DEI, alio cultu sibi erecto etiam per hypocrisin cælibatum simulabit: & loco DEI fortissimi colet idolum Mauseos,
v.36 v.37 Deos suos auro, gemmis argentoque exornaturus. Tentoria autem Palatii
Idolum Mauseos sui eum collocaturum prope mare in loco sanctitatis: vbi abominatio illa vires suas post exhibitum Messiam exeret.

v.38. v.45 Regna mundi quid. *De statu mundi Daniel* profert Nabuchodonosoris verba ex recitata ab eo confessione, qui ait: omnes populos coram DEO pro nihilo reputari: &
c.4. v.35 DEVM omnia pro beneplacito suo disponere in cœlis, & in terra: nec quenquam esse, qui audeat DEVM interrogare, cur hæc ita faciat. Vias Domini
v.37 esse IVDICIVM, & IVSTITIAM, & superbos à DEO humiliari, constitui reges,
c.4.17 & eorum respirationes in manibus DEI esse.

Quatuor Monarchiæ à Daniele prædictæ Prædixit autem Daniel quatuor Monarchias, & sub finem vltimæ Monarchiæ, expresse ait, fore, vt CHRISTVS interficiatur: verum mortem illam nihil ei nocituram: quin imo lapidem è cœlo absque manu auulsum contriturum esse Colossum cum omnibus mundi regnis, & erecturum æternum;
c.9 v.26 c.2 v.44.45 venturum Filium hominis in nubibus cum gloria magna.

CHRISTI aduentu iis quid fiet. c.7. v.13

STATVS ECCLESIÆ MVNDIQVE SVB captiuitate Babylonica regum Iuda, docentibus Prophetis,

EZECHIELE ET DANIELE.

EZechiel singulari ritu ad ministeriũ vocatus anno M. 3359. visionibus omnes Prophetas superauit. Vidit degeneres filios Iosiæ, Ioachasum, quem Necho Rex Ægypti in Ægyptum abduxerat: & loco eiús fratrem ipsius Eliakimum, Ioakimi nomine illi dato, regem constituit: cuius impietas in scindendo, & comburendo libro Ieremiæ, vt & carcer Ieremiæ proculdubio illi innotuerat: qui rex & asini sepultura à Ieremia c. 22. v. 19. prædicta, sepultus fuit.

Vidit

Vidit Ioakimi ſeu Ieconiæ, qui fuit filius Ioakimi, & nepos Ioſiæ, voluntariam in Babylonē, hortante Ieremia, cum multis millibus hominum, migrationem; in cuius locum patruus eius Matanias, dictus Zedechias, à rege Nabuchodonoſore collocatus erat: Vidit, inquam, & ingemuit, cernens hanc filiorum DEI comœdiam, & tragœdiam filiorum mundi, cui ipſemet interfuit: ac, DEO ita diſponente, cum illis, ad conſolandos eos, in Babylonem abductus, Ezech. 1. Sic Ieremias cum reliquiis populi, in Iuda relicti, vidit rebellionem Zedechiæ, contra Nabuchodonozorem: ob quam filii Zedechiæ, patre ſpectante, laniati, patri oculi effoſſi, magnates cæſi, Hieroſolyma, vna cum templo & regia igne ferroque vaſtata, & quaſi ſolo æquata; templi ornamenta inde ablata.

Ierem. 29 15

Comœdia filiorū DEI, & tragœdia filiorū mūdi

Terreſtris Hieroſolymæ ruina
Ierem. 22

Godolias Iudæus terræ præfectus.

Notæ illi erant Danielis prædictiones, interpretationesque Nabuchodonozori traditæ: & quid DEVS cum Nabuchodonozore egerit. Ac dum Nabuchodonozor ſomnium de Coloſſo, deque arbore excindenda videt; Ezechiel ſpiritualis Hieroſolymæ ſeu eccleſiæ CHRISTI æternum duraturæ myſterium in viſione contemplatur.

Ezech. 2. 8. 4
Dan. c. 3 & 4
Cœleſtis Hieroſolyma
Ezech. c. 40 & ſeq

Mundus potentiam Babyloniorum, & victorias miratur. DEI autem myſteria triumphantis in captiuitate ſuorum, & ad verum regnum eos ducentis, ignorat: quanquam, ſi vllo vnquam tempore, certe hoc ipſo mundus illa tremenda facta DEI, quæ DEVS cum Nabuchodonozore egerit, cognoſcere debuit; etiam ex ipſa Nabuchodonozoris apud Danielem confeſſione. Herodotus tum temporis in regnis Medorum, Ægypti, & Græciæ accidiſſe ait ſequentia.

Mundus mundana admiratur

In Media imperaſſe Cyaxarem, qui totam pene Aſiam occupauit; in Ægypto regem Necho, qui Ioſiam interfecit: qui orbem terrarum circūnauigare iuſſit. In Græcia tyrannos, & Thaletem Philoſophum, à quo ecclipſis Solis prædicta, cuius & Plinius meminit, & Solonē Atheniēſiū Legislatorē floruiſſe cōmemorat. Cōſiliū etiam Aſtyagis aui materni Cyri, de Cyro nato exponēdo, eoq; ab Harpago ſeruato deſcribit. Quæ omnia in tempora Ezechielis inciderunt, & procul dubio illi apud Babylonios cōmorāti nota erāt.

Danieli eadem hæc, & quidem magis nota, quam Ezechieli erant: vt qui cum Ioakimo rege, ante Ezechielem, in captiuitatem Babylonicam abductus fuerat: & deinde in aula Babylonica primus à rege exiſtens, multa de totius mundi ſtatu, vt fit in magnificis aulis, cognoſcebat.

Dan. c. 2. 48

Præter iam commemorata, quæ poſt mortem Ezechielis his temporibus Danielis geſta ſunt, vidit Daniel Iekoniam ab Evil. Merodacho rege Babyloniæ exaltatum anno 37. migrationis, 2. Reg. 25. 30. Balthaſari, quem Ioſephus Nabodinum, & Herodotus Labynitū nominat, interitum prædixit: q, & factū vidit, capta à Cyro Babylone, & Balthaſare à Dario Medo ex prædi-

Iekonias exalta us typus glorificat onis filiorum DEI
Dan. 5. 28

ctione Isaiæ 13.14. capp. interfecto. Vidit reditum Iudæorum ex captiuitate Babylonica elapsis 70. annis, vti Ieremias c. 25. v. 12. & 29. 10. Esaias 44. v. 21. prædixerant.

c. 7 Vnde senem iam fuisse Danielem constat: cui DEVS quatuor bestiarum visione repetiit, declarauit & comprobauit, quæ specie Colossi, Nabuchodonozori in somniis demonstrauerat, & per eundem explicarat.

c. 8. v. 5. & seq. c. 10, & 11 & 12 Prædixit & Alexandrum Magnum per visionem de hirco. Imo in postrema visione contexuit prognosticon à tertio Cyri anno, vsque ad mundi consummationem.

Herodoto auctore in Lydorum regno Cræsus ditissimus, & diuitiis oraculisq; falsis confisus, à Cyro capitur, & rogo impositus mentione Solonis liberatur: Irus & est subito, qui modo Cræsus erat.

Medorum rex Astyages, auus maternus Cyri capitur à Cyro.

Amasis rex Ægypti florentissimus.

Græci tumultuantur.

Latini reges condunt.

PROPHETÆ POST REDITVM ex Babylone.

AGGAEVS

c. 2. v. 3 v. 7. 9 v. 5 v. 8. 9 & 23 CHRISTVM, & eius Ecclesiam ita prædixit, dum ait: cum venerit exoptatus ille ab omnibus populis, secundi templi gloriam maiorem futuram prioris. Spiritum Sanctum, ait, futurum in medio Ecclesiæ suæ: quam Dominus, Dominus, Dominus exercituum, id est, Sancta Trinitas ædificabit.

v. 22 *Veram Ecclesiam* solatur, veluti à DEO electam; & quam DEVS sibi ceu in annulo exsculpsit, & cosingnauit: cuius nunquam obliviscetur.

c. 1 v. 2 & seq c. 2. v. 12 & seq. *Ignauia Iudæorũ in ædificando altero templo typus christianorũ ex Babylone spirituali eductorum.* *Degeneri Ecclesiæ* minatur: quod non modo negligenter circa ædificationem noui templi versetur: verum etiam contra legem DEI sese polluat, & omnes cultus DEI per hypocrisin faciat. Qui sane typus fuit nostri seculi Christianorum ex Babylone spirituali eductorum, & negligenter ædificationem noui templi purumq; DEI cultum promouentium.

c. 2 v. 22 Mundo minatur, dicens: DEVM regna gentium, immisso inter illa gladio suo euersurum.

ZACHARIAS

c. 9 v. 9 *Zacharias prædicit Christi humilem* DE CHRISTI futuro triumpho humili insidentis asinæ, & Hierosolymam ingredientis, deque proditore Iuda: qui eum acceptis 30. argen-

teis

teis proditurus erat, quo precio ager figuli comparandus erat, vaticinatur. *Hierosoly-*
Nominat enim illum angelum IEHOVAM, qui Prophetæ visionem illam, *ma ingressũ*
equo insidentis, & alterius viri Hierosolymam mensurantis, interpretatur. *c.11 v.12.13* *Proditorem*
Gentium vocationem & DEI, id est, CHRISTI, cum hominibus conuer- *Iudam.*
sationem prædicit; quem ex germine Dauidis oriturum, verumq; pastorem *c.2.3* *Gentiũ vo-*
futurum ait: qui cum percutietur, dispergantur oues. *cationem*

Veram Ecclesiam habitantem in medio degeneris ecclesiæ ita solatur. O *cap.2. v.15* *c.7.8&c.*
Syon, quæ habitas in medio Babylonis: ego ero murus igneus tuus, & gloria *6.12*
mea in medio tui: & qui te tetigerit, & me tangat necesse est, & pupillas *c.13.7*
oculi mei. Hanc autem Ecclesiam esse paruulum gregem, destinatum cru- *cap.2.9* *CHRI-*
ci, veluti oues mactationi: qui tamen in DEO omne robur suum, & Spiritum *STVS pro-*
gratiæ, & precum, decenti cum humilitate sit habiturus: cui etiam *tector Eccle-* *siæ in medio*
DEVS in domo Iacobæa fontem verbi sui sit aperturus: & è domo sua fal- *Babylonis*
sum Prophetam, id est, Anti-christum, vna cum idolis eius euersurus: sic ta- *habitantis*
men; vt prius delectus, & lustratio militum per vniuersam terram instituatur *c.2. v.12* *c.11. v.7.11*
tur; remanente tantum tertia portiuncula militis selectioris: qui & ipse ad- *c.12. v.3 & 5*
huc veluti aurum, & argentum in igne tentationum probatus, nomen Ieho- *v.7.8.10* *c.13.1*
uæ DEI sui singulari Zelo inuocabit; lucente illi sub crepusculum luce, id *Anti-chri-*
est, sub fine mundi, vti nunc fieri videmus. Vbi & Propheta ait; anathe- *stus euer-* *tendus.*
ma falsi Prophetę non amplius vires habiturum; eo quod vrbs Hierosolyma *v.2*
secure sit habitura. *Lustratio* *militũ DEI.*

* *Degenerem Ecclesiam* ita alloquitur; Nolite assimilari in contumacia patri- *v.8*
bus vestris: conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos. Væ terræ illi, quæ *v.9*
secure habitat, & pace fruitur; & superstitiosa in cibis: annon, dum comedi- *Crepuscu-* *lum mundi.*
tis, & bibitis vestri causa hæc fiunt? Iccirco dicit Iehoua; Ecce suscitabo vo *cap.14.7*
bis pastorem, qui errantes oues non quęret: sauciatas non curabit; fessas non *ibid. v.11* * *c.1. v.3 &*
feret: sed carnem potius eorum, quæ pinguiores sunt, comedet. Verum væ *4. v.15*
pastori illi, quia gladius superueniet super brachia eius, & brachium eius *c.7 v.5 & 6* *c.11 v.16.17*
arescet, & dexter oculus eius obtenebrabitur. Item dicit de eo, quod in no- *Anti-chri-*
mine Iehouæ mendacium loquatur: cuius Prophetæ induuntur toga vili ad *sti futurus* *mos.*
mentiendum. Monstrauit etiam DEVS in visione Prophetæ, summum Sa- *c.13.4*
cerdotem Iosuam, cui commaculata vestimenta detracta, & mitra tantum, *c.3. v.3*
non autem corona capiti eius imposita: id quod futuram forsan etiam inter
christianos reformationem significare posset.

Mundo minatur; fore, vt DEVS tyrannica illa imperia in profundum ma- *c.9. v.4*
re proiiciat, & igne consumat.

MALACHIAS

c.3.1
CHRISTVM nominat Dominum, & Angelum fœderis; Dominum il *Iohannes* *Baptista*
lum, quem quærimus: eumque venturum in templum suum præmisso *prædictus*

Purgatoriũ nostrum in CHRISTO. v.2 & 3. v.6

angelo suo, qui expediat viam ante se. Prædixit & vltimum eius aduentum, inquiens : Quis sustinebit diem aduentus eius? qui quasi ignis conflatoris erit, ad purgandos filios Leui ; defecans eos veluti aurum, & argentum; vt sint mundi, & purificati IEHOVÆ: qui non mutatur in suis promissis.

c.3. v.3. v.6. v.13. & seq. v.18. Liber consignationum DEI, id est, eius cura & protectio immota. v.16 v.17. CHRISTVS Sol iustitiæ.

Veram Ecclesiam hortatur ad offerendas oblationes iustitiæ: DEVM esse illum IEHOVAM, qui non mutatur, licet differat promissiones suas : & ob id impii DEO obloquantur: qui tempore suo videbunt : quid intersit inter fidelem ac improbum, inter colentem DEVM, & qui non colit eum. Siquidem IEHOVA libros consignationum coram se pro timentibus se, & cogitationibus de nomine suo, confecit: & hos futuros ait singulare peculium, & thesaurum IEHOVÆ: cum quibus SOL IVSTITIÆ nempe CHRISTVS orietur. Et hunc diem in propinquo esse : quem tamen Elias prius præcedet, quam venerit dies ille maximus & tremendus IEHOVÆ.

c.3. v.20. v.19

* Hunc autem præcursorem in Ioanne Baptista apparuisse CHRISTVS ipse interpretatur : & CHRISTVM IEHOVAM illum esse Euangelistæ testantur.

*v.23 & 24. * Matth. 11 v.14. c.1. 4. v.6. Sacrificia ficta DEVS non accepturus. c.2. v.3. v.4.5.6.7*

De degenere Ecclesia ait; ipsi ædificabunt; ego destruam : appellant me quidem patrem; sed vbi obedientia ? siquidem polluunt altaria mea, & omnia lucri causa faciunt. Iccirco maledicam benedictionibus eorum, & oblationes eorum stercoribus commaculabo: qui fœdus pacis & vitæ, quod cum illis Iehoua pepigerat, omiserunt: nec ambulant coram DEO IEHOVA, sicut initio: cum labia Sacerdotis obseruent scientiam : & lex requiratur ex ore eius: vtpote qui est Angelus Iehouæ.

Sacra scriptura ab omnibus legenda.

Hoc dictum Romano-Catholici in imperatiuo modo positum habent: & ita detorquent: ac si DEVS lectionem sacrarum literarum secularibus seu laicis, vt vocant, interdixisset: & illos ad solos sacerdotes ablegasset: cum hic exemplum præteritorum piorum sacerdotum, legi DEI adherentium, commemoretur: tantum abest, vt DEVS voluerit secularibus legis suæ lectionem interdicere : quam tantopere per Moysen, Iosuam, Dauidem, omnesque Prophetas ab omnibus cuiuscunque status, sexus, & ætatis hominibus assidue nocte dieque legi, ad animum reuocari, imo in fronte, fimbriisque vestimentorum, & parietibus consignari iussit.

c.3. v.19

Mundo hæc minatur tristia: Ecce dies ille aduenit ardens tanquam fornax; quo erunt omnes superbi, & omnes facientes iniquitatem, stipula, & inflammabit eos dies ille venturus, ait IEHOVA exercituum: adeo, vt non derelinquat eis radicem aut ramum.

STATVS ECCLESIÆ MVNDIQVE, post reditum reliquarum tribuum Iudæ, & Beniaminis, docentibus Prophetis Aggæo, Zacharia, & Malachia.

STatus ecclesiæ mundique sub his Prophetis intra spacium 50. annorum vsque ad Malachiam Prophetam ad annum M.3500. hic fuit. Regnabat post Cyrum, & Cambysen Darius Histaspis Anno M.3452. quo tempore hi duo Prophetæ docere cæperunt. Vnde & Cyri recentem memoriam, & res ab eo gestas illis notas fuisse nullum dubium est. Viderunt & liberationem à malis Haamanis consiliis,& exaltationem Mardochæi.

Gratissimum etiam fuit, ædificationem templi, & inchoatam & absolutam sub Dario cernere,ex prædictione DEI: quæ tamen ædificatio magnis periculis & persecutionibus non caruit;Iudæis in prouinciam Persarum redactis:quorum Monarchia tunc florentissima, triumphi illustres; & inprimis apparatus Xerxis contra Græciam plus trigesies centena millia, teste Herodoto excedens,in vniuersum orbem,& vicinam Iudæam percrebuit. Zacharias Propheta,cui procul dubio hæc ignota non erant,vt caducos derideret illos mortalium triumphos,& apparatus,dictante Spiritu Sancto descripsit CHRISTI æterni regis æternum erecturi regnum; humilem eius in vrbem Hierosolymam,asinæ insidentis,aduentum,proditoremque eius Iudam 30. argenteis conductum prædixit. Ac cum vniuersus mundus nihil nisi arma tractaret,crebrique haberentur delectus militum; Propheta prædixit,futuram quoque lustrationem militum DEI in Ecclesia CHRISTI: idque sub crepusculum mundi, illucescente nouo diluculo. Id quod certe inchoatum,posthac plenius expectandum. Cætera,quæ de vera degenereq; ecclesia scripserit,& prædixerit,in prophetia eius dicta sunt.

Christi asinæ insidentis triũphus. c.9 v.9 c.11.v. 12.13 c.13.v.8.9

Lustratio militum DEI.

Romæ tum temporis mutatio facta; eiectis, ob stuprum Lucretiæ,regibus;& creato annuo magistratu. Templum quoque eorum, Capitolium, teste Dionysio,omnibus diis tunc dicatum, vnde græce Pantheon dictum. Hic apparet,quam crassa ignorantia DEI,mundus fuerit consopitus.

Pantheon Romæ omnibus sanctis hodie consecratum maiore errore.

Hodierni Romani-Catholici vituperantes gentium ignorantiam, templum hoc omnibus sanctis consecrarunt: quorum & auxilia inuocant; in maius pene malum, quam gentes incurrentes. Hæ enim per ignorantiam suam omnium Deorum auxilia implorabant:illi contra expressum verbum DEI,dum agnouerunt, DEO soli honorem istum tanquam creatori debitum creaturis deferunt.

Floruerunt etiam tunc Hippocrates medicus,& Philosophi, Pythagoras,

Sophocles:& historia Herodoti desinit: cui succedit Thucydides, & huic Xenophon, Liuius, & deinde multi alii.

Malachias quo tempore docuerit Funccius, & Chytræus tacent: Bucholcerus Anno M. 3500 floruisse eum putat. Eius tempore Esdras reuersus est cum Iudæis Hierosolymam, Esd. 7. 6. Vidit procul dubio & Nehemiæ in Iudæa regimen, missi ab Artaxerxe rege Persarum: sub quo duos terræ motus accidisse Eusebius memorat.

Etsi autem tunc Ecclesia sub Esdra & Nehemia respirare videbatur: tamen Propheta alium liberatorem nempe CHRISTVM prædicit, & præ-

c. 3 v. 20. 23 cursorem eius Ioannem Baptistam, illum SOLEM IVSTITIÆ, hunc Eliam nominans.

Ecclipsis Ecclesiæ sub veteri pacto omnium longissima.

Cætera apud Iudæos vsque ad CHRISTI aduentum gesta petantur ex Philone ac Iosepho Iudæis: vbi veræ ecclesiæ Ecclipsin longissimam omnium, pene 500. annis vsque ad CHRISTVM natum, pati visa est; destituta Prophetis, & prostituta gentibus, quibus modo Persæ, modo Ægyptii, & Syrii, modo Romani imperabant.

Potentia tum, & sapientia humana ad summum fastigium peruenere, triumphi illustres mundi ac Monarcharum. Platonis, & Aristotelis sapientia tum in admiratione erat tanta: vt præ ea oracula prophetica, in mundo mera stultitia, etiam plerisque in populo Iudaico, procul dubio visa fuerint. Econtra nihil abiectius, & adflictius Iudaico populo: qui non modo à gentibus, sed etiam à domesticis terræ incolis, hypocritis, degeneribus Iudæis, Samaritanis nempe, affligebatur: de quo mira Iosephus lib. 12. c. 3. scribit: quę omnia typi fuere futuri christianismi sub primatu Samaritanorum. In populo autem DEI ipsi duces & summi pontifices eorum pauci erant, pietatis nomine commendabiles: imo tales, per quos nomen DEI blasphemabatur inter gentes.

Hæc diuturna ecclipsis ecclesiæ DEI, typus fuit tenebrarum inter Christianos, quæ vsque ad tempora Wiclefi, & Hussi durauere: renascente sub his SOLE IVSTITIÆ CHRISTO, qui medias inter tenebras exoriri debuit, Malach. 3. 20. & quidem sub mundi crepusculum, Zach. 14. 7

DEVS absconditus

Hic iudicio carnis, ne scintilla quidem amoris Deus flagrare erga hunc populum Iudaicum visus: hic Epicurei, & Sadducæi omnes promissiones DEI de regno Dauidis æternum duraturo, & de futura maiore gloria secundæ Hierosolymæ deridebant. Hæc tempora longe deteriora fuerunt, temporibus captiuitatis Babylonicæ: in qua tam illustres Prophetæ floruerunt, editis illustrissimis de CHRISTO vaticiniis. Hic iustus fide sua viuebat: hic veri Israelitæ diligenter, & cum ardenti oratione legentes scripta Moysis, & Prophetarum, corda sua ad aliam promissam terram, ad aliam Hierosolymam, aliud regnum, alium regem, attollebant: & Messiam, prout prædi-

Vera fideliũ Israelitarũ consolatio quæ?

prædictus fuerat, expectabant, quem Oseas prædixerat ex Ægypto in pueritia sua vocandum. Amos alterum Dauidem futurum; Esaias ex virgine nasciturum, Emanuelem nostrum, DEVM fortem, Patrem futuri seculi, Principem pacis futurum, & in carne passurum; Micheas in Bethlehem nasciturum eum ait, cuius exitus sunt ante omnia secula. c.11. v.1 c.9 v.11 Messiæ imago depicta c.7. v.14 c.9 v.6 & 7 c.5.2

Nahum illustres præcones futuros Euangelizantium pacem: Ioel Spiritus Sancti in Apostolos missionem: Abacuc iustum fide sua victurum: Sophonias DEI cum hominibus conuersationem, nempe CHRISTI, prædixit. Ieremias DEVM iustitiam nostram, & Abdias, aduentum illius instar ignis futurum. c.1. v.15 c.2.28 Abac. c.2.4 c.3 c.23.6 v.18

Daniel vero & tempus aduentus eius prædixit: & expresse Messiam occisum iri ait; quem tamen in nubibus cœli ad erigendum æternum regnum venturum subiungit. c.9. v.26 c.7. v.13

Ezechiel CHRISTVM vnicum pastorem, & æternum Dauidem nominat: nouam Hierosolymam typice metitur, & in visione resurrectionem mortuorum vidit. c.34. v.23 c.40

Aggeus maiorem eius templi secundi gloriam; Zacharias triumphum eius humilem, & ingressum in Ierusalem super asino; & Malachias præcursorem eius Ioannem Baptistam, prædixere, ipsum autem Messiam futurum SOLEM ILLVM IVSTITIÆ. c.2. v.9 c.9. v.9 c.3.1 v.20

Hæc vaticinia de Messia sub velo Moysaico, & lucerna Prophetica, & inter tetras superstitiosissimasque Iudæorum traditiones, quanquam adhuc obscuriora erant: permouebant tamen piorum corda; ne aliquid terreni de Messia sibi promitterent: cum iam experientia ipsa inde vsque ab Abrahamo illos docuerit; omnes promissiones de terrestribus bonis caducas & mutationibus calamitatibusque innumeris obnoxias extitisse: & fuisse tantum typicas vitæ æternæ, & ceu pignus quoddam illius atque hypothecam. Ac vt illud quoque attingam; Abrahamo & posteris eius promisit DEVS terram Canaan, iure hæreditario in æternum se daturum; absque vlla commotione confirmaturum. Cum autem verba DEI cælo terraque sint firmiora & hæc promissa diuina in terrestribus corporalibusque bonis perfecte adeo impleta non sint; nec durauerint firma aut stabilia; sequitur hæc terrestria tantum pignora, & quasi manuductiones ad cælestia promissa, & arrhas tantum vitæ æternæ, & veræ promissionis, bonorumque eorum fuisse: quorum DEVM pœnitere non potest. Hinc DEVS ad tanta æterna bona in hisce caducis rebus, contra spem sub spe, sub crucis schola ad lucis scholam populum suum exercuit. DEVS sub terrestrib. cælestia promittebat. confer. c.6 Esaiæ.

Non enim terra promissa lacte ac melle, sed sanguine, vt sæpius dictum, affluebat: nulla quies, nulla pax in terra: imo incolæ præda, & fabula gentibus fuere, ac tanquam oues ad mactationem destinatæ. Templi enim Salo- Hierosolyma

Terrestris destructio est cælestis ædificatio monis stupēda illa, & loco miraculi habita structura, & quæ tātas promissiones habuit, nōne mortuo Salomone deinde prēda vicinis gentibus fuit? Nōne abductis regibus, & populo Iudæ & Beniaminis in captiuitatē Babylonicam igne vastata & pene solo æquata est? Ac cum Iudæi duce Zorobabele
E.2.9 ex captiuitate Babylonica reuersi templum ædificarent, denuoque instaurarent, & ex prædictione Aggæi Prophetæ maiorem gloriam secundi templi expectarent; quæ gloria quæso in templo tum consecuta? Samaritani, & deinde Cambyses ædificationem templi impediebant: absoluitur illud sub Dario, Artaxerxe Longimano: Verum sub Artaxerxe Ocho, & duce eius Vagato spoliatur Ioseph. libr. *11.* Anno M. *3600.* Item Anno M. *3643.* Ptolomæus Ægypti rex occupata fraudulenter Hierosolyma templum item vastat; Ioseph. lib. *12.* cap. *1.* Idem fecit Philopater Anno M. *3745.* qui non modo templum vastauit, sed ad 70000. Iudæorum interfecit. Item Anno M. 377*0*. iterum à Samaritanis Iudæi ob instaurationem templi grauissime sunt adflicti, Ioseph. lib. 12. c. 3. Antiochus vero tyrannus ille, & typus Antichristi, quomodo templum, & prophanarit, & diripuerit; id satis patet. Ptolomæus Soter Rex Ægypti 30000. Iudæorum occidit: & captiuos occisorum corporibus pauit Anno M. 384*4*.

Nimirum hic pœnas dedere superbæ suæ responsionis, qua nefarie Ieremiæ sesse opponebant, Ierem. c. *44*.

Pompeius Magnus, cum capta Hierosolyma templo pepercisset; hoc tamen à M. Crasso Romano duce Anno M. 3*9*10. spoliatur: & Iudæa Romanis fit tributaria. Tandem Herodes præfectus à Romanis gubernandæ Iudææ & regis titulo insignitus; ad deuinciendos Iudæorum animos, non religionis sed regionis causa templum dirutum instaurauit: adeo vt tempore Salomonis, quo templum illud ædificatum fuit, vix tunc lapides aliqui in illo agnosci potuerint. Et tamen splendidum fuisse constat: siquidem eius
Mat. 24. 1. 2 structuram Apostoli mirati sunt: sed cui à CHRISTO prædictum: ne lapis super lapidem maneret: quod sub Vespasiano factum.

Vnde vestigia illa, quæ nunc cernuntur, & in alio loco, & ex aliis lapidibus, & alia forma exstructa sunt.

Quam cæci ergo tunc, & carnales Iudæi erant: qui tantopere possessione templi terrestris gloriantes, magis circa templa lapidea ædificanda, quam spiritualia, & magis de terra typica amissa recuperanda, quam cælesti promissa adipiscenda solliciti erant!

Semper à terrestribus ad cœlestia eleuanda mens O plus quam cæci hodierni degeneres christiani, qui Iudæos in hoc strenue imitantur! O beati illi, qui ipsimet templa ædificant DEO, vnico illo fundamento Prophetarum, & Apostolorum innitentes; cuius nunc angularis lapis est CHRISTVS: cui thronus cælum, & terra scabellum pedum eius! O ter quaterque beati, quibus datum illa DEI mysteria nosse: quibus imbe-

imbecillitati nostræ fidei DEVS consuluit! Dum enim, vt dixi, non implet hic plene, quod dixit, & promisit: sequitur hæc terrestria, vbi ex parte nobis porrecta sunt, typos, & pignora vitæ æternæ fuisse: vbi vero ablata, ibi spem nostram à typis ad res ipsas ad cælum, & supra omnes cælos euocari oportere. Idipsum CHRISTVS saluator noster suo, suorumque omnium fidelium martyrio comprobauit: quod in sequenti Horologio Solari audiemus: vt eo ardentius orare discamus, *Adueniat regnum tuum* Quam diu enim fideles DEI in hac mortalitate viuent: manebit illud firmum; quod Abrahæ in promissione à DEO prædictum: eris inquilinus in terra peregrina. Nam licet DEVS promiserit: se ei, & semini eius iure hæreditario, & in æternum Terram Canaan daturum; expresse tamen semen eius inquilinum saltem in terra peregrina futurum, & graui seruitute oppressum iri; se tamen completa tyrannorum iniquitate, eos iudicaturum præmonuit. *Gen. 15. 13*

Ac licet interdum ob gustum præsentiæ, & gloriæ DEI, hic à Pharaonis seruitute liberemur: renascuntur tamen, & renascentur subinde noui Pharaones: qui nos inquilinos hic existentes in terra peregrina prement, & adfligent: donec regem nostrum, teste Esaia, in sua maiestate videbimus. Tunc demum cum eo dicemus; Domine DEVS noster; seculares hi Domini, qui nobis imperabant, non erant Domini nostri: sed tu es Dominus, DEVS IEHOVA noster, & Sanctus Israelis.

Tunc etiam ipsa promissio de terra Canaan typica Abrahæ, & semini eius olim typice ad habitandum in æternum promissa, vere ac reipsa implebitur: cum cœlum terraque renouabuntur: quorum illi angelorum, hæc hominis lapsu polluta erant. Ita terra Canaan, per Alchimiam DEI purgata, dabitur vna cum cœlo æterna possessio semini Abrahæ: & DEVS in vtraque promissione, & in typica terrestri, in qua fidem hic nostram exercuit, & in cælesti, in qua vita hæc nostra cum eo abscondita erat, verax existet: DEVS, inquam, ille noster, mentiri nescius, in quo omnes promissiones sunt AMEN. *Terra renouata dabitur electis DEI vna cum cælo renouato incolenda*

Interea hic assidue Ieremię ad Baruchum consilium meditandum: *Non quærenda in terris alta; siquidem DEVS omnia mutando mutabit: sed sufficere fidelibus gratiam DEI: vt in his mutationibus loco summæ prædæ animam suam auferant.* Sic tamen, vt quisque in ea vocatione, in qua à DEO constitutus est, maneat: & in ea DEVM sequendo, quocunq; ille ducit, siue per gloriam siue per ignominiam: omnia, inquam, vt in CHRISTO facere queat. Sic reges, & milites pii, regna sibi à DEO concredita administrantes, bella pro Iehoua gerentes, non dicantur quærere alta; vt ex psalmis Dauidicis patet, cum sese coram DEO humiliant; ei soli in solidum omnem gloriam, bonorum successum tribuūt: & de quo Stephanus proto martyr inquit: Dauid cū inseruiuisset consilio DEI obdormiuit cum Patribus. Talis Theodosius Ma- *c. 45* *Alta non quærenda.* *Vocationes suæ non deserendæ.* *Quinam res magnas administrando alta non quærant.*

gnus erat; illud assiduè in ore habens: se magis gaudere: quod CHRISTI fidelis, quam Imperator factus sit: cui militanti contra Euangelii hostes, militabat æther, & veniebant coniurati ad classica venti. Sic Gogum, & Magogum ex prædictione DEI clade insigni, DEO volente, affecturi pii reges christiani, non quærent alta, sed, iusto DEO vindice, alta, quæ se supra DEVM efferunt: & quæ abominabilia sunt coram DEO, deiicient: & victoria reportata coronas suas ad pedes agni, humiliando se coram æterno duce suo CHRISTO, proiicient: ei soli acceptam istam victoriam ferent: & in eo solo triumphabunt: in eo solo acquiescent: etiamsi omnia, quæ per eos ædificauit in hisce terrestribus rebus mutet: vbi per Ieremiam ad Baruchum loquitur, inquiens; Quæ plantaui euello, & quæ ædificaui destruo. Sic tabernaculum erectum inseruiuit ad tempus consilio DEI: sic expugnatio terræ typicæ promissæ: sic templi Hierosolymitani stupenda, & miraculi instar, structura. Quæ omnia cum consilio DEI inseruiuissent, suas passæ sunt mutationes. Num ergo ob talem rerum humanarum inconstantiam, ducentium nos ad æternas res durabiles, animum milites DEI in militanti hic ecclesia despondebunt? Quin imo cum Ioabo dicent: Stabimus fortes pro DEO nostro, & ciuitatibus eius. Iehoua autem faciat quod bonum est in oculis suis.

2. Sam. 10. 12.

SOLA-




VI

SOLARE HOROLOGIVM DVODECIM ITEM HORARVM, SVB SOLE IVSTITIÆ CHRISTO,

Præcipuarum mutationum in ecclesia, & mundo, historicum, typicum, & mysticum: sub quo Horologio Solari duæ ecclipses in ecclesia comparuere, & tertia vltima, & omnium horrendissima, sub finem mundi, cum venerit vltima illa ἀπιστία, expectatur: in qua si possibile esset (quanquam non erit) ipsi electi DEI seducerentur; & in apostasiam à CHRISTO absque pœnitentia ruerent.

Gnomon vero monstrans horas tendit ad vltimam mundi horam: ac quæ adhuc mutationes sub hac vltima mundi hora ante illam ἀποκατάστασιν expectentur; eæ ex verbo DEI demonstrantur.



Gnomon postremam se mundi vertit ad horam:
Mox CHRISTVS veniens aurea secla dabit.

PRIMA HORA

CHristi Theanthropi Dei illius veri, & in carne manifestati incipit seculum: qui, vt à Moyse, & Prophetis prædictus, & quasi ad viuum typis, & verbis depictus fuit; ita ex semine mulieris, ex stirpe Dauidis, ex beatissima semper virgine Maria, ad conculcandum caput Serpentis, alter ille cælestis Adamus, ipse Dominus è cœlo, Sol iustitiæ, princeps pacis, pater futuri seculi; Devs admirabilis, fortis, & potens, cuius exitus ab æterno, comparuit: ille verus Iosua ad introducendos veros Israelitas è typica terra in veram terram promissam; ille Dauid ad erigendum æternum Dauidis solium. Cui Augustus Cæsar inscius, cunabula humilima quidem Bethlehemi præparauit: sed cui angeli canunt, & pacem credentibus in illum annunciant: quem magi adorant, & mundus ignorat; imo triumphante tunc Augusto, & Marti Deo suo post deuictos multos populos, & constitutam pacem, templum dedicante. Hic æternus rex gloriæ, vt nos vera pace donet, innocens, debitum Adami, & nostrum soluit, & triumphat in cruce, de morte, & diabolo; affixo legis chirographo cruci: fit noster redemtor, sacerdos, aduocatus & Rex; vt iam nulla condemnatio sit iis, qui sunt in Christo Iesv. Rom. *8. 1.* Quibus in Christo typicus ille annus iubilæus Moysaicus, & qui ab Esaia cap. *61.2.* sub Messiæ aduentu complendus, prædictus erat, exhibebitur in vita æterna. Esa. *60 19.* & c. 64 8. & paries intergerinus, ob quem accessus gentibus ad ecclesiam Dei, quæ inter Iudæos erat, non patebat, rumpitur, ad Eph. *2.* v. *14.* & velamen illud, quo omnes gentes contegebantur, aufertur. Esa. 25. v. 7. Erigitur radix Isai gentibus in vexillum, ad quod gentes concurrunt Esaiæ *11.* v. *10.* O altitudo iudiciorum Dei! o amor Dei ineffabilis erga suos electos! o vere magnum pietatis mysterium, quod Devs homo factus est, iustificatus Spiritu, fides illi habita in mundo, prædicatus gentibus, & sursum receptus in gloria, qui supra omnes cælos, translata eo nostra humana natura, quam à nobis accepit, & relicto hic nobis arrhabone Spiritus Sancti, ita nos sibi vniuit: vt per mutua pignora, & per illa in omnem æternitatem indissolubilia vincula certi simus; nihil nos à capite nostro separaturum esse. Quare assidue eo aspirandum, & militanda hic bona militia: relinquenda à tergo terrestria: & cœlum versus tendendum ad palmam supernæ vocationis in Christo Iesv Domino nostro.

Matth. 1. 25
Luc. 2. 7
Devs manifestatus in carne
Triumphus Christi in cruce
Coloss. 2. 14
Paries intergerinus & velamen rumpitur
1. Tim. 3. 16
Firma pignora, inter Christum & ecclesiam

HORA SECVNDA

APostolicum succedit seculũ cum donis visibilibus; Academia & Schola visibili Spiritus Sancti; præside Spiritu Sancto ipso, & promotore existente, & apostolos ordinãte, & vngẽte; & cœlestia mysteria cum dono omnium linguarũ aperiente: vbi linguæ olim in ædificanda superba Babylone,

Act. 2. 4
Apostolorũ in Academia Spiritus Sancti publica promotio.

confusæ, nunc ad ædificandam spiritualem Hierosolymam reparantur: exhibito per Apostolos gustu vitæ æternæ in cælis: vbi vna lingua vno corde DEVM in omnem æternitatem laudabimus.

Matth. 9.9 &c. 4.18.21 & 8.25 Luc. 22.56 58.60 Act. 1.6 Hi Apostoli, ex parte publicani, ex parte piscatores (qui etiam CHRISTO cum illis commorante timidi erant, & à CHRISTO, cum nondum in cœlos adscendisset, ex sensu terreno, quærebant, an hic regnum restiturus sit) ecce, accepta repente ordinatione & vnctione in Academia Spiritus Sancti, & cognitione mysteriorum DEI, omniumque linguarum donati, fiunt Legati DEI, CHRISTVM animose docent, Anti christum in templo DEI sessurum prædicunt: alii aliis haud subiecti sunt: Petrus enim synpresbyterum, id est, conseniorem se nominat. Hos legatos DEI, mundus pro rejectamentis, & stercoribus, atque pro stultis habuit: quibus quoque præmium suum ense, & igne soluit. Horum scripta à Spiritu Sancto dictata errare non possunt; licet Apostoli interdum in conuersatione, permanente, sed non regnante in illis peccato, errarint: vti Petrus à Paulo reprehensus fuit. Verum in instructione Apostolis, veluti legatis à DEO data, & dictata (licet aliis plura DEI mysteria, vti in epistolis eorum videre est, pro DEI dispensatione concessa sint) errare non potuerunt; sed ad vnum sensum, & scopum collimauit omnium singulorumque doctrina. Quare absit, vt quis cogitet, ne dum dicat, esse in sacra scriptura imperfectionem; cui vel addi vel detrahi, aut in qua tantillum ad libitum nostrum interpretari liceat: sed si quid humani in conuersatione contra hanc instructionem Apostolis contigit; id non perfectæ æterni regis instructioni, sed hominibus Apostolis, pro dono mensuræ fidei, roboris, illuminationis, & dispensationis, illis à DEO datæ, adscribendum venit. Quodsi illi aliquid infirmitatis sunt passi: quanto magis nobis vigilandum: ne ab immota DEI instructione, ab æterno Rege nostro CHRISTO data, discedamus.

Apostoli Legati DEI Act. 4. 8.19 2. Thess. 2.4 1. Pet. 5.2 1. Cor. 4.13 & 1.21. 2. Thim. 3.16 Scripta Apostolica diuinitus inspirata non possunt errare. Gal. 2.11

HORA TERTIA

Anno Christi 65. Ecclipsis Ecclesiæ Persecutiones Christianorum

MArtyria peraguntur fidelium CHRISTI, pene per trecentos annos, decem persecutionibus durantia; triumphante inuictissimo Imperatore CHRISTO in suis membris; & comœdiam sub ecclipsi Ecclesiæ suæ hic gratiæ suæ occultæ, & mundo ignotæ à se inchoatam; cum mundo vero incredulo iusti sui iudicii tragœdiam peragente: donec detracta larua mortalitatis, nouæ scenæ in vltimo iudicio prodeant.

Electis propinatus calix crucis bibendus. Ac licet DEVS, ex prædictione per sanctos suos Prophetas, suis electis omnibus temporibus calicem crucis propinarit: tamen ex iisdem prædictionibus Tyranni populi DEI feces amarissimas bibere coacti sunt. Martyres cum gaudio, & lætitia Spiritus Sancti, & certa spe vitæ æternæ in, & per

CHRI-

CHRISTVM consequendę supplicia, quamuis corpori grauissima, subierunt. Quibus autē DEVS pepercit; quos sub cruce, persecutione, inopia, & omnis generis miseria tunc esse voluit: eos tamen semper αὐτάρκεια, & pax illa DEI omnē captum humanū superans per Spiritum S. regebat, ditabat, & solabatur. At tyrāni, qui Mundi Domini, imo Dii esse volebāt: quales plurimi tunc Imperatorū erant, vti Caligula, Nero, & alii; ah quam horrendas feces crucis iræ DEI exhauserunt, quam tragici eorum exitus, & tandem æterna mors! Quis ergo talibus inuideat splendidam illam momētaneam miseriam? imo quæ etiam ex splendore isto in summum contemtū, inopiam, & desperationem degenerabat: dum pleriq; horū à sicariis interemti, alii sibi ipsi manus intulere. Quare hic assidue orandū, *Adueniat regnū tuum*: & corda nostra erigenda ad πολίτευμα nostrum cœleste: & vbi DEVS nobiscū suam comœdiam crucis ad suam gloriam, & nostram salutē peragere voluerit: meminerimus istius Paulini; Momentaneas illas afflictiones non esse dignas futuræ gloriæ in nobis reuelandæ. Hæc mundus non assequitur. Ac licet Caligula, Nero, & alii horrendos suos exitus habuerint: tamen momentaneam illam felicitatem, & splendidam eorum aulam, & potentiam mundus, quam Christianorum conditionem esse beatiorem existimabat. Vnde hoc? Quia scilicet non datum illis fuit nosse mysteria regni CHRISTI, & pati pro CHRISTO.

Tyrannis feces amaris mæ ebibitæ.

Rom. 8. 18

Hæretici huius seculi fuere Carpocrates, Martianus, Montanus, Samosatenus, Tacianus.

Concilia, Affricanum; Romanum contra Nouatum, Antiochenum contra Samosatenum.

Patres: Ignatius, Iustinus Martyr, Polycarpus, Irenæus, Tertullianus, Lactantius, Clemens Alexandrinus.

HORA QVARTA

COnstantini Magni seculum sequitur.

306 Regna mundi regem CHRISTVM agnoscunt, ex prædictione Prophetarum, & inprimis Esaiæ 60. 3. detrahitur velamen gentibus Esaiæ 25. v. 7. CHRISTVS, qui olim fabri filius, & latro crucifixus, fabula & stultitia habitus; nunc præconibus istis imperatoribus, regibus, Synodis, patrum scriptis, ab ipsis gentibus prædicatur VERVS DEVS, & vita æterna: & euangelio eius fides habetur.

Reges mundi CHRISTVM agnoscunt regē æternū.

325 Hæreses, cessantibus Ethnicis persecutionibus, nouas Diabolus per Arium excitat: quem concilium Nicenum damnat.

Athanasius exulat.

HORA QVINTA.

338 DEgener ætas. Filii Constantini degeneres, ex Arrianismo in gentilismum apostatæ multi deficiunt: vtrique orthodoxos, in primis Iulianus apostata, persequuntur, qui tragice perit.

363 Docuerunt ex Patribus Nazianzenus, Hilarius.

HORA SEXTA.

364 *Reformatio Ecclesiæ.* REformatio sub Valentiniano, & Theodosio Magno; cui venti militabãt, suscepta fuit. Hæc reformatio, & subsequens sub Iustiniano Magno respondent typicis reformationibus in veteri ecclesia, sub Asa, Iosaphato, Ezechia, Iosia regibus Iuda. Verũ, & Theodosius hic atq; Iustinianus sunt quoq; typi subsecuturæ illustris alicuius reformationis ante cladem, & post cladem Gogi, & Magogi.

Patres vixerunt, Epiphanius, Damascenus, Ambrosius, qui Theodosio Magno sub vtraque specie cænam porrexit.

à Theodosio Magno. Concilium Constantinopolitanum œcumenicum secundum contra Macedonium celebratum fuit; Spiritum Sanctum DEVM esse, negantem.

Veri catholici, edicto Theodosii, ii declarantur: qui veritatem, & disciplinam Apostolorum sequuntur. Vide C. de SS. Trinitate.

HORA SEPTIMA

A.C. 400 Confusio & vertigo mundi. COnfusio, & vertigo imperiorum, anarchiæ in Imperio, & regnis: gentium mirabiles migrationes, & excursiones ad quærendas nouas sedes: & furor hæreticorum conspiciuntur.

Synodus Ephesina contra Nestorium; Chalcedonensis contra Eutychen peragitur.

Carthaginem Gothi; Romam Vandali capiunt.

Attila Galliam vastat.

Augustinus, ob rerum humanarum inconstantiam, libros de ciuitate DEI scribit; quæ in cælis quærenda est.

476 Interregnum occidens, annis 324. vsque ad Carolum Magnum, habuit.

Tales anarchiæ, & vertigines regnorum, & imperiorum sunt singulares DEI pœnæ ob peccata hominum. Esai. 3. Annuunt quoque regnorum mundi inconstantiam: vt mentes nostras assidue ad meditandum, & quærendum

dum æternum CHRISTI regnum attollamus: vbi est municipium nostrum cœleste.

Heruli Romam occupant; Gothi vastant Italiam: Arriani, & Ebionitæ orthodoxos persequuntur.

Gothorum rex Arrianus Romam Herulis eripit.

Historia tripartita scribitur.

HORA OCTAVA

REformatio sub Iustiniano Magno Orientis Imperatore: qui Ius Romanum in Pandectas, & codicem redegit. 528 *Reformatio*

Gilimerum Vandaliæ Regem idem in Affrica vicit: Romam Gothis eripuit: Totilas eam vicissim Iustiniano.

Terræmotu Antiochiæ 4870. hominum pereunt.

Iustinianus Ecclesiam ab Arrianismo repurgat.

HORA NONA

GOg, & Magog securis illa ferra, virga, & baculus iræ DEI in populo olim DEI per reges Syriæ, Assyriæ, & Ægypti figuratus, prodeũt: in contemtores verbi DEI: Mahomet nascitur. Vetus, & Nouũ testamentum in fabulas Alkorani, & humanas traditiones transmutatur. Fit potẽs efficacia erroris in iis, qui pereũt, ob spretum verbum DEI, & idololatriam vsurpatam. 571 *Gog Magog.*

Hæc si orienti euenerunt, ne eadem occidenti superueniant, DEVS exorandus, & nobis omnibus elaborandum.

Eodem tempore ambitio primatus Ecclesiæ à Ioanne episcopo Constantinopolitano introducta: cui Gregorius Magnus reclamat; eum præcursorem Anti-christi appellans. Ac cum aliqui ipsi Gregorio deferrent, recusauit tamen primatum. Imo eundem Constantinopolitanum Patriarcham, vsurpantem titulum Oecumenici Episcopi, teste Petro de Natalibus lib. *3.* c. *192.* abrogauit. Verum mortuo hoc Sancto episcopo Romano, (quem Papam appellant, sed qui nunquam Papa dici voluit) cum primatus Romani episcopi à Phoca Imperatore, Mauricii Imperatoris sicario, Bonifacio III. collatus fuisset, reclamantibus Græcis; Orientis Ecclesiæ turbantur; Mahomet fit dux, & caput Arabum. Saraceni, vt Christianos suis sequacibus in odium inducant, nominant eos ob imaginum culturam idololatras, & innumeras illorum, plusquam ridiculas, ceremonias deridunt. 590 *De primatu in Eccl sia. eiusq; in itio* 607 622

Hinc celeres progressus, iustis DEI iudiciis, in oriente faciunt, vti iam in hora octaua innuimus.

HORA DECIMA

A.C.1000 Prodigia stupenda.

Millenarius hic post Christvm natum, teste Sigeberto, totus stupendis prodigiis inchoatur. Inter quæ recensetur à Iacobo Vsserio Draco quidam in cælis ab Arnolpho Monacho Ratisbonensi Anno Christi 1000. conspectus, quem idem Arnolphus de S. Emmerammo libr. 2. tom.
„ 2. antiq. lect. Henrici Canisii pag. 98. 99. ita describit. Ante aliquot an-
„ nos, inquit, in Pannonia constitutus, die quadam à tertia hora vsque ad sex-
„ tam diabolum vel draconem in aere suspensum vidi.
„ Erat autem magnitudo eius incredibilis, longitudo tanta, vt quasi vnius
„ miliarii spacio videretur esse protensus. Cuius caput cristatum, & in-
„ star montis eleuatum, nec non corpus iuxta hoc, quod Dominus ad bea-
„ tum Iob de Leuiathan loquitur, squamis horribilibus compactum, &
„ ceu parmis, & scutis ferro munitis, tectum : in lateribus, & in tergo
„ quædam fuliginosa fœdabat nigredo : ventris quoque inuersione, & pa-
„ riter corporis, in quo solo tenus iacere solebat, pallor subuenetus deco-
„ lorabat, ad similitudinem sulphurei laris. Tractus vero, ac incuruatio-
„ nes atque extensiones eius immanes, postremo, totius corporis motus, &
„ particularis, & totus, atque vt breuiter in id temporis aduersantia conclu-
„ dam, omnia draconis molimina, erant mortalibus, in quantum Devs
„ permisit, noxia, tantoque noxiora, quanto proximiora. Nam, cum
„ tempus esset æstiuale, vtpote sexta feria hebdomadæ post Pentecosten
„ secundæ, ex gelu, quod draconi præ cæteris animantibus magis est natu-
„ rale, adeo immutatus est aer : vt & febris multos inuaderet, ac iumen-
„ torum non minimam partem frigus consumeret.
„ Alas, & crura vel pedes, quos pictores fingere solent, penitus nec habuit,
„ nec habere visus est : quippe cui squamæ, & costæ sufficiunt pro deambu-
„ latione. Grossitudo pectoris erat parilis grossitudini capitis. Post hoc paula-
„ tim diminuebatur, vsq; ad extrema caudæ; cuius extremitas pene adæqua-
„ bat abietes magnas. Hunc tam ingentem hostem, aut diabolũ, aut diabo-
„ li amicum, nolens Dominus diutius terrere populum fidelium, subito fecit
„ ab Aquilone moueri, & densitati nubium cum grãdi impetu intermisceri.
„ Quem cursu velocissimo super nos, vt transeuntem vidimus, sibiloq; eius
„ pariter cum fistularum stridore non sine metu audiuimus; mox nubes, quæ
„ à mane vsq; in illam horam quasi stabant immobiles, in tantum commotæ,
„ & concitatæ sunt, vt tota illa die pariter, & nocte non cessarent tonitrua seu
„ coruscationes, imo perseuerarent vsque ad vesperam sequentis diei. Hucus-
„ que Arnolphus ille monachus.

Hæc prodigia, & rerum ſubſecuturarum portenta, ſecuta ſunt continua, pene vſque ad tempora Huſſi, anathematum, & excommunicationum fulmina, & tonitrua. Cum enim ob Leonis Iſauri Imperatoris in Oriente reformationem, & imaginum remotionem, ne ſcandalo chriſtianis, & ludibrio gentibus eſſent, imperium occidentis per Romanum epiſcopum translatum eſſet à Græcis ad Francos, & Primatus Romani Pontificis fuiſſet ſtabilitus: iam Pontifices non modo Primatum in Eccleſia, cui Græci ſemper contradicebant, & adhuc contradicunt, per vniuerſum mundum, ſi fieri potuiſſet, vſurpare; ſed ipſis Imperatoribus, & Regibus non amplius, vti ante, parere; ſed imperare, illos creare, iura gubernandi, & regendi præſcribere, vaſallos ſuos efficere, atque ita ius vtriuſque gladii, & ſpiritualis, & ſecularis, contra illos, ſibi vendicare conabantur. Quibus ſi quis Imperatorum aut Regum occidentis (orientalium enim Imperatorum iam nullę amplius erant vires) ſeſe in minimis oppoſuit: is pro feliciſſimo habitus: quem non fulmina iſta excommunicationum, concitatis contra ſe aliis regibus, & principibus imo propriis etiam ſubditis, non euerterunt. Pœnitentibus vero capita à Rom. Pontif. calcabãtur. Ac qui aperto Marte vinci non poterant: ii arte, dolis nimirum, & venenis è medio à clericis tollebantur: vti in Henrico VII. Imperatore viſum: cui Franciſcanus Monachus venenum in Euchariſtia porrexit: aut exteris, & longinquis bellis, inque Paleſtinam, & Syriam vſque contra Saracenos expeditionibus ab iiſdem implicabantur, frangendi roboris germanici cauſa. Deplorabant hęc ſecula multi magni viri: inter cæteros Ioachimus Abbas, Franciſcus Petrarcha, & D. Bernhardus. Contremuit ad iſta ipſa rerum natura, præceſſerunt terræmotus, fames, & peſtes inauditæ, item varia prodigia, Vide Iohan. Volfium. quæ tamen non flexerunt clerum: ne ſeſe ſupra Imperatores, & reges, veluti vnctos Domini, quibus ipſe CHRISTVS tributa dabat, efferrent: & quibus parere in politicis iubet S. Paulus. Hinc mirifice occidentis Imperatoribus & regibus turbatis, & inter ſe commiſſis, Orientalium vero Imperatorum potentia imminuta, Turca primatum in oriente tandem ſolus obtinuit. O attendant ad hæc Imperator, & Reges!

Hæc hora nil niſi anathemata ſonuit & furorem Papalem.

Quibus artibus Papa ſe inprimatũ aſſeruerit

Calamitas Imperii ex Pontificibus ingens

Imperatores veneno & dolis ſublati

CHRISTVS ipſe vna cum Apoſtolis ſuis magiſtratui ſe politico ſubiecit. Matt. 17. 27 Rom. 13. v. 1

Ac licet recuperandæ Palæſtinæ gratia aliquot inſignes, & admirãdæ expeditiones ſuſceptæ ſint: tamen Imperatoribus eo profectis, interea Romani Põtifices, illarum expeditionum auctores impulſoreſq;, in iura, & regna horum ſeſe intrudebant: vnde conatus eorum impediti, cum reuertentes ſua repeterent, fulmine excommunicationis feriebantur.

Qua occaſione Turca orientem ſibi ſubiugarit.

Cauſa cur fruſtraneæ ſemper fuerint expeditiones occidentis in orientem

Hæc fulmina excommunicationum durabant vſque ad Huſſi tempora: vbi tandem, & Pontificum alii alios iſtis fulminibus feriebant.

Hic, hic exclamandum fuit, o ſecula, o mores!

Inter quas ſane fulminum, & tonitruum tempeſtates, obducto SOLE illo IVSTITIÆ CHRISTO ceu aliqua in denſiſſimis nubibus ecclipſi ecclesia CHRISTI ceu in deſerto ſuſpirans latibula quæſiuit! & facta eſt ceu tuguriolum, & tegellum in vinea deſerta aſpirans ad aliam Palæſtinam, cæleſtem nimirum illam Heroſolymam. Verum, quam primum quiſpiam ex illo tegello caput tantum exeruit: hunc gladio, & igne proſequebātur: id quod in inauditis perſecutionibus contra Waldenſes, & Albingenſes, atque Merindolianos apparet: adeo vt ſimilia crudelitatis exempla, ne ab ipſis ethnicis quidem, durantibus illis ſupra dictis decem perſecutionibus, vſurpata fuerint. De qua perſecutione multi magni viri, etiam nonnulli epiſcopi, & Abbates, qui tunc temporis vixere, ſcripſerunt. Et tamen illud reformatis eccleſiis obiicere non verentur: doctrinam euangelii orthodoxam, quam nunc in gloriam DEI, & ſalutem noſtram profitemur, demum cum Wicklefo, Huſſo, Luthero, & Caluino cæpiſſe, & Romano-Catholicorum doctrinam continua ſerie, abſque omni interruptione, & contradictione vſque ad illa tempora duraſſe. Vide Matthæi Weſenbecii Iuriſconſulti clariſſimi orationem de perſecutione Waldenſium & Albingenſium. Vide grauiſſimum, recens editum ſcriptum Iacobi Vſſerii Hyberni, quod inſcribitur; Grauiſſimæ quæſtionis ſolutio de ſtatu eccleſiarum in occidēte. qui auctor perſequens illorum temporum hiſtoriam, non ſuis, ſed eorum ipſorum, qui tum vixerunt temporis, verbis; in ordinem tantum redactis, vtitur: vt de veritate eius hiſtoriæ nemo habeat, quod in dubium vocet.

Secunda ecclipſis Eccleſia in nouo Teſtamento.

En quomodo DEVS dona ſua ab orie̅talibus, & meridionalibus ad vltimos pene ſeptentrionales, & occidentales transfert! qui nunc orienti, & meridiei luce diuina prælucent, ſub ſpe ea, futurum, vt etiam ſub crepuſculum mundi lux orientalibus, & meridionalibus iterum, teſte Propheta, oriatur.

Zach. 14 7.8

Quæ autem de hoc fulminante ſeculo hic breuiter commemoro, à me certe eo non fit (DEVM teſtem, & bonam conſcientiam appello) in odium Romano-Catholicorum: qui omnibus ſeculis ſub hoc iugo ſuſpirarunt, & adhuc ſuſpirant, ſignati ſigno illo DEI, Ezechieli in viſione monſtrato, nempe arrhabone Spiritus Sancti: ſed vt illis; & inprimis Imperatoribus, & regibus, qui tunc vixere, condoleam; qui niſi iſtis excommunicationibus impediti fuiſſent: certe, humanitus loquendo, non modo ereptam Saracenis aliquoties Hieroſolymam, & occupatam Palæſtinam retinuiſſent: ſed toto Imperio orientis potiti fuiſſent. Non ita docuit ſancta illa anima Gregorius Magnus epiſcopus Romanus: qui delatum ſibi primatum Eccleſiæ

9.4 *Gregorius*

& ti-

&c titulum Papæ reiecit: & cum Constantinopolitanus Patriarcha hunc vsurpare vellet, ei decreto suo, vti supra diximus, abrogat. Ac quod idem Gregorius Magnus, quem nunc Papam appellant, prædixerat, scribens ad Ioannem Patriarcham Constantinopolitanum Primatum in ecclesia ambientem; nimirum, si Primatus in Ecclesia erigeretur: futurum vt libertas Ecclesiæ, in propaganda, & conseruanda vera religione concideret, & tyrannis in ea dominaretur: quæ se supra Dei verbum, & omne imperium elatura sit: id certe istis deploratissimis seculis visum fuit: quibus Germana illa virtus, Germanorum Imperatorum magnanimitas, fortitudo, & Zelus Dei, expeditiones longę, & sumtuosæ, labores immensi, derelictis vxoribus, & liberis charis, omnibusque aliis suis fortunis, in studio recuperandæ Palæstinæ impediebantur. Qui enim sub his fulminibus id fieri potuisset? quomodo christiani in vera fide christana confirmari, & gentes in ea instrui poterant? siquidem externis tantum ceremoniis, & quidem innumeris contra Dei verbum inuentis externus tantum homo ad oculum humanum per hypocrisin, & non internus in Spiritu, & veritate ædificabatur: & secus facientes non gladio verbi Dei, sed ferreo à pastoribus feriebantur. Hinc animus Imperatoribus eo proficiscendi concidit: hinc milites christiani Palæstinam ingressi, destituto hoc alimento verbi Dei, & præseruatiuo atque antidoto & curatiuo contra seductiones Mahometanas, quæ carni applaudunt, vocata in dubium omni religione, & derelicto studio inquirendæ vitæ æternæ in euangelio Christi reuelatæ, vitam hanc miseram ob caducas voluptates æternæ præposuerunt, par iugum cum infidelibus Turcis trahentes. Vnde esto nobis axioma hoc cælo terraque firmius; Impossibile esse, vt contra Gogum, & Magogum cum fructu bellum suscipiatur: nisi prius lustratione facta, & ceremoniis illis, & corruptelis remotis, miles christianus ex simplici Dei verbo veris armis cum illo milite Ephesinis descripto armetur. Ac puto expeditiones illas in Palæstinam fuisse prodromos, & typos subsecuturæ alicuius felicioris expeditionis contra Gogum, & Magogum: qui clade insigni, iuxta immotas Dei prædictiones à veris Israelitis, præcedente prius lustratione militum à Zacharia prædicta, afficiendus est: verum penitus demum sub illustri aduentu Magni istius Dei, & seruatoris nostri Iesv Christi è medio tollendus.

Magnus Primatum in Ecclesia affectantes cōdemnat.

c.13.8.

Sed prolongo nimis hanc horam, quæ per 400. annos vsque ad Wicklefi, & Hussi tempora durauit.

VNDECIMA HORA

Christianismus reformatur. IAm nouus in terris ſeclorum naſcitur ordo; nempe nouo ſeculo prodeunte, in quo reformandi Chriſtianiſmi initia, & reſtituendi progreſſus cernuntur. Wicklefus Anglus naſcitur, ſub quo Romani Pontificis excommunicationes in Imperatores ceſſant.

1380 Bombardæ ſub Imperatore Wenceslao à Nigro-Chymiſta monacho excogitantur.

Detegitur orbis Borealis.

Ioannes Huſſus, & Hieronymus Pragenſis, duo Prophetæ, violata illis fi-
1431 de in concilio Conſtantienſi interficiuntur. Eccleſia per Huſſitica bella, & literis & armis reformatur: & Boemi Marte inuicti, arte concilii Baſilæenſis, per compactata erecta, vincuntur, & à ſimplicitate, & puritate verbi DEI, quod Huſſus profeſſus eſt, ad ſeruandos omnes Eccleſiæ Romanæ ritus, & ceremonias obligantur; excepto ſolo calicis vſu: cui rei Thaboritæ & Vnio fratrum, quos per inuidiam Picardos, & Waldenſes appellabant, contradicunt. Eſt autem hæc Huſſi doctrina excerpta ex magnis Tomis conciliorum, quæ cum Priuilegio Cæſareo edita ſunt.

1419 Erigitur aurei velleris ſocietas à Philippo Duce Burgundiæ ad tuendam Romano Catholicam religionem.

Econtra DEVS ad quærendam veram, & æternam ſocietatem in ſolo illo agno immaculato CHRISTO IESV, & veritatem eius propagandam, lar-
1440 gitur Eccleſiæ typographiam: excitat vbique viros doctos Hebrææ, Græcæ, & Latinæ linguæ peritiſſimos. In ſumma totus orbis reformatur. Deteguntur orientales, occidentales, & ſeptentrionales terræ, antea (niſi Salomoni triennali illa nauigatione notæ) nobis prorſus incognitæ.

Duo Prophetæ illi interfecti reuiuiſcunt in Luthero, & Caluino. Eccleſia è deſerto prodit, militat, & chriſtianiſmus priſcæ apoſtolicæque puritati hinc inde reſtituitur. Vtinam non ſit iam in pace eius amaritudo amariſſima, ob inteſtinum, & pene inſanabilem docentium in eccleſia conflictum.

HORA DVODECIMA

Iudicia in Gog & Magog. Reformatio aliqua ante mundi finē illuſtris FVturæ ætates conſequuntur iam ex parte inchoatæ; veluti iudicia in Gog, & Magog; ſed plenius perficienda à nouo Conſtantino Magno, & Theodoſio Magno, vbi prius delectus, & luſtratio militis ex prædictione Zach. 13. & 14. inſtituenda: quam multorum apoſtaſia ceu tenebræ ante diluculum, præcedet.

Iudæo-

Iudæorum sub cruce illustris conuersio ad crucem CHRISTI superueniet: cum scilicet ἀπιστία illorum, id est, contumacia finita, & plenitudo gentium impleta fuerit: tunc enim veram promissam, nouam Herosolymam, Messiam CHRISTVM iam exhibitum, non hic sed in cœlis quærent: quod sane mysterium nullo modo nos ignorare vult Apostolus. Rom. *11.25*. *Conuersio Iudæorum.*

Nulla tamen hic, neque Iudæis, neque nobis aurea secula veniunt imaginanda: neque adfecto insigni clade Gogo, & Magogo: & Babylone destructa, iuxtaque immobiles DEI prædictiones in aceruum lapidum, instar veteris, typicæque Babylonis conuersa, speranda pax est; remanente seminario istius mysterii iniquitatis in iis, qui pereunt: quod demum sub illustri aduentu CHRISTI à solo CHRISTO abolebitur; durante hic inter electos semper schola crucis ad conseruandam veritatem lucis. *Aurea secula hic non quærenda.*

Ἀπιστία sequetur generalis, & vltima ecclesiæ ecclipsis, respondens apostasiæ ante diluvium, & sæculo Sadducæorum ante primum CHRISTI aduentum. Pax tum, & securitas erit. 1. Thess. *5.2*. Irrisores apparebunt *2*. Pet 3.3. sed ecclesia, & fides vix conspicietur. Hinc quale fuit ecclesiæ crepusculum matutinum; tale, & vespertinum crepusculum expectandum. *Tertia ecclipsis & vltima Ecclesiæ.* *Crepuscula & diluculũ ad æternam lucem.*

Huius apistiæ prodromi, & fundamenta sunt horrendæ illæ Ne-arrianorum, & Socinianorum in Transyluania, & Polonia, contra æternum DEI Filium, & redemtorem nostrum effusæ blasphemiæ: quæ monstra seculari gladio à magistratu christiano coercenda sunt; &, si fieri posset, è rerum natura tollenda.

Signa vltima, præcedentia vltimum CHRISTI aduentum: apparitio signi Filii DEI, tenebræ item, vt quondam in Ægypto, soli populo DEI luce lucente. *Vltima signa aduẽtus CHRISTI*


Mortuorum sequetur resurrectio vniuersalis: quam superstites boni, & mali videbunt, nec præcedent eam 1. Thess. *4.15*. Liber conscientiæ, qui, & fiscalis regius secundum Euangelium CHRISTI erit, aperietur Rom. *4*. v. *16*. Tribunal CHRISTI adornabitur, & publicatio sententiæ ab æterno conceptæ: vbi, CHRISTO iurante, fideles eius non venient in iudicium, vt iudicentur: nec gustabunt mortem inferni, aut purgatorii: sed per mortem in vitam æternam transferentur.

CHRISTVS tum erit vita æterna. O æterna gaudia! Typis cessantibus, verum erit Sabbatum; terra promissa, noua Hierosolyma, aurea secula, vnus pastor, vnum ouile, lux æterna, loco Lunæ & solis DEO lucente. Esaiæ *60 19*.

Nouum in renouato cœlo terraque Horologium gloriæ CHRISTI contemplandæ: è contra apud reprobos mors æterna, & æterna ecclipsis;

catenæque tenebrarum, ignis inextinguibilis, vermis arrodens, Reiectio æterna à facie DEI.

O æternum quanta hæc duratio!



VII

SPECVLI EX NOVO TESTAMENTO ADVMBRATIVNCVLA.

Quomodo ipſe CHRISTVS, & apoſtoli eius teſtimonia de vero DEO Patre, Filio, & Spiritu Sancto, extra quem nullus alius eſt DEVS, dederint, & veram ac degenerem eccleſiam deſcripſerint; quas item vitæ, & militiæ regulas tradiderint.

Degener hoc ſpeculo, atque eccleſia vera notatur:
Elige nunc, vtri ciuis adeſſe velis.
Si tibi ſunt rugæ, & maculæ, ne iraſcere; turpe eſt
Sordida cum ſpeculum terſius odit anus.


Speculum Euangelii
2. Cor. 3.
Panoplia Christiana
Eph. 6.
CHRS SOL IVSTICIÆ
MALACH 4.
Galea
Salutis
SCVTVM FIDEI
TORAX IVSTICIÆ
Cingul. veritatis
Gladius Verbi DEI
Calceati pedes ad
prædicandum Euangelium

CHRISTVS IPSEMET DOCVIT
De DEO vnitrino:

QVod ſi Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, vnus verus DEVS: in cuius nomen Baptiſmus à CHRISTO inſtitutus, tanquam veri DEI: alias nulla res creata DEO (cui in Baptiſmo homagium fidelitatis iuramus) annumerari poſſet: ſiquidem teſte Propheta, DEVS gloriam ſuam nulli dat. *Ioh.15 v.26 Matt. 28. v.19 Eſai.42 8 Iere.48 26*

Etſi autem CHRISTVS dixit, Patrem ſe maiorem; tamen hæc ad ſtatum humilitatis CHRISTI in carne referenda ſunt: ſicut & illud; quod ipſe CHRISTVS ait: ſe, tanquam filium hominis, ignorare diem aduentus vltimi iudicii: id eſt non pertinere ad officium filii hominis, hæc reuelare. Alioqui quatenus fuit DEVS, per eum omnia facta ſunt, & ſine illo nihil factum eſt: quomodo ergo omnia non noſſet? *Ioh.14.32 Marci 13.32 Ioh. 1.3 Coloſſ.1.16*

Hic cum Patre, & Spiritu Sancto verus DEVS eſt, qui ait; Spiritum Sanctum à Patre, & ſe procedere: & commiſſum contra Spiritum Sanctum peccatum non remitti, neque hic neque in futura vita. *Ioh.10.30 Ioh.15.26 Matt.12.31*

Hic verus DEVS triunus, etiam in Baptiſmate CHRISTI teſtimonium de ſe exhibuit. Quin Abraham vidit diem CHRISTI, & gauiſus eſt: ſcalamque illam, à Iacobo conſpectam, fuiſſe CHRISTVM in confeſſo eſt. *Matth.3.16 & 17 Ioh.8.56. Gen.28.12*

CHRISTVS habuit gloriam apud Patrem, antequam mundus eſſet; Ait omnia ſua eſſe, quæ Patris ſunt; & ſe æqualiter cum Patre operari: & æquali ob id honore cum Patre adficiendum ipſemet docet. Ait ſe viam, vitam, & reſurrectionem eſſe: ait Patrem in ſe, & ſe in Patre eſſe: & vti ad Philippum dixit; Philippe qui videt me, videt Patrem. Atque ita CHRISTVS ſuo ipſius teſtimonio cum Patre, & Spiritu Sancto vnus verus eſt DEVS. *Io.17.5. v.10 Ioh.5.17. 19.20 v.23 Ioh.14.6 Ioh.11.25 Ioh.14.9.10*

DE VERBO DEI ET ECCLESIA
vera, & degenere

SCripturam Sacram eſſe ſcrutandam docet: & qui non credit Moyſi & Prophetis, eum non habiturum fidem: etiamſi quis è mortuis reſurgeret. *Ioh.5.39. 46.47 Luc.16.31*

Generationem malignam deſiderare ſigna, & miracula, & regi mandatis hominum: verum oues CHRISTI audire vocem eius, & ſequi ſuum paſtorem: qui ſolus via, veritas, & vita æterna, ianua, reſurrectio, & lux, & ſummus vnicusque paſtor gregis ſui: oues ſuas nouit, & oues illum; quas nemo rapiet ex manibus eius: vtpote quibus regnum DEI paratum eſt ante iacta mundi fundamenta. In hac Eccleſia DEO, veluti in paruulo grege anguſta via ten- *Matt.12.39 Luc.11.29 Marci 7.8 Ioh.10.27 Ioh.14.6 Ioh.10.9 Ioh.11.25 Ioh.8.12 Ioh.10.11 Ioh 10.27 28 Matt.25.34 Luc.12.32*

Luc. 8.10 tationum, & crucis gradienti, complacitum: huic mysteria Dei patere, quæ alias mundum latent.

Ioh. 8. 39 Hanc non gloriari successione carnali seminis Abrahæ, nec locis alliga-
Ioh. 4 23 tam esse: sed veros adoratores in Spiritu, & veritate Devm adorare : quos
Matt. 18. 20 Devs vbique audit, vbicunque duo vel tres conuenerint. In ea beatos esse
Matt. 5.8 pauperes spiritu, castos corde, & qui esuriunt, & sitiunt iustitiam Christi.
Matt. 9. 31 Hanc ecclesiam ex peccatoribus resipiscentibus colligi: & vocari alios pri-
Matt. 20. 1.3.5.6 ma, alios secunda, alios tertia, alios nona, & vndecima hora in vineam Do-
Matt. 21. 31 mini: & publicanos atq; meretrices præcedere in regno Dei inflatos hypocritas, & Pharisæos vmbra, & fuco iustitiæ suæ turgentes.

Matt. 7. 13 *Degenerem Ecclesiam* vero latam viam ingredi: mandatis, & traditionibus
& ca. 15. 3. 6 humanis regi: Pharisæos in hypocrisi imitari: successione carnali, eo quod
Ioh. 8. 33 sint semen Abrahæ gloriari: Seculares principes & reges æmulari dominan-
Matt. 20. 25 do: quod Christvs veræ suæ ecclesiæ facere prohibuit: cum diceret ad Apostolos, vos autem non sic.

DE LIBERO ARBITRIO

Ioh. 6. 44 Docuit, neminem venire ad Christvm, nisi quem Pater traxerit: Qui
Luc. 8. 8 habet aures ad audiendum audiat: nisi quis regenitus fuerit, non pote-
Ioh. 3. 5 tit ingredi in regnum cœleste : Petro insignem illam confessionem de
Matt. 16. 17 Christo, quod sit Devs Vervs, non fuisse à carne reuelatam: Quos mihi
Io. 17. v. 12 dedisti, nemo periit, nisi filius perditionis.

DE IVSTIFICATIONE CORAM DEO

Ioh. 3. 16 Sic Devs dilexit mundum: vt vnigenitum Filium suum daret: vt omnis,
Ioh. 11. 25 qui credit In Evm, non pereat, sed habeat vitam æternam. Etiamsi mortuus fuerit, transferetur ex morte in vitam, nec veniet in Ivdicivm.

Vbi blasphema Arrianorum, & Socinianorum mendacia refutantur: qui docent, non esse credendum in Christvm: sed per Christvm in Devm: neque Christvm esse Devm sed hominem: ideo nec redemisse nos nec pro peccatis credentium in se satisfecisse, nec opus etiam fuisse.

Quæ sane blasphemiæ, ex schola Mahometis profectæ, infra breuiter refutabuntur.

DE BONIS OPERIBVS

Matt. 23. 23 Christvs pronunciauit væ, væ contra Pharisæos: quod mandatis homi-
& v. 27 num Devm colerent: imo quod externa tantum specie, & fuco bonorum operũ hominibus innotescere, & ab illis laudari quæstus sui causa vel-
& v. 3 lent: quod terrestria tantum sub prætextu cælestium quærerent: Moysen, & Pro-

& Prophetas citando, fidē illis non adhiberent: & iuxta horū doctrinam non viuerēt. At fideles, & electos suos idem hortatur; vt iuxta verbum Dei, & nō ex prescriptis hominum lux eorum luceat coram hominibus; quo glorificetur Devs in illis: vtque sint soliciti in præstandis bonis operibus, inque ipsa ad Devm precatione magis innotescere Deo studeant, quam hominibus, quo vere bonos fructus ferant. Omnem enim palmitem, adhærentem viti Christo, ferre bonos fructus; abscissum vero à Christo, & eius doctrina exarescere, & in ignem proiici. Ex doctrina enim Christi, & fructibus fidei cognosci, qui sint discipuli, & sectatores Christi. Ac vbi omnia fideles Dei fecerint, dicendum illis: serui inutiles sumus: Domine credimus, sed adiuua nostram imbecillitatē, & adauge nobis fidem: Domine vesperascit, mane nobiscum.

Matt.5.16 & v.19. & 44.
Mat. 6 6
Ioh.15.16
Ioh.15.5 & 6
v.14
Luc.17 10
Marci 9.24
Luc.24.29.

DE SACRAMENTIS.

CHristvs saltem duo instituit: atq; in se baptizando simplici aqua vsus est: & sic quoq; baptismum à se institutum simplici aqua celebrandum monuit: idq; in nomen vnius veri Dei, Patris, Filii, & Spiritus Sancti: nec arcebat à se infantes, imo vlnis suis eos gestādo, talium regnū cæleste esse pronunciauit, inquiens: ne prohibete ire ad me infantes, Qvi In Me Credvnt.

Matth.3.16
& c.28.19
Marc.10.14. & 15

Sacramentum vero cænę suę sub vtroque elemento panis, & vini, vt cum tribus Euangelistis S Paulus describit, instituit: & paulo ante institutionem huius cænæ mysteria illius, prolixa illa apud Ioannem concione discipulis suis explicauit.

Matt.26.v.26. & seq.
Marc.14.22
Luc.22.19.
1.Cor. 11.23
Ioh.6.à v.27 ad fin.

DE VLTIMO IVDICIO.

CHristvs iureiurando promittit, dicens, Amen, Amen dico vobis: qui crediderit in me, non veniet in iudicium: neq; gustabit mortē; sed transferetur ex morte in vitam æternam. Itaq; neq; purgatorium in gehenna electis Christi metuendum; neque expectandum examen seueri iudicis Christi contra suos electos: sed contra reprobos, qui soli in iudicio vltimo Christi à fiscali regio, nempe à propria conscientia examinabuntur, & condemnabuntur: electis, & fidelibus lætissimam illam sententiæ publicationem audientibus: Venite benedicti Patris mei.

Ioh.5.v.24
Matth.25.v.34.

PRÆDICTIONES CHRISTI.

DE vltimis mundi temporibus, & vltima illa ἀπιστία ait, quod vix fides inter homines reperietur; & exurgent falsi Prophetę, in nomine Christi docentes; & quidem cum tanta fallacia, vt si fieri posset, ipsos Dei electos seducerent. Item de signis aliis vltimi sui aduentus, & de iudicio vltimo docet.

Luc.18 8.
Luc.21.8.
Matt.24.14

EXACTIS APOSTOLORVM

Apostoli docuerunt

De Christo & Spiritu Sancto,

Actor. 4. 12 Act. 2. 23. 24 NVllum esse nomen sub cœlo, & in cœlo, in quo saluari queamus; nisi nomen Domini nostri IESV CHRISTI. Hunc destinato DEI consilio & ex prædictionibus per Prophetas in carne apparuisse: passum pro peccatis nostris esse, & resuscitatum propter iustificationem nostram, sedere ad dextram DEI, & venturum ad iudicandos viuos & mortuos.

cap. 2. 33 c. 20. 28 Hunc misisse Spiritum Sanctum in Apostolos: qui verus cum Patre & Filio DEVS ordinat sibi suos episcopos, & sua dona varie, prout vult, distribuit.

Act. 2 v. 41 42 & c. 20 7 Sacramentis tantum duobus à CHRISTO institutis vsi sunt, ea simplicitate, vti CHRISTVS instituit; Baptismate, vti in Eunucho baptizato & aliis visum est: & Cœna dominica, quam fractionem panis nominabant.

Veram Ecclesiam quomodo Apostoli ædificarint, & propagarint: & qualia certamina tantis legatis CHRISTI & Ecclesiæ eius ab illis collectæ partim cum Ecclesia degenere, partim cum incredulo mundo fuerint; lector
c. 1. 16 inspiciat ipsa acta à Luca Euangelista conscripta, cum non sint longa: & in
c. 2. 14 c. 3. 12 primis insignes illas Petri & Pauli orationes, omnes & imas medullas animæ
c. 4. 8 & 24 fidelium CHRISTI penetrantes: & quomodo, Paulo Antiochenis concio-
c. 5. 29 nante, crediderint tantum ii, quotquot ad vitam æternam ordinati erant.

c. 10. 34 c. 13. 16 c. 13 v 48 &c.

EX EPISTOLIS APOSTOLORVM

S. PAVLI AD ROMANOS

De Christo vero & vnico cum Patre & Spiritu Sancto DEO, docet Paulus

c. 1. v. 2. & 5 SE à CHRISTO accepisse Apostolatum, & gratiam ad obedientiam fidei.
v. 7 Vnde ex DEI vocatione sanctis optat gratiam, & pacem à DEO Patre, & Domino nostro IESV CHRISTO. Ita CHRISTO æqualem potestatem cum Patre conferendi gratiam, & pacem, vti in omnibus epistolis, tribuit: imo ex-
v. 3 presse monstrat: CHRISTVM, ex semine quidem Abrahæ secundum car-
v. 4 & c. 9. 5 nem natum, sed secundum diuinitatem esse laudandum DEVM in secula.
cap 5. 14 Denique ex comparatione, aut collatione CHRISTI cum Adamo, quam Apostolus, conferendo gratiam in CHRISTO, eiusque iustitia nobis exhibitam,

bitam, & reatum Adami in nos propagatum, instituit, nonne vera veræ diuinitatis eius documenta monstrat? Nonne, & eiusdem auctoritatis est caput octauum; cum viribus destituti essemus in carne ad implendam legem v.3
DEI; DEVS suo ipsius Filio misso in forma consimili carni peccato obnoxiæ, condemnauit peccatum in carne: vt ius illud Legis in iis, qui in CHRISTVM credunt, & Spiritu eius reguntur, impleatur.

SPIRITVM Sanctum ita describit: quod amor CHRISTI effusus sit per Spiritum Sanctum in corda nostra: quod per Spiritum Sanctum tanquam cap.8.15
arrhabonem signati simus ad vitam æternam: quod idem Spiritus Sanctus v.26
intercedat pro nobis, gemitibus inenarrabilibus in precando: quod virtute cap. 15.13
Spiritus Sancti spe abundemus.

Atque ita triunum illum verum DEVM describit sibi coæternum: quem blasphemi Arriani, & Sociniani miris sophismatibus blasphemant.

Veram Ecclesiam esse docet: cui verbum DEI est potentia DEI ad salutem: cap.1.16
& quæ non quærit auctoritatem humanam ad id confirmandum; multo minus nouas reuelationes, dicens: quis adscendet in cœlos, aut ad inferos; cap 10.v 3 6 & 7
vt illud reuelet. Deinde quod Ecclesia, cognito morbo suo per primum c.5.c.3
Adamum terrestrem in sese propagato, ad alterum Adamum cælestem, qui est CHRISTVS, accurrit: in hoc solo iustificationem suam per fidem in eum quærit: quam fidem docet donum DEI esse, & à solius DEI æterna præde- cap.11
stinatione electis in CHRISTO conferri: quæ fides bonos fructus in verbo DEI præscriptos profert, adiuuante Spiritu Sancto nostras infirmitates: ne- cap 8.26 cap.3. 27
que caro coram DEO glorietur. Vnde etiam, à nobis infirmiores toleran- cap. 14 1
dos, & in spiritu mansuetudinis ab illis legalibus obseruationibus abducendos monet. Ac sicut celebranda est misericordia DEI in saluandis electis, cap.9.22.23
ita adoranda iudicia DEI in condemnandis reprobis: quorum illi secundum promissionem, vasa misericordiæ DEI: hi secundum carnem tantum nati vasa iræ DEI dicuntur.

Degenerem Ecclesiam arguit; quod cum non queat assequi illa misericor- c.9.20
diæ, & iustitiæ DEI iustissima iudicia, iis partim obloquitur, partim ea cauillatur, & in malum sensum rapit. Quibus hisce verbis respondet S. Paulus c.3. quod si iniustitia hominum DEI iustitiam commendat: quid dicemus: v.5
num iniustus est DEVS, qui pœnam infert? absit. Alioquin quomodo iudex esset mundi? Ideo quidam male de nobis loquuntur, & aiunt, nos dicere: fa- v.8
cienda esse mala, vt bona inde eueniant: quorum damnatio est iusta. Ac cap.9.18
cum DEVS misereatur cuius vult, dices ergo mihi: quid adhuc DEVS succenset? nam voluntati eius quis resistet? Imo vero o homo, tu quis es, qui ex ad- v.19 v.20
uerso responsas DEO? Num dicet figmentum fictori; cur me tale fecisti? An- v.20
non habet figulus ius in lutum ex eadem massa faciendi aliud quidem vas v.21
ad decus, aliud ad dedecus? Quod si volens ostendere DEVS iram, & notam

facere potentiam suam pertulit longa irae dilatione vasa irae compacta ad interitum: vt notas faceret diuitias gloriae suae erga vasa misericordiae: quae praeparauit ad gloriam: num ideo iniustus est DEVS?

Ethica Christiana

Docet, bona opera veluti fructus verae fidei à DEO praescripta: quae sane ethica ab omnibus Apostolis in fine epistolarum additur. Ita hic à S. Paulo *13.* & *14.* cap.

cap. 8.1. v. 6 Non incedendum secundum carnem, sed secundum Spiritum. Nam quod sapit caro, mors est: quod autem sapit Spiritus, vita, & pax est.

v. 7 Omnem sapientiam carnis esse inimicitiam aduersus DEVM.

c. 6. 12. 23 Non seruiendum peccato: siquidem peccati stipendium mors est. Si in-
cap. 8. 1 habitans peccatum in nobis non regnabit: nullam condemnationem metuendam iis; qui sunt in CHRISTO IESV.

cap. 8. v. 6. 7 Luctam carnis, & Spiritus hic assiduam esse: sed diligentibus DEVM in
v. 28. & 37 hac fideli lucta omnia cooperari in bonũ: imo eos plusquam victores in his omnibus per Dominum nostrum IESVM CHRISTVM existere.

cap. 12. 2. Non decere, vt configuremur huic seculo: sed per renouationem men-
v. 3 tis probandam voluntatem DEI bonam, & placentem ex verbo DEI: sic ta-
v. 6 men, ne alta sapiamus: sed vt quilibet sapiat ad sobrietatem, pro mensura fidei sibi à DEO data.

v. 7 Mandat, sic pergamus diuersa habentes dona in docendo cum sedulita-
v. 8 te, in distribuendo cum simplicitate, in benefaciendo cum hilaritate, carita-
v. 9 te non simulata: abhorrentes à malo, agglutinati bono: honore alii alios pro-
v. 10 sequentes: spe gaudentes, in afflictione tolerantes: vsibus sanctorum com-
v. 12 municantes, hospitalitatem sectantes; gaudentes cum gaudentibus, flentes
v. 13 cum flentibus: non elate de nobis sentientes, sed humilibus nos accommo-
v. 15 dantes: non existentes prudentes apud nosmetipsos: non malum pro malo
v. 16 reddentes: procurantes honesta coram omnibus hominibus: pacem si fieri
v. 17 potest, quantum in nobis est, cum omnibus hominibus seruantes: nec nos
v. 18 ipsos vlciscentes: ne vincamur à malo: sed vincendum malum per bonum.
v. 19
v. 21

c. 13. 1 Docet Magistratui parendum, quia minister DEI est: Vectigalia ei soluen-
v. 7 da, & honorem exhibendum, Expergiscendum à somno: & abiicienda ope-
v. 11. & 12. 13 ra tenebrarum, veluti comessationes, ebrietates, libidines: nec habendam
14 curam ad explẽdas carnis cupiditates: sed induendum Dominum nostrum IESVM CHRISTVM.

cap. 14. 1 Infirmum fide assumendum, non tamen ad certamina disputationum:
v. 21 imo potius nec carnes in lege Moysaica prohibitas edendas, nec vinum
v. 3 cum scandalo infirmi bibendum. Complaceamus tamen infirmiori in eiusmodi adiaphoris ad aedificandum proximum: non vt eum in pertinacia cõfirme-

firmemus : ſiquidem nihil in cibis impurum ſit natura ſua : nec regnum v.14
Dei ſit eſca,& potus; ſed iuſtitia, pax, & gaudium per Spiritum Sanctum. v.17

EX PRIMA EPISTOLA AD CORINTHIOS.

De Christo vero, & vnico cum Patre, & Spiritu Sancto DEO.

VOcat ſe Apoſtolum ex vocatione IESV CHRISTI per voluntatem cap.1.v.1
DEI. Scribit ſanctificatis in CHRISTO IESV cum omnibus, qui IN- v.2
VOCANT nomen Domini noſtri IESV CHRISTI quouis loco tum ipſorum,
tum noſtri: precatur ipſis gratiam, & pacem à DEO Patre, & Domino no- v.3
ſtro IESV CHRISTO. Atque hunc CHRISTVM docet factum nobis ſapien- v.30
tiam à DEO, iuſtitiam & redemtionem : & eſſe Dominum gloriæ, quem c.2.v.8
principes huius ſeculi non cognouerunt : nec aliud fundamentum præter c.3.11
vnicum CHRISTVM poni poſſe. Hunc noſtrum verum Paſcha eſſe pro no- c.5.7
bis ſacrificatum : hunc vnum DEVM eſſe cum Patre, & Dominum, à quo, c.8.6
& per quem omnia, & nos per ipſum. Hunc fuiſſe Petrā illam in deſerto, ex c.10.4
qua Patres ſpiritualem potum, æque vti nos biberunt : qui & ſpirituali cibo v.9
vſi ſunt. Hunc CHRISTVM etiam tentatum à quibuſdam in deſerto, qui &
mortui ſint. Atqui Moyſes, & Prophetæ & Dauid Pſal. 78. aiunt, verum il- Num.21.7 Pſal.106.14
lum DEVM fuiſſe: qui in deſerto tentatus fuit. Ergo CHRISTVS eſt verus Pſal.78.41
DEVS.

Item, ſicut in Adamo omnes moriuntur : ita in CHRISTVM credentes c.15.22
omnes viuificabuntur : & hic abolebit imperia, & omnem potentiam, & v.24 v.26
vltimum hoſtem, mortem: alter ille cœleſtis Adam : cum ſit ipſe Dominus v.45. & 47
è cælo: qui abſorbebit mortem ad victoriam. Id quod Eſaiæ 25. & Oſeæ 13. v.54 Eſa.25.8
ſoli DEO adſcribitur. Oſeæ 13.14

Item, omnem victoriam nobis per Dominum noſtrum IESVM CHRI- c.15.57
STVM dari aſſerit.

Spiritum Sanctum ita deſcribit: quod euangelium credentibus in CHRI- c.2.10
STVM reuelatum ſit per Spiritum Sanctum : quod profunditates DEI ſcru-
tetur: quod doceat nos ſpiritualia cum ſpiritualibus coniungere : quod v.13
templa eius ſint fideles CHRISTI, & dona ſua varie diſtribuat creden- c.3.16 c.12.4 & 11
tibus.

Ita S. Paulus, concludendo, Corinthiis verum DEVM, Patrem, Filium, c.8.6.& c.12.11
& Spiritum Sanctum deſcribit, inquiens; nobis eſſe vnum DEVM, Pa-
trem, vnum Dominum IESVM CHRISTVM, & vnum Spiritum San-
ctum. Vbi expreſſe tres perſonæ in vna eſſentia diuina deſcribuntur.

c.1.2 *Veram Ecclesiam* ita describit; quod sint in ea vocati, sanctificati in CHRI-
v.8 STO in quouis loco : quos DEVS confirmabit, & inculpatos reddet vsque
v.9 ad aduentum Domini nostri IESV CRISTI : quia fidelis est is, qui vocauit.

c.1.12.13.30 In hac ecclesia non gloriandum in hominibus, veluti Paulo, Petro, Apol-
c.2.4. & 3 line, sed in solo CHRISTO: non in peritia dicendi, sed in simplicitate, & cruce
& c.1.17
c.1. v. 18 CHRISTI : qui incredulis sit stultitia: CHRISTVM omnibus credentibus
v.30 factum esse sapientiam à DEO, iustificationem, sanctificationem, & redem-
c 2.2 tionem. Hanc ecclesiam nihil aliud scire: quam CHRISTVM IESVM, eumq; crucifixum, & hunc docere non in persuasoriis humanæ sapientiæ verbis;
v.4. & 5 sed in demonstratione spirituali, & potentia: ne fides fidelium DEI CHRI-
c.3.2 STI consistat in sapientia hominum: sed in potentia DEI. Huic ecclesiæ in-
v 6 terdum lac præberi, donec ad solidiorem cibum adolescat. Hanc plantari,
v.9 & irrigari à pastoribus: sed solum DEVM ei dare incrementa; vtpote quæ est
v.11 aruum DEI, & ædificium DEI. Hanc vnico fundamento, quod est CHRI-
v.13 STVS, inniti; licet in ea sint diuersa dona; quæ examine Spiritus Sancti tanquam per ignem probantur, euadente auro, & argento per examen puriore; lignis vero, & stramine, & fœno, id est inutili doctrina non perferente exa-
c.4.9 men, per ignem euanescente. Hanc ecclesiam, tamquam addictam morti,
v.13 sæpe fieri spectaculum mundo, angelis, hominibus, & veluti purgamenta, &
c.5 sordes mundi; nihilominus virtute DEI iudicia DEI in ea exerceri: vt pol-
v.13 luti manifestis peccatis, manifeste puniantur, & pœnitentes in gratiam recipiantur.
c.6.1 Extraneos vero iudiciis DEI committendos: dissensiones ciui-
c.7.2. & 9 les amice componendas: matrimonio legitimo vtendum: virginitatem lau-
& 25 dandam: laqueum contrahentibus coniugia non iniiciendum: scortationes
v 35
c.6.18. v.15 fugiendas: siquidem credentes in CHRISTVM sint membra CHRISTI, &
& 19 templa Spiritus Sancti.

c.8.7.10 In Idoleio cum prophanis hominibus non accumbendum : infirmis
c.9.19. c.10, non præbenda scandala, sed eos lucrifaciendos, & certandum legitime pro
31. v.25 corona non peritura.

c.10. ver.1 Credendum; Sacramenta sub veteri testamento in rei substantia eadem
& sqq. cum Sacramentis noui testamenti fuisse: sed typis tantum diuersa: siquidem omnes eandem CHRISTI escam spiritualē edebant, & omnes eundem potum spiritualem ex petra typica, quæ CHRISTVM figurabat, bibebant: sed non omnes spiritualiter. Ob quod in deserto à CHRISTO, quod tentabant eum, increduli puniti sunt.

c.11.23 Hanc ergo veram ecclesiam cœna DEI integra, & ea simplicitate qua à
c.10. 6 CHRISTO instituta est, vti debere: iuxtaque profiteri & credere; quod panis quem frangimus, sit κοινωνία id est, communicatio corporis CHRISTI: & po-
c.11.26 culum hoc quod bibimus, sit quoque communio sanguinis CHRISTI : &

q omes

quoties edimus panem hunc, & poculum hoc bibimus : annunciandam mortem Domini donec venerit: quoniam vnus panis, & vnum corpus mul- c.10.17
ti ſumus: dum ex vno pane participamus. Ac quemlibet ſeſe prius probare c.11.28.29
debere antequam de illo pane edat, & de poculo bibat: ne indigne edens, & bibens damnationem ſibi edat, & bibat, non diſcernens corpus Domini.

Hæc eccleſia, ſicuti cibis, idolis oblatis, non præbere infirmioribus ſcan- c.10.28.29 32
dala: ſic, & in cultu corporis decorem fidelibus CHRISTI conuenientem, c.11. à v. vſ-
adhibere debet. Licet ſchiſmata, & hæreſes eſſe oporteat: vt manifeſti fiant, que ad 16
qui probati ſunt: tamen fugienda ſunt ſchiſmata, & hæreſes : ac ſub diuerſis c.11.19 c.12
Spiritus Sancti donis omnia ad ædificationem dirigenda: ſiquidem creden- v.24
tes in CHRISTVM ſunt corpus CHRISTI: id quod Apoſtolus de corpore myſtico, ſicuti, & ſupra in cæna Domini intelligit. Monet vt inprimis ſecte- c.13.v.2
mur charitatem, quæ eſt verus fidei fructus, & verum fidelis animæ CHRI- v.8
STI documentum, atque ita vinculum perfectionis. Quin etiam Prophetæ c.14.32
Prophetis ſubiici debent: atque ita ſe inuicem ædificare, & ſolari beatiſſima v.26
immortalitate & corporum ſuorum reſurrectione; quam Apoſtolus prolixe cap.15
deſcribit. Tandem ad collectas, & eleemoſynas hortatur.

Degenerem Eccleſiam arguit: quod in ea ſint diſſidia: & quod crux CHRI- c.1.11. & 18
STI iis, qui pereunt, ſit ſtultitia: quod ſigna, & miracula, atque Sapientiam c.2.6
mundanam in Euangelio CHRISTI quærat: nec mirum, ſiquidem anima- v.14
lis homo non eſt capax eorum, quæ ſunt Spiritus; nec poteſt ea cognoſcere, cum ſint ei ſtultitia : quia ſpiritualiter diiudicantur. Atque tales, ait, non c.3.11
contentos vnico fundamento, quod eſt ſalutis, alia quærere. Ac licet in iſto v.12
fundamento ædificent: tamen ex ea materia examen ignis Spiritus Sancti non ſuſtinere docet. Hos magis inflari verbis, quam virtutem ſpiritualem c.4.6.19.20
demonſtrare: commercia mala ſequi, & litibus oblectari. *Degeneres eccleſiæ* c.5. & 6
ciues ait, laqueum conſcientiis in contrahendo matrimonio iniicere: Ido- c.7.v.35 c.8.7
lothyta comedere, cum læſione infirmorum: fideles CHRISTI miniſtros, c.9. à v.1
qui cum humilitate, & penuria iis ſeruiunt, parui facere: in ipſa etiam admi- vſque ad 23 c.10.20.21
niſtratione cœnæ Dominicæ Idolothyta comedere, commiſcere, atque ita conſortes dæmonum fieri. Neque cœna Domini in communitate, ſed pri- c.11.21.22 c.12.15. &
uatim vti, alio eſuriente, alio ebrio exiſtente, intumeſcere ob diuerſa dona ſeqq.
DEI, & contemnere eos, qui minoribus donis præditi ſunt : cum tamen ſi c.13.2. & ſeq
quis abſque charitate in ædificando proximo omnia myſteria DEI noſſet, fide montes transferret, alendis egenis omnia inſumeret, & corpus ſuum ad comburendum daret: nihil ei ſit profuturum : ſi in hoc propriam vel vtilitatem vel gloriam vanam aucupetur : deſtitutus amore erga DEVM, & ec- c.14.33.36
cleſiam eius, ad ædificandum proximum.

Idipſum conſpici etiam teſtatur in iis doctoribus: qui lingua non intelle- ib. v 19
cta res ſacras in Eccleſia inſaniendo peragunt: cum expediat potius quinque

verba intellecta ad populum loqui: quam decem millia non intellecta. Atque hoc signum esse infidelium teste Esaia c. *28. 11.* Quod sane nonnulli secuti, laruam tantum pietatis sectando, dubitarunt de mortuorum resurrectione: quos prolixe Apostolus refutat.

c.15 12. & seq.

Ethica Christiana.

c.2.v.18 Nullus seipsum seducat: sed si quis sibi videtur esse sapiens in hoc seculo,
c.1.25 stultus fiat; vt fiat sapiens in Deo. Quia sapientia huius mundi est stultitia
c.3 21.22 coram Deo. Omnia enim fidelium Christi esse, siue mundus, siue vita, & mors, siue præsentia, & futura, certum est.

c.6.8 Scortatio fugienda: quia, qui meretrici adhæret, est vnum corpus
v.19 cum illa, atque ita auellitur à corpore Christi: & ex templo Spiritus Sancti facit templum meretricis.
v.20 Cum vero emti simus magno precio, nempe sanguine Christi: glorificandus est Devs in corpore nostro, & in spiritu nostro, & facienda quæ Dei sunt.

c.7.v.9 Liberum est coniugio vti. Laudanda virginitas, laqueus nulli iniiciendus,
v.25 & 35 Vxor, mortuo viro alii nubere potest, & ex aduerso: modo in
v.39 Domino fiat.

Ministri verbi Dei alendi. Si in certaminibus ciuilibus certaturus quis
c.9.à v.7 vsque ad 14 in omnibus est abstinens, idque adipiscendæ perituræ coronæ causa: quan-
à v.24 vsq; ad vlt. to magis ob incorruptam certandum est? Quare currendum, non vt in incertum pugnandum, non feriendo tantum aerem: contundendum corpus, & in seruitutem redigendum: ne alios docentes ipsi reiectanei simus.

Nemo, quod suum est, quærat: sed quisque quod est alterius. Omnia
c.10.v.24 *v.23* licita: sed non omnia conferunt, & ædificant. Quicquid ergo facimus, om-
v.31 nia faciamus ad gloriam Dei. Mulier comam alat, & velato capite ince-
c.11.13.& 15 *v.14* dat, & oret. Viro vero comam alere, indecorum est.

v.16 Quod si quis in his, non auscultando, contentiosus esse vult: sit sane: Ecclesiæ autem Dei vera membra, eiusmodi consuetudine non gaudent.

v.31 & 32 Si nos ipsos iudicaremus, non iudicaremur à Domino, sed dum iudicamur à Domino, erudimur: ne cum mundo condemnemur.

c.14.38 Qui ignarus est, non obtemperaturus his admonitionibus, ignarus esto.

c.16.22 Qui non amat Dominum nostrum Iesvm Christvm, sit anathema, maranatha.

EX SECVNDA EPISTOLA AD CORINTHIOS.

De CHRISTO vero & vnico cum Patre & Spiritu Sancto DEO.

PAulus nominat se Apostolum IESV CHRISTI, & precatur Corinthiis c.1.v.1
à DEO Patre, & Domino nostro IESV CHRISTO gratiam, & pacem: à v.2
quo consolationem accipimus in afflictione. Atque huius DEI Filii pro- v.4
missiones docet non esse dubias ETIAM, & NON; sed omnes in eo esse ET- v.20
IAM & AMEN, & Arrhabone Spiritus Sancti obsignari. Vnde etiam trium- v.22 c.3.v.3
phant in CHRISTO fideles eius, & sunt epistola CHRISTI, consignata Spi-
ritu DEI viui: quam fiduciam habemus per CHRISTVM apud DEVM. Vnde v.4
prædicamus, inquit, CHRISTVM IESVM esse Dominum nostrum: qui splen- c.4.v.5.& 6
duit in cordibus nostris: licet mortificationem Domini IESV in corpore v.10
nostro circumferamus: vt etiam vita illa IESV CHRISTI in corpore no-
stro manifesta fiat, qui est IMAGO DEI: & ante cuius tribunal nos omnes v.4
sisti oportet. Quare solus CHRISTVS docendus, & CHRISTO hic viuen- c.5.v.10 v.15
dum, non nobis: & audiendi Apostoli, qui nomine CHRISTI legatione v.20
funguntur: siquidem DEVS fuit in CHRISTO, mundum sibi reconcili- v.19
ans, non imputando ipsorum peccata: qui cum non nosset peccatum, pro v.21
nobis peccatum factus est: vt nos DEI iustitia in eo efficeremur: qui pau- c.8.v.9
per pro nobis factus est: vt eius paupertate ditesceremus: cui vnico, Ec- c.11.v.2
clesia, veluti sponsa sponso, est desponsata: quem Apostolus raptus in cœ- c.12.v.2
lum etiam in carne eius glorificata vidit: nos vero in terris secundum car-
nem nec quærere, nec nosse debemus.

Apostolus gloriatur in suis infirmitatibus; quo potentia CHRISTI in c.12.v.9
sese habitet. Ac quia quidam experimentum quærunt CHRISTI in se
loquentis; videndum Corinthiis: vt sese ipsos potius examinent, an CHRI- c.13.v.3 v.5
STVS sit in ipsis.

Ex quibus omnibus attributis, quæ CHRISTO ab Apostolo assignantur, apparet liquido: CHRISTVM verum DEVM & hominem esse.

Spiritus Sancti ita meminit; Credentes in CHRISTVM obsignatos esse c.1.v.22
arrhabone Spiritus Sancti: & esse eos epistolam CHRISTI scriptam non atra- c.3.v.3
mento, sed SPIRITV DEI viui; non in tabulis lapideis, sed in carneis
tabulis cordis: qui CHRISTI fidelibus corda aperit, vt vim sacræ scriptu- v.6
ræ, & non literam, quæ occidit sequantur. Ac vbi ille Spiritus Sanctus v.17
est; illic & libertas, illic & detegitur facies, gloriam DEI, ceu in specu- 18
lo intuens, & in imaginem DEI se transformans, ex gloria in gloriam, nem-
pe à Domini Spiritu. Hinc fideles CHRISTI esse templa DEI viuentis constat.

ſupra autem 1.Cor.3.16. dicit; credentes in CHRISTVM eſſe templa Spiritus Sancti. Ergo Spiritus Sanctus eſt verus DEVS:

SS. Trinitas

c.13. v.13 Concludit Apoſtolus hanc epiſtolam ſuam his verbis; Gratia Domini IESV CHRISTI, & charitas DEI, & communicatio Spiritus Sancti, ſit cum omnibus nobis. Vbi illuſtre eſt Sacroſanctæ Trinitatis teſtimonium, gratiæ nobis à CHRISTO, in CHRISTO, & per CHRISTVM exhibitæ: amoris DEI Patris, qui nos in CHRISTO ſibi elegit; operationis Spiritus Sancti in nobis per communicationem donorum ſuorum nobiſcum.

c.1 v.3 *Veram Eccleſiam* ita deſcribit, & inſtruit; quod eccleſiæ ſuæ curam gerit
DEVS, Pater ille miſerationum, & omnis conſolationis: in qua ſicuti abun-
v.5 dant perpeſſiones CHRISTI: ita per CHRISTVM redundat etiam conſo-
v.11 latio, & gloria eorum: qui etiam teſte bona conſcientia, cum ſimplicitate, &
ſinceritate DEI, & non ſapientia carnali: cum gratia DEI potius verſantur
c.2. v.14 in mundo, & triumphant cum CHRISTO: cum ſint bona fragrantia
v.15 CHRISTI in iis, qui ſeruantur, & in iis, qui pereunt: Illis odor mortis ad
v.16 mortem, his odor vitæ ad vitam. Atque ita, ingenue loquendo, paſtores DEI
v.17 non cauponantur ſermonem DEI: ſed ex ſinceritate, ſed ex DEO, in con-
c.3. v.5 ſpectu DEI, de CHRISTO loquuntur: non quod idonei ſint à ſe ipſis ad co-
v.6 gitandum quicquam: ſed, quod idonei ſint, id ex DEO eſt: qui idoneos
eos fecit miniſtros noui fœderis, non literæ ſed Spiritus: quod litera occidit;
Spiritus vero Sanctus viuificat; & verum ſacræ ſcripturæ ſenſum aperit, de-
v.17 tegens velamen Moyſis: vt retecta facie gloriam Domini ceu in ſpeculo in-
v.18 tueantur, & in eandem imaginem ex gloria in gloriam transformentur, tan-
c.4. v.2 quam à Spiritu Domini. Abdicatis itaque omnibus integumentis turpitudi-
nis non incedendum cum calliditate: nō corrūpendus ſermo DEI, vti pſeu-
doapoſtoli faciunt: ſed cum declaratione veritatis docendus: quo & conſci-
v.3 entiis hominum innoteſcat in conſpectu DEI. Quod ſi quibuſdam tectum
eſt Euangelium CHRISTI, à CHRISTO, & apoſtolis prædicatum, iis dici-
v.4 tur tectum eſſe, qui pereunt: in quibus DEVS huius ſeculi excæcauit men-
v.5 tes, nēpe in infidelibus; ne irradiet eos lumen Euangelii CHRISTI, qui eſt
IMAGO DEI, & qui ſolus eſt prædicandus, & qui reſplenduit in cordibus
v.6 fidelium ſuorum: & theſaurum ſuum in illis in teſtaceis vaſculis recondi-
v.7
v.8 dit, quo eius præſtantia ſit ex DEO, & non ex hominibus. Hinc fideles
CHRISTI dicuntur ſępe adfligi, hæſitare, non tamen continuo hærere, per-
v.9 ſecutionem pati, ſed in ea non deſeri: deiici, ſed non perire: mortificatio-
v.10
v.16 nem Domini IESV in corpore ſuo circumferre; vt vita illa IESV CHRISTI
v.17 in corpore eorum manifeſta fiat: & etiamſi externus ille homo corrumpa-
v.18
tur, renouari tamen internus de die in diem. Momentanea enim illa le-

uitas

nitas adflictionis fidelium CHRISTI excellenter excellentis gloriæ pondus æternum conficit eis: dum non spectant temporaria, quæ cernuntur, sed æterna, quæ non cernuntur. Ad quæ sub terrestris corporis sui taberna- c.5.ver.2.
culo suspirant; fore; vbi illud dissolutum fuerit, vt æterno domicilio, quod in cœlo est, superinduantur: quo absorbeatur mortalitas à vita. Sciunt quip- ver.4.
pe, se aduenas esse in corpore, & peregre abesse à Domino: vt qui per fidem, ver.6. ver.7.
& non per aspectum incedunt; & optant migrare è corpore, & ire ad Domi- ver.8.
num habitatum. Propterea etiam ambire, & in corpore aduenas & ex cor- ver.9.
pore migrantes ei esse acceptos.

Monet porro, Ne quis impari iugo copuletur cum infidelibus: quod nul- c.6.v.14.
lum sit consortium iustitiæ cum iniustitia, luci cum tenebris, CHRISTO cum v.15.
Belial, fideli cum infideli, templo DEI cum simulacris: quinimo è medio eo- v.17.
rum exeundum.

Ac sicut excommunicandi manifeste peccantes: ita statuit, vbi pœni- c.8. à v.7. ad 11.
tentiam egerint, recipiendos eos esse, qui contristati sunt ob sua peccata: quæ tristitia resipiscentiam parit ad salutem.

Inde hortatur Apostolus Corinthios ad Eleemosynas contribuendas: & c.8. & 9.
respondet sibi obloquentibus, qui sese ex ipsis metiuntur, & ipsimet se inter c.10.v.2. &
se comparant: se quidem in carne incedere ait, non tamen secundum car- 3.
nem militare. Arma enim militiæ suæ non esse carnalia, sed diuinitus valida v.4.
ad subuersionem munitionum, ratiocinationes euertendo, omnemq; subli- v.5.
mitatem extollentem sese aduersus cognitionem DEI; & in captiuitatem redigendo omnem cogitationem ad obediendum CHRISTO, imo etiam v.6.
paratam, quo vindicet omnem eiusmodi pseudo-apostolorum contuma- v.8.
ciam: & hanc potestatem sibi datam à CHRISTO ad ædificationem, & non ad subuersionem: se, licet raptus sit in tertium cælum: tamen in solis infir- c.12.v.9.
mitatibus suis gloriari; quo CHRISTI potentia in se habitet.

Degeneres Doctores apud Corinthios ita arguit; Quod cauponantur ver- c.2.v.17.
bum DEI, non loquentes sincere de CHRISTO: Quod Euangelium à S. c.4.v.3.
Paulo prædicatum, obscurum esse dicunt; cum iis tantum obscurum sit, qui v.4. c.6.v.14.
pereunt: quibus DEVS huius sæculi excæcauit mentes, ne irradiet eos lumen v.15.
euangelii CHRISTI. Hos impari iugo copulari cum infidelibus, comparare v.16. & 17
CHRISTVM cum Belial, templum DEI cum simulacris: quare è medio eorum exeundum. Hos humilitate Pauli (quod persona eius, absq; externa ali- c.10.
qua auctoritate debilis illis videatur) offendi: atque ita, & ab Euangelio CHRISTI ab eo prædicato, alios, ad speciosiores secundum carnem doctores auertere: qui sese ipsos ex seipsis metiuntur: se sibi tantum comparant:
auditores vero à simplicitate illa, quæ est in CHRISTO, vti serpens Euam, se- v.18. c.11. ver. 2.
ducunt. & 3.

Tales esse pseudo-apostolos, operarios dolosos, transfigurantes se in Apo- v.13.

v.14. ſtolos CHRISTI: neque id mirum eſſe. Cum enim ipſemet Satan ſeſe tranſ-
v.15. figuret in angelum lucis, quidni, & miniſtri eius, in miniſtros iuſtitiæ ſeſe
c.13.v.5. transforment? quorum finis erit ſecundum opera ipſorum. Atque hi non
CHRISTVM ſed ſe ipſos docent, non probantes ſeſe, an CHRISTVS in
ſe ſit: itaque reiectaneos eſſe dicit.

Ethicam Chriſtianam ita tradit.

c.1.v.2 3. IN quibus abundant perpeſſiones CHRISTI: in iis quoque ſuperabun-
4.5. dat conſolatio CHRISTI: quia DEVS eſt Pater miſerationum, & omnis
conſolationis.

c.10.v.17. Gloriandum in DEO, teſte bona conſcientia, & conuerſandum in mun-
& c.1.v.12. do cum ſimplicitate, & ſinceritate DEI: non cum ſapientia carnali.

Nec ſegnes ſimus, ſi externus homo corrumpitur, ſiquidem internus in
c.4.v.16. CHRISTO, renouatur indies. Nam momentanea illa afflictionum leuitas
v.17. excellenter excellentis gloriæ pondus æternum credentibus in CHRI-
v.18. STVM conficit: dum non ſpectamus temporaria, quæ pereunt, ſed æterna,
quæ non cernuntur.

c.5.v.9 Nos hic aduenas eſſe, & peregre abeſſe à Domino addit. Quare eniten-
dum, vt, tum in corpore aduenæ exiſtentes, tum è corpore migrantes, ac-
cepti ſtudeamus eſſe Domino: quo eamus habitatum ad eum. Vnde ſi quis
c.5.v 17. eſt in CHRISTO, fit noua creatura in CHRISTO. Nulla vlla in re
c 6.v.3. vlli mortalium præbenda offenſio: militandum armis iuſtitiæ à dexteris, &
v.7. ſiniſtris. Non copulandum impari iugo cum infidelibus. Quod enim con-
v.14. ſortium iuſtitiæ cum iniuſtitia, luci cum tenebris: quæ concordia CHRI-
v.15 STO cum Belial, quæ conſenſio templi DEI cum ſimulacris? Quin imo ſe-
v.16 17. paratio ab illis facienda, & exeundum è medio horum: ſiquidem fideles
CHRISTI ſunt templa Spiritus Sancti.

c.7.v.1. Itaque enitendum, vt ab omni inquinamento carnis, ac Spiritus, ii, qui
in CHRISTO ſunt, ſe purgent: perducentes, ad finem vſque ſanctificatio-
nem ſuam in timore DEI.

v.10. Triſtitia ob peccata commiſſa parit reſipiſcētiam ad ſalutem: cuius nemi-
c.8.v.21. nem pænitere debet: verum mundi dolor efficit mortem. Procuranda ho-
neſta non ſolum coram DEO ſed etiam coram hominibus.

c.9.v.6. Benefaciendum egenis. Qui enim ſerit parce, parce metet, & qui ſeret
v.7 benigne, benigne etiam metet: non ex triſtitia aut neceſſitate, nam hilarem
datorem diligit DEVS.

c.10.v.17. In ſolo DEO gloriandum. Nō enim, qui ſeipſum commendat, is proba-
v.18. tus eſt: ſed is, quem Dominus commendat.

c 12.v.9 Gloriandum in infirmitatibus, vt potentia CHRISTI in nobis habitet. in
c.13.v.5. quirendum nobis in noſmet ipſos, an CHRISTVS per fidem ſit in nobis:

eiudiendi

erudiendi alii à nobis; non vt nos probati comperiamur: sed vt faciant, v.7.
quod honestum est. v.8.

Denique ne quicquam faciamus aduersus veritatem: sed omnia pro ve- v.11. & 13.
ritate: quo idem sentiamus in pace: & DEVS charitatis, & pacis, gratia Domi-
ni nostri IESV CHRISTI, & communicatio Spiritus Sancti sit nobiscum.

EX EPISTOLA AD GALATAS.

De Christo

v.1. v.1.

AIt, se apostolatum suum non accepisse ab homine, sed à IESV CHRISTO, v.2.
& DEO Patre. A quo etiam eis gratiam, & pacem precatur (vbi manife- c.3 v.14.15.17.
stum veræ diuinitatis testimonium) in quo æternum fœdus de saluandis o-
mnibus credentibus factum.

De Spiritu Sancto, inquit, credentes in CHRISTVM accepisse pro- c.4. v.6.
missum Spiritum Sanctum per fidem; quo obsignati in cordibus nostris cla-
mamus Abba Pater.

Veram Ecclesiã ita describit: CHRISTVM dedisse semetipsum pro sua c.1. v.4.
ecclesia: vt eam redimeret ex præsenti seculo malo. Hanc iustificari ait per fi- c.2. v.16
dem in CHRISTVM IESVM, & viuere in ea CHRISTVM: qui eam redemit v.20.
ab exsecratione legis, quæ peccatũ monstrare, non autem sanare potuit: Et c.3. v.13.
fuit credentium pædagogus ad CHRISTVM, & tutor atque curator sub v.24.
veteri testamento, vsque ad exhibitum CHRISTVM.

Degenerem ecclesiam apud Galatas arguit; quod deserta CHRISTI gratia & c.2
salute per fidem in CHRISTO impetranda; beatitatem suam in legis ope-
ribus, suisq; viribus quærant. Quare etiamsi angelus è cœlo aliud euangeli- c.1 v.8.
um ab illo annunciaret, eum anathema dicendum esse monet: & Galatas a- c.3. v.1.
mentes esse ait, qui tales pseudo apostolos sequantur: siquidem quotquot ex c.3. v.10.
operibus legis iustificari volunt, & nõ per CHRISTVM: hos sub execratione c.4, v.10.
esse oporteat: qui insuper obseruent menses, tempora, & annos: adeo, vt me-
tuat Apostolus: ne CHRISTVS ipsis sit à se frustra prædicatus. Imo addit ina- c.5. v.4.
nes factos, & separatos à CHRISTO, excidisseq; eius gratia, quicunq; per legis v.5.
opera iustificari volunt: siquidem saluandi spiritu ex fide spem Iustitiæ in v.12
CHRISTO IESV expectent: ideoque eos abscindi optat, qui tali doctrina
ecclesiam CHRISTI inquietant.

Ethica Christiana.

QVi CHRISTI sunt, carnem suam crucifixerunt cum affectibus, & con- c.5. v.24
cupiscentiis. Viuendũ, & incedendũ Spiritu. Vana gloria fugienda: a- v.25.
liorum onera portanda: opus suũ probandum. Non seminandum carni ad v.26 c.6
interitum, sed Spiritui ad vitam. Benefaciendum omnibus & imprimis do- v.2
mesticis fidei. v.4. v.8. v.10.

v.14. Gloriandum in sola cruce Domini nostri Iesv Christi: ita vt sit nobis mundus crucifixus, & nos mundo.

EX EPISTOLA AD EPHESIOS.

De Christo

cap.1.v.2 v.4 PRecatur gratiam, & pacem à Deo Patre, & Domino nostro Iesv Chri-
v.7 sto: in quo ante fundamenta mundi electi, & prædestinati sumus: &
v.8 deinde vocati atq; redempti sanguine eius, remissionem peccatorũ conse-
v.10 cuti: sapientia ab eo spirituali ditati. In quo, in pleni temporis dispensatione
v.20 recolligentur omnia, quæ in cœlis, & in terra sunt. Qui nunc ad dexteram
v.22 Dei sedet: habens sibi omnia subiecta: & est caput Ecclesiæ: quæ est cor-
cap.2.v.12 pus eius, & complementum. Qui vero sunt absque Christo, hi sunt ἄθεοι.
v.14 Christvs nimirum est pax nostra in Christo, paries intergerinus ruptus.
v.20 Christvs lapis est angularis, & fundamentum ecclesiæ.
cap.3.v.9 v.17 Per Christvm omnia condita sunt: Christvs inhabitat per fidem
v.19 in cordib. electorum suorum: cuius cognitio omni cognitione est superior.
cap.4.v.10 Christvs è cœlo descendit, & rursum in cœlos adscendit supra omnes
v.8 cœlos; vt impleret omnia: captiuam duxit captiuitatem, qua detinebamur
à peccato, minis mortis, & inferni; à quibus omnibus gratia eius liberati su-
c.4.v.11.& 12.& 16. mus. Qui ad ædificationem suæ ecclesiæ, quæ est corpus eius, varia distri-
c.5 buit suis membris dona. Ecclesia est sponsa Christi: credentes in eum
v.30 sunt membra corporis eius, ex carne eius, & ossibus eius: id quod myste-
v.32 rium magnum est.

Quæ sane attributa omnia testantur Christvm esse verum Devm.

c.1.v.13 De Spiritu S. inquit: quod obsignati sumus Spiritu promissionis sancto: qui est
v.14 v..7 arrhabo hæreditatis nostræ, & Spiritus sapientiæ, & reuelationis. Atq; hunc
c.3.v 16 vnum Spiritum sanctum, qui nos in interiore homine roborat, asserit: Et
c.4.à v.3 vsq; ad 6 cum sit vnus Spiritus: eum ad vnam fidem suos fideles deducere testatur:
cap.4.v.30 Atque hunc Spiritum sanctum non esse contristandum: quo signati sumus
ad diem redemptionis.

c.1.v.4 & 5 Ecclesiam veram ait esse cœtum electorum, & prædestinatorũ in Chri-
sto Iesv ante mundi fundamenta; ex mero beneplacito Dei, ad laudem
v.6 gloriosæ gratiæ Dei: quam Devs gratis acceptam sibi fecit in Christo:
v.7 & 8 quam Christvs redemit, peccata condonans, sapientia spirituali ditauit,
v.9 cui mysteria sua aperuit: quam in pleni temporis dispensatione sit in cœ-
v.10 v.14 lis, & terra collecturus; obsignando eam hic Spiritu sancto, loco arrhabonis,
v.18 spe, & potentia spirituali ditando, viuificando, imo excitando eam è mor-
c.2.v.5 tuis, & eripiendo è potestate, & mancipatione Diaboli: faciendo ex filiis
v.8 iræ filios gratiæ suæ in futuro seculo: siquidem mera gratia Dei secundum

æter-

æternum DEI propositum saluantur electi in CHRISTO, non ex operibus,
ne quis glorietur.

CHRISTVM enim pacem nostram esse. Atque hanc ecclesiam funda- *v.14*
tam supra fundamentum Apostolorum, & Prophetarum: cuius imus, & an- *v.20*
gularis lapis est ipse IESVS CHRISTVS. In hac ecclesia multiformem sapien- *c.3.v.10.16.*
tiam DEI conspici, & vim habitantis CHRISTI in suis fidelibus: cuius co- *& 17*
gnitio omni cognitione superior est. In hac ecclesia licet sint diuersa dona *v.18* *c.4.à v.11.*
DEI: tamen illam esse vnum corpus CHRISTI, & CHRISTVM caput eius: *ad 16.*
Vnum in ea Spiritum sanctum, vnam fidem, vnum baptisma, vnum sposum *cap. 4. v. 4. 5.6.*
CHRISTVM suæ ecclesiæ, id quod mysterium magnum est: Ecclesiam cor- *ca.5. à v.23.*
pus eius mysticum esse, & carnem ex carne, atque os ex ossibus eius; fideles *vsq; ad 33.*
deniq; membra corporis eius pro mensura fidei in illos collata.

De degenere ecclesia pauca hic attingit Apostolus, cũ sit mere didascalica hæc
epistola, carens omni certamine cum pseudo-Apostolis: id quod in nulla a-
lia epistola reperitur. Docet tamen omnes non renatos homines esse filios *c.2.v.3*
iræ DEI, & organa Satanæ: &, qui CHRISTVM ignorant, esse ἀθέους, ince- *v.12*
dentes in vanitate mentis suæ, obtenebratam habentes cogitationem; alie- *cap. 4. v. 18*
natos à vita DEI per ignorantiam, quæ in ipsis est, per obdurationem cordis
eorum: Qui postquam dedoluerunt, sese dediderunt proteruiæ ad certa- *v.19*
tatim patrandam omnem impuritatem: Vbi Apostatas à CHRISTO notat.

Ethica Christiana.

Absque cognitione CHRISTI omnes sunt athei. In CHRISTO sunt *c.2.v.12*
imperuestigabiles opes. CHRISTI charitas est omni cognitione superior. *c.3.v.18*
Exuendus vetus homo, induendus nouus. Veritas loquenda; ne sol occidat *c.3.v.19* *cap.4.v.22.*
super iram. Non dandus locus diabolo. Non furandum. Omnis sermo sit ad *23. 24. v.25*
ædificationem: ne contristetur Spiritus sanctus. *v.26.27* *v.28*

Scortatio non modo non admittenda; sed ne nominanda. Obscænitas, *v.29*
stultiloquia, & auaritia, quæ sunt idololatria, fugienda. Qui dormit, ex *v.30*
pergiscatur: & illucescet ei CHRISTVS. Non inebriemur vino, in quo lu- *c.5.v.3* *v.4*
xus est. *v.14*

Cantandi hymni cum gratiarum actione, in nomine Domini nostri IESV *v.19*
CHRISTI, DEO ac Patri.

Vxores sint subiectæ viris: & viri diligant vxores vti corpus suum. Liberi *v.22. & 25*
obediant parentibus. Parentes eos erudiant in doctrina CHRISTI. Serui *c.6.v.1*
non ad oculum seruiant: sed vti CHRISTO, à quo sint præmium accepturi. *v.4* *v.6*

Domini ita se gerant erga seruos: vt cogitent, se quoque Dominum supra *v.9*
se habere.

Induenda vniuersa panoplia, i. e. armatura DEI, quam graphice describit. *à v.14. ad 18.*

Induendus thorax iustitiæ, assumendum scutum fidei, galea salutis, & gladius verbi DEI.

v.18. In precibus perdurandum vigilando.

EX EPISTOLA AD PHILIPPENSES.

De CHRISTO

c.1.v.18 APostolus nominat se, & Timotheum seruum IESV CHRISTI: & precatur

v.2. sanctis in CHRISTO IESV, gratiam, & pacē à DEO, Patre, & Domino

v.11. nostro IESV CHRISTO: vt fructibus abundent iustitiæ in CHRISTO IESV.

v.29. Datum esse ait credentibus gratis non solum in CHRISTVM credere, sed etiam pro eo pati.

c.26.v.6. Hic CHRISTVS cum esset ἐν μορφῇ θεοῦ i.e. in forma DEI, nempe verus DEVS: (eo quod hanc formam DEI, i.e. has proprietates veri DEI omnes eius actiones, etiam in scrutandis cordibus hominum, demonstrabant, vnde etiam

v.5. Rom. 9. dicitur CHRISTVS ex semine Abrahæ natus secundum carnem: sed secundum diuinitatem esse benedictus DEVS in secula: & in sequenti ad

c.2.v.9. Colossenses epistola ait Apostolus, omnem plenitudinem diuiuinitatis σωματικῶς i.e. corporaliter in eo habitare: & ad Timotheum nominat CHRI-

1. Tim. 3. v. 16. STVM, DEVM reuelatum in carne), non duxit rapinam, parem esse cum DEO:

v.6. sed ipse sese inaniuit, forma serui assumta, similis hominib. factus. Quod sa-

v.7. ne dictum; parem videlicet esse DEO, tollit omnia blasphemorum Arrianorum, & Socinianorum Sophismata: qui CHRISTVM aiunt, non fuisse verum DEVM, sed tantum in forma DEVM. Nam par esse DEO, sine rapina, & læsio-

Esa. 42.8 ne maiestatis diuinæ (siquidem DEVS gloriam suam, teste Propheta, nulli dat) nullus alius esse potest: nisi sit omnibus modis DEVS. At CHRISTVS, teste Apostolo, non duxit rapinam, parem esse DEO. Ergo fuit verus DEVS. Sic quod formam serui assumpsisse CHRISTVM dicit Apostolus: id non de significatione aut adumbratione serui intelligendum est: ac si CHRISTVS vti verus DEVS, ita verus quoque homo non esset: alioquin & ex illo loco Pauli 1. Cor. 15.49. & nos non essemus veri homines: sed tantū imaginarii: eo quod dicit Apostolus: sicuti gestauimus terreni hominis imaginem, ita nos gestaturos cœlestis. At constat, nos esse, & fuisse homines reipsa, & non significatione formæ: & participes futuros pro mensura graduum, gloriæ & imaginis CHRISTI. Ergo, & hic ita credendum: hunc Pauli locum euidentissime demonstrare veram CHRISTI diuinitatem & humanitatem.

c.2.v.10 Item in nomine IESV ait cœlestia, & terrestria, & subterranea genua flectere, i.e. subiecta esse, omnemq; linguam confiteri, eum esse IESVM CHRI-

c.3.v.3 STVM ad gloriam DEI Patris. Item; nos, qui Spiritu seruimus DEO, gloriari

in

in CHRISTO IESV. At vbiq; Prophetæ, & Apoſtoli clamant, in ſolo DEO
gloriandum. Ergo CHRISTVS eſt verus DEVS.
Item nos SERVATOREM Dominum noſtrum IESVM CHRISTVM ex- v.20.
pectare è cœlis: qui tranſfigurabit corpus noſtrum humile: vt conforme ſit v.21.
corpori ſuo glorioſo: id quod ſolius veri DEI eſt opus.
Spiritum ſanctum optat Philippenſibus: vt in vno hoc perſtent, inceden- c.1.v.27.
tes; vt dignum eſt euangelio CHRISTI.
De vera eccleſia, DEVM, qui cœpit in ea opus bonum, in CHRISTO pera- c.1.v.6
cturum; vſq; ad diem Domini noſtri IESV CHRISTI, ait: & huic eccleſiæ
CHRISTVM in vita, & in morte eſſe lucrum. v.21
Hanc non terreri aduerſariis: quia ei in CHRISTI negocio datum ſit, v.28. & 29
non modo credere in CHRISTVM, ſed etiam pro eo pati. Hanc eccleſiam c.3.v.3
in Spiritu ſeruire, & gloriari in CHRISTO IESV; nec confidere in car-
ne: quinimo omnia pro ſtercoribus reputare: vt ſolum CHRISTVM lu- v.8
crifaciat: non inniti ſuæ iuſtitiæ; ſed ei, quæ eſt per fidem Domini noſtri IE- v.14
SV CHRISTI: tendere ad ſcopum ſupernæ vocationis, quæ eſt in CHRI-
STO IESV.
Huius eccleſiæ, & electorum eius nomina ſcripta eſſe in LIBRO c.4.v.3
VITÆ: vbi Apoſtolus ad electionem, & prædeſtinationem in CHRI-
STO noſtram reſpicit.
Hanc pace DEI regi, quæ omnem captum humanum ſuperat: hanc o-
mnia in CHRISTO poſſe, qui eam roborat, ſubiungit. v.7
Degeneres ſeu pſeudo-apoſtolos ita deſcribit: quod CHRISTVM impure c.1.v.15. &
per inuidiam, & contentionem doceant: modo afflictionem fidelibus 16
CHRISTI addant. Itaque cauendos monet tanquam canes, & malos ope- c.2.v.2. & 18. & 19
rarios, & hoſtes crucis CHRISTI: Quorum finis eſt exitium, quorum DE-
VS venter eſt, & gloria cum confuſione eorum, qui terreſtria curant.

Ethica Chriſtiana.

Qui CHRISTI fideles ſunt; eis CHRISTVM in vita, & morte eſſe lucrũ c.1.v.21
docet: & hos præeminentia cognitionis CHRISTI IESV omnia pro ſterco c.3.v.8
ribus reputare: vt CHRISTVM lucrifaciant.
Relinquenda ergo, quæ à tergo ſunt, & contendendum ad ea, quæ
à fronte ſunt, ſcopum verſus, ad βραβεῖον ſupernæ vocationis, quæ eſt in v.14
CHRISTO IESV, & ad πολίτευμα cœleſte. v.20
Quare gaudendum ſemper in CHRISTO: moderatio ſeruanda, ſo- c.4.v.4. & 5
licitudines inordinatæ fugiendæ: cogitanda, & agenda, quæ veneranda, v.6 v.8
pura, amabilia, quæ boni nominis ſint; ſi quæ virtus, ſi quæ laus in
DEO.

v.7. Pax Dei, quæ superat omnem intellectum humanum, præsidio futura est cordibus & mentibus eorum in Christo iesv.

EX EPISTOLA AD COLOSSENSES.

De Christo vero, & vnico cum patre & Spiritu sancto Deo.

c.1.v.1. v.2. Apostolum, ait Paulus, se esse iesv Christi: & gratiam atq; pacem à Deo Patre, & Domino nostro iesv Christo, precatur.

v.3.&7. Gaudet de eorum fide in Christvm Iesvm; Epaphram vocat fidum
v.14. Christi ministrum.

v.15. Credentes in Christvm habere remissionem peccatorum docet, per
redemtionem factam in sanguine eius: qui est Imago Dei inconspicui, &
v.16. v.17.&18. Primogenitvs omnis rei creatæ: per quem condita sunt omnia, quæ in
c.2.v.3. cœlis sunt, & in terra, visibilia, & inuisibilia: & qui est ante Omnia, &
v.9. est caput corporis ecclesiæ suæ: in quo omnes thesauri cognitionis, & sapi-
c.3.v.3. entiæ absconditi sunt: In quo habitat Omnis Plenitvdo Deitatis
σωματικῶς i.e. corporaliter: Est vita nostra: cũ quo vita nostra est abscondita.

Atque hic Apostolus Christvm ideo nominat εἰκόνα Imaginem Dei:
v.16. quia in eo Devs Pater nobis sese vere conspicuum præbet: cum sit Devs
Ioh. 14.'9. manifestatus in carne 1. Tim. 3. & vt ipse Christvs ait, Philippe, qui vi-
10. c.10 29. det me, videt & Patrem: ego sum in Patre, & Pater in me: ego & Pater vnum
sumus.

Πρωτότοκον primogenitum quoq; nominat: vt æternam eius generationem, carentem omni principio, adserat, discernendo generationem à creatione: dum mox addit: Christvm esse ante Omnia, id est Ens entium, causam
Exod.3v.14 causarum, quod est vnius veri Dei proprium: qui ad Moysen dixit Ehei e,
Es.c.42.v.35 Svm, Qvi Svm; & per Esaiam: non fuit ante me Devs, nec erit post me. Item
Ierem.c.10. v.11. dii, qui non fecerunt cœlum, & terram, pereant.

Cũ ergo per Christvm omnia condita sint: Christvs est verus Devs.

c.1 v.12. Veram ecclesiam ita describit; Quod eam Devs idoneam fecit, ad parti-
v.13. v.14. cipandam sortem sanctorum in luce, erepta illa è potestate tenebrarum, &
v.18. translata in regnum filii sui dilecti: in quo habet redemtionem, & remissionem peccatorum: & quod eius caput sit Christvs: Quod Devs mortuos
c.2.v.13. peccatis viuificauit, condonatis per Christvm Omnibvs peccatis: qui
v.14. deleto, & adfixo cruci rituum chirographo, & triumphum super his egit in
v.15. cruce, & donauit ecclesiam suam πληροφορίᾳ & omni opulentia certo persuasæ
v.2. v.3.&7. intelligentiæ mysterii Dei: ac Patris, & Christi: in quo radicata, & superstructa est, & confirmata in fide.

Degenerem ecclesiam arguit, quod pseudo-apostoli deprædentur eam falso de CHRISTO ratiocinando ἐν πιθανολογίᾳ, in sermonis probabilitate c.2.v.4
per Philosophiam, & inanem deceptionem secundum traditionem ho- v.8
minum, secundum elementa mundi, & non secundum CHRISTI verbum, & euangelium prædicatum.

Addit insuper, quod vmbras legis sectentur: superstitiosi sint in cibis, & c.2.v.16.& 17.& 18.20.
hypocritæ: dum simulata demissione animi, & cultu angelorum, temere 21.22
turgent carnis sensu, dicentes; ne attigeris neq; gustaris, neq; contrectaris: quæ omnia ipso vsu pereunt, præscripta, & mandatis, & doctrinis hominum.
Quæ rationem quidem habeant sapientiæ in cultu voluntario, & summis- 23
sione animi in eo, quod corpori non parcant; sed nullius sint precii: cum ad ea spectent, quibus farcitur caro.

Ethica Christiana.

In CHRISTO omnes thesauri cognitionis, & sapientiæ absconditi: vita c.2.v.3
nostra nunc cum CHRISTO abscondita. Vetus homo exuendus, & nouus c.3.v.3
induendus. v.9.& 10

Electos DEI decere, indutos esse visceribus miserationum, benignitatis, v.12
modestiæ, mansuetudinis, lenitatis, & charitatis: quæ est vinculum perfe- v.14
ctionis: quibus virtutibus pax DEI cordibus nostris imperabit. v.15

Sermo CHRISTI docendus: cantandi psalmi, & hymni. Omnia in no- v.16.& 17
mine CHRISTI agenda, cum gratiarum actione.

Vxores viris sint subiectæ, viri diligant vxores. Filii obediant parentibus: v.18.19.20.21
parentes patet ne eos tractent.

Serui ne sint ὀφθαλμόδουλοι ad oculum seruientes, sed vt CHRISTO serui- v.22
entes. Domini sciant, se quoq; Dominum in cœlis habere c.4.v.1.

Sapienter nos geramus erga extraneos. Omnis sermo sit cum gratia salis v.5.& 6
conditus.

EX PRIMA EPISTOLA AD THESSALONICENSES.

DE CHRISTO, cum Patre, & Spiritu sancto vero, & vnico DEO.

PRecatur gratiam, & pacem à DEO Patre, & Domino nostro IESV CHRI- c.1.v.1
STO ecclesiæ Thessalonicensi: quæ est in DEO Patre, & Domino nostro
IESV CHRISTO; & quæ habet spem in CHRISTO IESV, qui eam eruit v.10.
ab illa ira ventura.

c.3.v.11. Item precatur S. Paulus: vt DEVS, & Pater noster, & Dominus noster
IESVS CHRISTVS dirigant viam eius ad Thessalonicenses.

c.1.v.5. *De Spiritu sancto* inquit, quod Euangelium suum non constiterit apud
Thessalonicenses in locutione duntaxat; sed etiam virtute, & Spiritu sancto:
v.6. quodq; Thessalonicenses receperint quidem euangelium cum afflictione
multa; sed cum gaudio Spiritus sancti.

c.1.v.3. Veram ecclesiam laudat, cuius efficax est fides, laboriosa charitas, patien-
v.4. tia in cruce, tolerans spes in CHRISTO IESV Domino nostro. Adeo, vt inde
certo sciat; eos quibus prædicarit esse electos ad salutem: qui erunt gau-
c.2.v.19,20 dium, & corona S. Pauli: de quibus gloriabitur in conspectu Domini nostri
c.2 v.1 IESV CHRISTI: quod non frustra in prædicando eis euangelio laborarit,
v.6 & 9. nec eis oneri fuerit: quinimo ne quidem eos grauarit: quod nocte, dieque
v.6 operando manibus victum quæsierit: licet tanquam Apostolus CHRISTI, vt
ab illis sustentaretur, suo iure requirere potuisset. Vltimo, solatur eos in cru-
c.2.v.3 & 13 ce: eo, quod ita DEO visum sit, eos hic exerceri vsque ad vltimum CHRISTI
c.4.v.13. & seq. aduentum, quem graphice describit, vt & mortuorum resurrectionem.

c.2.v.14.15. *Degenerem ecclesiam* arguit: quod neque sibi, neq; aliis euangelium CHRI-
16 STI prædicari patiatur: vt compleant peccata sua ciues eius: quia ira DEI
eos ad extremum vsque occupauit.

Ethicæ Christianæ præcepta hæc sunt.

c.4.v.1. Digne incedendum iis; qui ad CHRISTI regnum vocati sunt, crucem
c.3 tolerandam, ob spem vitæ æternæ.

c.4.v.3.4 Scortatio fugienda: vt vnusquisque vas suum possideat in sanctificatione
& honore.

v.6.11 In negotiationibus non opprimendus frater. Quiete viuendum, res pro-
v.12. priæ agendæ, laborandum manibus. Coram extraneis honeste ambulan-
dum.

.4 v.5.&6 Fideles CHRISTI esse filios lucis: itaque eis non dormiendum, sed vigi-
landum, & pro viribus enitendum.

v.10 Siquidem CHRISTVS mortuus est pro nobis: vt siue vigilemus, siue dor-
miamus, simul cum CHRISTO viuamus.

v.9 Credentes in CHRISTVM non sunt constituti ad iram, sed ad obtinen-
dam salutem.

v.12 & 13. Pastores fideles amandi, & alendi. Inordinati monendi, pusillanimes
14 consolandi, infirmi subleuandi.

v.15.16.17. Non reddendum malum pro malo. Semper gaudendum, indesinenter
18 orandum, & in omnibus gratiæ agendæ DEO per Dominum nostrum IE-
SVM CHRISTVM.

Omnia

Omnia exploranda, & quod bonum retinendum. Ab omni ſpecie mali v.21 22
abſtinendum.

EX SECVNDA EPISTOLA AD THESSALONICENSES.

DE CHRISTO, vero, & vnico cum Patre, & Spiritu ſancto DEO.

PRecatur gratiam, & pacem à DEO Patre, & Domino noſtro IESV CHRISTO c.1.v.1
eccleſiæ Theſſalonicenſi, quæ eſt in DEO Patre, & Domino noſtro v.1
IESV CHRISTO: & concludit hanc epiſtolam ita; Gratia Domini noſtri c.3.v.18
IESV CHRISTI ſit cum omnibus nobis.

Veram Eccleſiam laudat: quod fides eius augeatur, & abundet charitas: c.1.v.3
quod ſit in perſecutionibus patiens, quæ eſt demonſtratio iuſti DEI iudicii, v.4 v.5
vt digni habeantur regno DEI: cum glorificabitur in ſanctis ſuis, & admirandus v.10
fiet in omnibus credentibus Euangelio CHRISTI à S. Paulo prædicato. Deinde ſummopere eos monet; imo verbis CHRISTI præcipit: ne c.2.v.2. & ſeqq.
credant Antichriſtum venturum, prius quam fiat ab euangelio CHRISTI ἀποςασία, & ἄνομος ille Anti-chriſtus reueletur. Illos autem gratias agere debere v.13
DEO: quos DEVS ſibi in CHRISTO elegerit ab initio ad ſalutem per ſanctificationem, & fidem habitam veritati: Cumq; ſit fidelis DEVS; tutos c.3.v.3
quoque eos futuros ab illo malo.

Antichriſtum prædicit, & nominat eum ἄνομον, i.e. exlegem, & legi DEI cap.2.v.8.9. & 10.
contrarium: vt qui ſpreto, & conculcato DEI verbo, ſuas leges ſit laturus:
& ſeſſurus in templo DEI, efferens ſeſe aduerſus quicquid dicetur DEVS, & v.4
numen: præ ſe ferens ſe eſſe DEVM, id eſt, ATHEVS erit. Vlterius adfert v.ſeqq.
interpretationem, quis ille ſit, qui in templo DEI ſedebit, & ſeſe ſupra
DEVM extollet. Vide eas epiſtolas, quas Gregorius Magnus ad Ioannem
Patriarcham Conſtantinopolitanum ſcripſit. Atque myſterium huius ἀνομίας v.6.& 7
iam peragi ait Apoſtolus, detegendum ſuo tempore: cum is, qui nunc
obſtat, è medio ſublatus fuerit. Quale autem fuerit illud obſtaculum lector
conſulat Tertullianum de reſurrectione carnis, & Chryſoſtomum ac Hieronymum
ad Gerontiam, & Algaſiam.

Doctrina eius erit cum omni fraude iniuſtitiæ: Efficacia eius erit ex Sa- v.10.
thana cum ſignis, & prodigiis mendacibus in iis, qui pereunt. Amore enim v.9
veritatis ab illis non recepto, mittet eis DEVS efficaciam deceptionis; vt credant v.11
mendacio & condemnentur.

v.8. Clades eius erit: quod conficietur ſpiritu oris Domini, nempe per euangelium prædicatum. Interitus totalis eius erit: quod abolebitur demum ſub
ibid. illuſtri aduentu Domini noſtri IESV CHRISTI.

Ethica Chriſtiana.

c.3.v.2. Fides non omnium hominum eſt.
v.6. Subducamus nos ab inordinatis fratribus: nec tamen illos habeamus
v.15. pro inimicis; ſed officii admoneamus: qui non viuunt ſecundum euangelium CHRISTI.
v.10. Otia fugienda: & qui non laborat, non edat quoq;.

EX EPISTOLA AD TIMOTHEVM EPHESINVM EPISCOPVM.

De Chriſto vero, & vnico cum Patre, & Spiritu Sancto DEO.

c.1.v.1. AIt Paulus, ſe apoſtolum eſſe ex ordinatione DEI ſeruatoris, & Domini IESV CHRISTI, SPEI noſtræ: & precatur Timotheo gratiam, miſeri-
v.2 cordiam, & pacem à DEO Patre noſtro, & Domino IESV CHRISTO: cui gra-
v.12. tias agit; quod eum robuſtum fecerit, & fidum duxerit ad prædicandum eu-
v.13 angelium ſuum: & eius ſit miſertus, qui ex ignorantia oppugnabat illud; demonſtrato in ſe exemplo omnibus credituris ad vitam æternam: quod
v.16. CHRISTVS venerit ad ſeruandos peccatores: & hunc SESE IPSVM dediſſe
v.15. ἀντίλυτρον precium redemptionis pro OMNIBVS credituris in ſe. Teſtatur
c.2.v.6 quod vnus ſit DEVS, vnus etiam MEDIATOR DEI, & hominum, homo
v.5. CHRISTVS IESVS: nempe VERBVM caro factum, & DEVS in carne manifeſtatus: vti ſtatim paulo inferius ipſemet Apoſtolus interpretatur, & diſerte
c.3.v.16 affirmat: quod ſit CHRISTVS ille DEVS manifeſtatus in carne, iuſtificatus in Spiritu: quod ſit conſpectus ab angelis, prædicatus gentibus, fides illi habita in mundo, & ſurſum receptus in gloriam. Niſi enim verus DEVS, & verus homo eſſet, non poſſet fungi inter DEVM, & homines mediatoris officio. Quare opus fuit Apoſtolo, vt hæc omnibus diligenter inculcaret. Sic ad Ro-
c.9.v.5. manos ait: CHRISTVM, quod ad carnem attinet, eſſe ex ſemine Abrahæ, quod vero ad diuinitatem, eſſe benedictum DEVM in ſecula.
c.4.v.1 De Spiritu ſancto inquit: quod expreſſe prædixerit, apoſtatas à fide per euangelium prædicata: & doctores ſecuturos doctrinas dæmoniorum.
c.1. v.18.19. *Veris eccleſiæ* CHRISTI miniſtris hæc præcepta præſcribit Apoſtolus: vt militent bonam militiam, retinentes fidem, & bonam conſcientiam. Vt

pro omnibus preces sanctas fundant, & pro regibus, eo, quod sit DEVS o- c.2.v.1.2.3
mnium vocationum DEVS.

Episcopus, vt sit vnius vxoris vir, vigilans, temperans, hospitalis, aptus ad cap.3.v.1.& seqq.
docendum, non vinosus, non percussor, non auarus; qui domui suæ & liberis bene præsit: non nouitius, habens bonum testimonium etiam ab extraneis.

Diaconi tales quoq; vt sint: & vt primo probentur, ac tum demum mini- v.8.9.10
strent, accepta per fidem in Christum Iesum παῤῥησία, & libertate, libere ver- v.13
bum DEI loquendi in Ecclesia Christi: quæ est Ecclesia DEI viui, columna, v.15
& stabilimentum veritatis.

Cæterum res profanas, & inutiles monet reiiciendas: Palam peccantes c.4.v.6
palam esse arguendos: Manus in ordinandis ministris non cito cuiuis impo- c.5.v.20.22
nendas.

Pseudoministros, & eorum asseclas ita describit: quod attendant fabu- c.1.v.4.5
lis, & genealogiis infinitis: quæ potius curiosas quæstiones præbeant, quam
ad ædificationem per fidem conferant: Quod non seruata charitate ex pu- v.5.6
ro corde, & conscientia bona, & fide non ficta aberrarunt à scopo, & diuer-
terunt ad ματαιολογίαν, id est vaniloquentiam, & fecerunt fidei naufragium: 19
Quod volentes esse Legis doctores nõ intelligunt, quæ loquuntur, quæq; as- v.7
seuerant.

Ostendit Spiritum sanctum diserte prædixisse: tales apostatas po- c.4.v.1
stremis temporibus futuros: & secuturos spiritus deceptores, & doctrinas v.3 v.2
Dæmonum, prohibentium contrahere matrimonia, & vescicibis: cum tamen hæc, redarguente illos propria eorum conscientia veluti cauterio aliquo in illis ipsis notata, per hypocrisin ψευδολογίας, falsę persuasionis, loquan-
tur, & aliis persuadere conentur: id est, qui neque obseruent ipsimet, neque v.8
peccata esse credant: vnde corporalia quædam exercitia, quæ parum vtili-
tatis habent, sequantur. Docent iidem diuersam doctrinam: neque acce- c.6.v.2
dunt sanis sermonibus Domini nostri IESV CHRISTI, & ei, quæ est secun-
dum pietatem, doctrinæ. v.4

Turgent nihil scientes: sed insanientes circa quæstiones, & λογομαχίας id
est verborum pugnas; ex quibus nascitur inuidia, lis, maledicentiæ, suspicio- v.5
nes malæ: & παραδιατριβαί, id est peruersæ exercitationes hominum mente
corruptorum; & priuati sunt veritate, & quæstui habent pietatem: & sectan- v.20
tur τὰς βεβήλους κενοφωνίας καὶ ἀντιθέσεις τῆς ψευδωνύμου γνώσεως, id est profanos illos, de rebus inanibus clamores, & oppositiones, falso nominatæ scientiæ. Ab his ergo recedendum.

Ethica Christiana.

Docet hæc, finem mandati in decalago seruando, esse, vt qui fidelis est c.1.v.5

Christo, habeat ad obediendum DEO, & eius mandatis charitatem ex pu-
v.9 ro corde, conscientia bona, & fide non ficta: & tales à lege non condemna-
v.18.19 c.2 ri. Præcipit vt miles CHRISTI militet bonam militiam retinens fidem,
v.9.11 & bonam conscientiam. Vt mulieres amictu honesto vtantur: cum silen-
v.12.ca.5.v.14 tio domi discant, maritis pareant, liberos educent, iuuenes viduæ nubant.
v.10 Palam peccantes, palam arguantur.
c.6.1.2 Serui dominis pareant, nec despiciant eos, quod fratres eorum in CHRI-
STO, sunt: sed eo ardentius illis inseruiant.
v.6 Docet quæstum magnum esse, pietatem μεθ' αὐταρκείας, id est, cum animo
v.10.& 9 sua sorte contento: Radicem vero omnium malorum esse φιλαργυρίαν, id est
amorem pecuniæ: quam quidam dum appetunt, incidunt in tentationes &
laqueos, cupiditates multas & damnosas, quæ demergunt homines in exi-
tium; & faciunt aberrare à fide.
v.17.& 7 v.18.& 9 Diuites ergo monet ne spem ponant in diuitiis, sed in DEO viuo: quia e-
nim nihil intulimus in mundum: nihil etiam inde auferemus. Quare aliis
benefaciant; & sint diuites bonis operibus: facilis eorum sit conuictus; re-
v.19 condant sibi fundamentum bonum in posterum, vt æternam vitam appre-
hendant.

EX SECVNDA EPISTOLA AD TIMOTHEVM.

De Christo, vero, & vnico cum Patre, & Spiritu Sancto, DEO.

c.1.v.1 NOminat se Apostolum secundum promissionem vitę, quæ est in CHRI-
v.2 STO IESV Domino nostro: & precatur gratiam, misericordiam & pa-
v.9 cem à DEO Patre, & CHRISTO IESV Domino nostro: in quo nobis gra-
v.10 tia facta est ante tempora seculorum: sed patefacta nunc per illustrem eius
in carne aduentum; qui IESVS CHRISTVS seruator noster exi-
stens, mortem aboleuit, atque immortalitatem in lucem produxit per eu-
angelium.
c.2.v.8.& 10. Eundem docet natum ex semine Dauid, & resurrexisse è mortuis: vt
ELECTI IN EO consequantur salutem cum gloria æterna. Cum quo,
v.11 inquit, si moriemur, etiam viuemus; si tolerantes fuerimus, cum eo re-
v.12 gnabimus. Si abnegabimus illum; & ille nos abnegabit. Si infidi sumus,
v.13 ille tamen fidus manet: & negare se ipsum non potest. Abscedat vero o-
v.19 mnis ab iniustitia, qui inuocat NOMEN CHRISTI; & secte-
v.22 tur iustitiam, fidem, charitatem, pacem cum iis, qui INVOCANT
CHRI-

CHRISTVM ex puro corde. In conclusione Epistolæ precatur c.4.v.22.
Timotheo; vt Dominus IESVS CHRISTVS sit cum Timotheo.

De Spiritu sancto.

Testatur Spiritum sanctum in credentibus, & fidelibus CHRISTI, c.1.v.7.
non esse Spiritum timiditatis, sed roboris, & charitatis & σωφρονισμῦ,
id est, sanitatis animi. Quare depositum hoc præclarum seruandum; quod v.14.
datum est nobis per Spiritum sanctum, qui inhabitat in nobis.

Veri pastoris descriptio.

Verum CHRISTI pastorem in Timotheo ita describit: Ne pudeat e- v.8.
um testimonii Domini nostri IESV CHRISTI: habeat ὑποτύπωσιν, ex v.13.
pressamque formam sanorum verborum: & committat eam idoneis ad do-
cendos alios, hominibus. Idem sit tolerans laborum vti bonus miles IESV c.2.v.2.
CHRISTI. v.3.

Ne se implicet huius vitæ negotiis, vt placeat ei, à quo delectus est. Legi- v.4.
time certet si coronari cupit. Imitetur agricolas, quos oportet prius labora- v.5.& 6.
re quam fructus percipiāt. Se ipsum porro probatum sistat DEO operariū; v.15.
qui non erubescat, & qui recte sermonem veritatis secet. Τὰς δὲ βεβήλους κενο-
φωνίας, profanos de rebus inanibus clamores cohibeat, memor istius: soli- v.16.
dum DEI illud fundamētum stare; NOVIT DOMINVS, QVI SINT SVI, v.19.
τὰς νεωτερικὰς ἐπιθυμίας, id est, iuueniles cupiditates fugiendas, & μωρὰς καὶ ἀ- v.22.
παιδεύτους ζητήσεις id est, stultas & dissolutas quæstiones reiiciendas esse noue- v.23.
rit.

Item, Seruus DOMINI ne sit pugnax, sed placidus erga omnes, v.24.
aptus ad docendum, tolerans malos: cum lenitate erudiens eos, qui v.25.
aduerso animo sunt adfecti: periculumque faciat, num aliquando da-
turus sit eis DEVS resipiscentiam ad agnitionem veritatis, quo sanitate men- v.26.
tis recepta euadant ex laqueo diaboli: à quo captiui ad eius libitum detine-
bantur.

Seruus DEI sit quoque in cruce tolerans: quia omnes, qui volunt pie in c.3.v.11.12.
CHRISTO viuere, persecutionem patientur.

Literis sacris, quas à puero didicit, adhæreat; quæ eum sapientem redde- v.15.
re possunt, AD SALVTEM PER FIDEM, quæ est in CHRISTO IE- v.16.
SV. Quia tota sacra scriptura est diuinitus inspirata, & vtilis ad

doctrinam,ad redargutionem, ad correctionem, institutionem, quæ est in
v.17 iustitia: vt PERFECTVS DEI homo sit ad omne opus bonum perfecte instructus.

c.4.v.2 Monet prædicandum sermonem DEI siue fiat εὐκαίρως siue ἀκαίρως, tem-
v.5 pestiue, intempestiue. Et vigilandum semper; certandum bonum ἀγῶνα, id
v.7 est, certamen, cursum consummandũ, fidem conseruandã; atq; ita CORO-
v.8 NAM IVSTITIÆ expectandam; quam Christus daturus est omnibus
c.3.v.1.2 expectantibus illustrẽ eius aduẽtum. ¶ Pseudoministros, & apostatas præ-
c.2.v.3 dicit venturos, & tum ipsos tum eorum sequaces ita describit. Quod si infidi
v.14 sunt quidam; DEVS tamen fidus manebit: se ipsum negare non potest. Et ta-
les plerumq; λογομαχεῖν εἰς οὐδὲν χρήσιμον pugnare de verbis, quæ nullã adferunt
v.16 vtilitatem, sed euersionem auditoribus: Et has βεβήλους κενοφωνίας ad maio-
v.17 rem procedere impietatem: quæ sermonem eorum depascit vti gangræna:
v.20 ex quibus fuit Hymeneus & Philetus. Nec mirum; quia in domo magna
v.23 sunt vasa non modo ad decus, sed etiam ad dedecus: & ab his prodire μωρὰς
καὶ ἀπαιδεύτους ζητήσεις καὶ μάχας, certum est.

c.3.v.2 Eosdem, ait, esse homines sui amantes, auaros, iactabundos, superbos,
v.3 maledicos, profanos, charitatis expertes, nescios fœderis, calumniatores,
v.4 intemperantes, minime amantes bonorum, proditores, præcipites, inflatos,
v.5 voluptatum magis quam DEI amantes: habentes μόρφωσιν εὐσεβείας formam
pietatis, sed δύναμιν ac vim eius abnegantes: SEMPER DISCENTES, SED
v.7 NVNQVAM AD COGNITIONEM VERITATIS PERVENIEN-
v.8 TES. Quia discunt, vt resistant veritati, sicuti Iannes, & Iambres Moysi
homines mente corrupti, & reiectanei circa fidem: quorum amentia eui-
c.4.v.3 dens erit omnibus. Quos sequentur ii, qui SANAM doctrinam tolerare vo-
lunt, sed κατὰ τὰς ἐπιθυμίας ἰδίας, id est secundum peculiares suas cupiditates coa-
ceruabunt sibi doctores: & auertent aures ἐπὶ τοὺς μύθους, id est, ad Fabulas.

Ethica christiana in vero Pastore iam est descripta, & tradita.

EX EPISTOLA AD TITVM EPISCOPVM CRETENSIVM.

De Christo vero, & vnico cum Patre & Spiritu sancto Deo.

c.1.v.1 NOminat se seruum DEI, & Apostolum IESV CHRISTI, & precatur Ti-
v.4 to gratiam, misericordiam, & pacem à DEO Patre, & Domino nostro
c.2.v.11 IESV CHRISTO, SERVATORE NOSTRO: cuius gratia salutifera
v.13 illuxit omnibus credentibus in EVM: qui illustrem aduentum gloriæ magni

illius DEI, ac Seruatoris nostri IESV CHRISTI, expectamus. Qui dedit se- v.14.
metipsum pro nobis, vt nos redimeret ab OMNI INIQVITATE, & purifica-
ret sibi populum studiosum bonorum operum. Qui Spiritum sanctum co- c.3.v.5.6.7.
piose effudit super eos, quos suâ misericordiâ per suam iustitiam seruauit,
per lauacrum regenerationis: vt iustificati illius gratiâ heredes efficeremur,
secundum spem vitæ æternæ.

Spiritus sancti ita meminit; Quod effusus sit copiose per IESVM CHRI- c.3.v.5.& 6.
STVM SERVATOREM nostrum super nos: idq; per lauacrum regenerationis,
& renouationis.

Verum pastorem, & fidem fidelium in CHRISTO ita describit, & instruit. c.1.v.1.
Habeant illi, inquit, fidem Electorum DEI, & agnitionem veritatis secun-
dum pietatem, ad spem vitæ æternæ, quam promisit ἀψευδὴς θεὸς, DEVS ille v.2.
mentiri nescius, ante tempora secularia patefecit autem suis temporibus, vi-
delicet per euangelium à Paulo prædicatum.

Constituendos oppidatim Presbyteros monet. Episcopum oportere v.5.6.
esse inculpatum ait ὡς θεοῦ οἰκόνομον, vti dispensatorem DEI, non sibi placen- 7.
tem, non iracundum, non vinosum, non percussorem, non turpem quæstũ v.8.
facientem: sed hospitalem, bonorum amantem, temperantem, iustum, piũ,
continentem, tenacem fidelis CHRISTI sermonis, qui ad doctrinam facit:
vt possit, & exhortari doctrina SANA, & contradicentes conuincere, & os v.9.
obturare refractariis, & qui sunt ματαιολόγοι vaniloqui, & φρεναπάται id est, v.10.
mentium deceptores.

Sermonem sanum λόγον ὑγιῆ docendum; erudiendos senes, anus, ado- v.9.& c.2.
lescentulas, seruos. Quia illuxit, inquit, gratia illa DEI σωτήριος salutifera, vel v.1.2.3.4.5.6.
vt alii habẽt, σωτῆρος Seruatoris DEI, erudiẽs nos; vt abnegata impietate, & c.2.v.11.12.
mundanis cupiditatibus, sapiẽter & iuste, pieque viuamus in præsenti secu-
lo: expectantes beatam illam spem, & illustrem illum aduentum gloriæ ma- v.13.
gni illius DEI ac SERVATORIS nostri IESV CHRISTI: qui semetipsum pro v.14.
nobis dedit, vt redimeret nos ab omni iniquitate, & purificaret sibi popu-
lum peculiarem, studiosum bonorum operum. Qui eramus quondam a- c.3.v.3.
mentes, rebelles, errantes, seruientes cupiditatibus variis, odiosi. Sed post-
quam bonitas, & φιλανθρωπία SERVATORIS nostri DEI apparuit, non ex o-
peribus iustis, quæ fecerimus nos, sed ex sua misericordia seruauit nos per v.4. v.5.
lauacrum regenerationis, & renouationis Spiritus sancti, quem effudit su- 6.7.
per nos copiose per IESVM CHRISTVM SERVATOREM nostrum: vt iusti-
ficati illius gratia hæredes efficeremur secundum spem vitæ æternæ.

Pseudoministros, & eorum sequaces, ita describit; quod sint refracta- c.1.v.10.
rii, ματαιολόγοι & φρεναπάται, id est, mentium deceptores; docentes turpis lu- & 11.
cri causa, attendentes ad Iudaicas fabulas, & mandata hominum, auersan- v.14. 15.
tes veritatem, delectu in cibis habito: cum tamen omnia pura sint puris;

pollutis autem,& incredulis nihil ſit purum,ſed polluta mens, & conſcien-
16 tia. DEVM ſe profitentur ſcire,ſed factis negant: cum ſint abominandi, & re-
c.3. v.9. belles,& ad omne opus bonum ἀδόκιμοι reiectanei. Sequuntur μωρὰς ζητήσεις
v.10. ſtultas quæſtiones,& genealogias,contentiones, & μάχας νομικάς. Tales hæ-
reticos poſt vnam, & alteram commonefactionem reiiciendos eſſe
ſuadet.

EX EPISTOLA AD PHILEMONEM.

DE CHRISTO vero, & vnico cum Patre, & Spiritu ſancto DEO.

v.3 PRecatur gratiam,& pacem à DEO,Patre noſtro,& Domino IESV CHRI-
v.4. & 5 STO. Et gratias agit DEO pro fide Philemonis; quam habet erga Do-
6 minum IESVM,& pro agnitione omnis boni, quod eſt in nobis per CHRI-
STVM IESVM.

Reliqua ſpectant ad interceſſionem pro Oneſimo: adeo, vt hæc inter-
ceſſio,vbique verum Apoſtolum CHRISTI, cuius calamum Spiritus San-
ctus rexerat,demonſtret.

EX EPISTOLA AD HEBRÆOS.

CHRISTVS verus, & vnicus cum Patre, & Spiritu Sancto DEVS.

c.1. v.1. & 2 DEVS,qui antea in veteri teſtamento per Prophetas loquebatur, iam lo-
v.3 cutus eſt in FILIO, per quem mundum condidit, qui eſt ἀπαύγασμα τῆς
δόξης καὶ χαρακτὴρ τῆς ὑποστάσεως αὐτοῦ, id eſt, effulgeſcentia gloriæ, & character
perſonæ eius. Vbi Filius DEI (vti doctiſſimus interpres habet) non in ſua
diuinitate ſola, ſed vti Theanthropos, DEVS in carne reuelatus deſcribitur:
& CHARACTER ideo dicitur; vt ab omni adumbrata vel etiam inani ima-
gine diſtinguatur: alias ſi CHRISTVM in ſua diuinitate, & οὐσίᾳ, & mutua
trium perſonarum relatione altius, quam reuelatum verbum ferat,con-
templaremur,abſorberemur. Contenti ergo ſimus tali contemplatione, &
ei fidem adhibeamus moti teſtimonio ipſius CHRISTI, dicentis ad
Ioh.14. v.9 Philippum, Philippe, qui videt me, videt Patrem: Et vbi CHRI-
STVS THEANTHROPOS noſtrum ſpeculum, noſtrum velum erit; in-
tuentes

tuentes in hunc oculis mentis nostræ, acquiescamus in eo: nec vltra metas nobis positas euagemur. Si enim in publicatione Legis Moysaicæ, sub pœna mortis prohibitum fuit transgredi terrestres metas: quanto magis infinitam CHRISTI, vel Patris, vel Spiritus sancti diuinitatem, absq; CHRISTO scrutaturi, absorberemur subito?

Quare tacendo potius, & quasi obstupescendo hæc in verbo DEI reuelata adoranda, & firmiter credenda esse certum est. Sed accedo ad textum.

Nominat Apostolus CHRISTVM πρωτότοκον, de quo supra iam dictum c.1.v.6
ad Coloss. Item CHRISTVM docet non esse angelum; sed angelos esse eius ad Coloss. c.1.v.15
ministros; esse DEVM, cuius thronus est in seculum seculi: CHRISTVM c.1.v.7.8
ideo factum hominem; vt per mortem suam aboleret eum, qui habet mor- c.2.v.14
tis imperium, id est, Diabolum: & assumsisse non angelorum sed Abrahæ se- v.16
men: Tentatum in omnibus, absque tamen peccato, vt nobis peccatoribus v.18 & c.4.v.15
posset succurrere: tentatum à Patribus in deserto: Eius typum Iosue, & Mel- c.3.v.9
chisedech fuisse ita, vt hunc ducem æternum, hunc Pontificem sequi, & c.4.v.8 & c.5.v.10
thronum eius gratiæ accedere debeamus: quo ad veram quietem & veram & c.7.v.16
terram promissam, & cœlestem Hierosolymam ab eo introducamur. Hunc 17 c.4.v.11. &
CHRISTVM sponsorem nostrum factum; qui perfectè, εἰς τὸ παντελὲς, serua- 16. & c.12
re possit omnes, qui per ipsum accedunt ad DEVM. Esse Mediatorem noui v.19.22.23 c.7.v.22
fœderis, in quo redemti sumus. Esse fidei nostræ ducem: cuius regnum est v.25
æternum, & ipsum esse æternum regem vt qui heri, & hodie idem sit, & in se- c.9.v.15 &
cula. Esse magnum illum ouium pastorem: idq; iuxta æternum fœdus per san c.12.v.24 c.12.v.2
guinem suum. & 28

De Spiritu Sancto. c.13.v.8 v.20

Docet Euangelium CHRISTI comprobatum esse Spiritus sancti virtu- c.2.v.4
tibus, & distributionibus: atque hunc Spiritum sanctum vocare, & adhor- c.3.v.7
tari fideles CHRISTI: Hodie si vocem CHRISTI audieritis, ne obturate corda vestra. Qui autem semel participes sint facti SPIRITVS SANCTI, illu- c.6.v.4
strati ab eo, gustauerintq; cœleste donum & bonum DEI verbum, & virtutes futuri seculi: si prolabantur, iterum quasi CHRISTVM crucifigendo, & ad ignominiam exponendo; illos impossibile esse renouari, & ad resipiscentiam perduci. Hunc Spiritum sanctum, durante veteri tabernaculo, decla- c.9.v.8
rasse, nondum patefactam fuisse viam ad verum sacrarium, nisi à CHRISTO v.12. & 24
ipso; in quod ille semel, nempe in cœlum ingressus est: & eius sanguinem, v.14
qui sese ipsum per Spiritum æternum obtulit inculpatum DEO, emundare conscientiam nostram ad seruiendum DEO: Testificari autem Spiritum san- c.10.v.14.15
ctum, quod CHRISTVS SEMEL & VNICA oblatione consecrauit in perpetuum eos, qui sanctificantur & hanc gratiam Spiritus sancti non esse con- v.29
tumelia afficiendam.

v.14. VNICO CHRISTI sacrificio, & oblatione VNICA SEMEL in cruce
peracta perfectè OMNES credentes in CHRISTVM iustificari.

Videns Sanctus Paulus Hebræos, quamuis in CHRISTVM credentes
eo prolapsos, vt existimarent, cessantibus sacrificiis, & holocaustis Moysai-
cis, tamen ipsius CHRISTI sacrificii iam in cruce peracti aliquas externas
oblationes, ablutiones, & conspersiones merito memoriæ causa seruan-
das esse: vt nimirum, sicuti legales Moysaicæ oblationes, & sacrificia erant
typi sacrificii CHRISTI, ita hæ essent ceu speculum peracti iam à CHRI-
STO sacrificii. Quare his verbis Apostolus contra eiusmodi sacrificulos
scribit. Apostatis, qui illustrati, degustatoque dono cœlesti, participes spi-
c.6.v.4. ritus sancti facti, non contenti vnico CHRISTI sacrificio SEMEL in cru-
& c.10. v. 29 ce peracto, iterum nouis à se excogitatis sacrificiis CHRISTVM, quan-
tum in se est, crucifigunt, & ignominia afficiunt, non dari donum resipi-
scentiæ. Docet porro quod lex tantum fuerit ἐπεισαγωγή, id est, introdu-
ctio melioris spei: quæ vna cum sacrificiis, & oblationibus comparente
c.7 v.19 c.8. CHRISTO æterno illo summo sacerdote, euanuit: Cui non opus est iam
c.9.v.13.14. 15 quotidie, quemadmodum Pontificibus veteris testamenti victimas pro
c.8.v.1 peccatis offerre, quod CHRISTVS fecit SEMEL, cum seipsum obtulit. Hunc
v.2 consedisse ait ad dexteram throni maiestatis DEI, veri istius tabernaculi,
v.4 c.9.v.12. & sanctuarii: quod fixit DEVS, & non homo: Ac, si esset adhuc in terra, ne
sacerdotem quidem futurum. Qui per proprium sanguinem, inquit, in-
gressus est SEMEL in sacrarium æterna redemtione nobis comparata: dum
v.14 v.15 seipsum per spiritum æternum obtulit: & factus est noui fœderis MEDIA-
TOR, intercedente morte ad REDEMTIONEM, qui vocati sunt ad ac-
cipiendam æternam hæreditatem promissam, erecto NOVO TESTAMEN-
v.16 TO, quod morte sua confirmauit: cum alias testamentum non valeat, nisi
v.24 morte confirmatum. Nec ingressus est sacrarium: in quo essent ἀντίτυπα τῶν
ἀληθινῶν, id est exemplaria sacrario respondentia; sed in cœlum. Neque vt
v.25 v 26 SÆPE OFFERAT SESE: alioquin oportuisset eum sæpe passum fuisse à con-
dito mundo. Sed nunc semel in consummatione seculorum ad pecca-
tum abolendum per immolationem sui ipsius patefactus est: & sicut statu-
tum est hominibus SEMEL mori, & postea iudicium, ita CHRISTVS SEMEL
v.27 OBLATVS est ad tollenda multorum peccata. Sed sacerdotes in lege, quæ
v.28 habuit tantum σκιὰν, id est, vmbram futurorum bonorum, & non εἰκόνα τῶν
c.10.v.1 πραγμάτων, id est, non expressam rerum imaginem, non potuit, vti CHRI-
STVS, SEMEL purgare sacrificantes: sed crebra repetitione opus habuit. At
v.10 credentes in CHRISTVM sanctificati sunt per oblationem corporis CHRI-
v.12 v.14 & 16. STI SEMEL factã: vt qui VNAM pro peccatis obtulit victimam: & VNICA ob-
v.18 latione sui-ipsius consecrauit in perpetuum eos, qui sanctificantur, condo-
v.20 natis peccatis eorum. Ac vbi horum remissio est, non est amplius opus OB-

LATIO-

LATIONE pro peccatis. Via ergo ea ad CHRISTVM eundum, quam ille mon- v.22.
ſtrauit; & quidem cum πληροφορίᾳ πίστεως, id eſt certa perſuaſione fidei, cō- v.23.
ſperſis, & purgatis cordibus à conſcientia mala, & abluto corpore aqua pura v.28
tenendo confeſſionem fidei. Quod ſi ii, qui irritam facere ſtudebant legem
Moyſis, moriebantur: quanto maiori ſupplicio digni ſunt; qui Filium DEI v.29
& eius beneficia conculcant, & ſanguinem fœderis profanant, nouas ſibi
fingendo oblationes: vbi Spiritus ſanctus contumelia afficitur, cum ſit hor- v.31
rendum incidere in manus DEI viui. v.38

Ac cum iuſtus ex fide in CHRISTVM viuat; ideo viuēdum fide, quæ eſt ἐλ- c.11.v.1
πιζομένων ὑπόστασις πραγμάτων, ἔλεγχος οὐ βλεπομένων, id eſt, quæ facit vt extent v.39
quaſi quæ ſperantur, & demonſtrat quæ non cernuntur. Vbi Apoſtolus lō- 40
gum catalogum eorum, qui fide ſaluati ſunt, recenſet; comparatione facta
legis, & euangelii, vt Hebræi, omiſſis typis, & vmbris legis, & ſacrificiis ob- c.12. v.1.&
lationibuſque ſiue Moyſaicis, ſiue de nouo excogitatis, ſoli CHRISTO noui 2
fœderis Mediatori adhæreant.

Quare videndum, ne doctrinis variis, & peregrinis circumferantur: ſed c.13.v.9
verbo, & gratia DEI, CHRISTI IESV conſtabiliantur corda eorum non le-
galibus ceremoniis, & cibis: quæ res nullam adferunt vtilitatem. Ac qui ita & 10
veteri tabernaculo, & ceremoniis eius inſeruiunt, tales non habere ius e-
dendi ex altari CHRISTI aſſerit.

Ac cum CHRISTVS ipſemet proprio ſuo ſanguine populum ſuum ſibi v.12
ſanctificarit, omiſſis aliis ſacrificiis, monet; offerenda eſſe tantum ſacrificia v.15
laudis, id eſt, fructus labiorum, confitentium nomen eius. Iam pius lector
conſideret: qui CHRISTO, & eius immotæ veritati adhæreant; illine, qui no-
ua ſibi, & quotidiana excogitarunt ſacrificia, oblationes, ablutiones, con-
ſperſiones, lumina, & id genus ceremonias à Iudæis deſumtas: & qui quoti-
die CHRISTVM TOTVM cum corpore, & anima ſeſe conficere, & offerre
pro peccatis ſuis, & populi aiunt: an vero ii, qui ſecundum immo-
tum CHRISTI verbum, qui eſt, via, veritas, & vita VNICO CHRISTI Ioh.14.v.6
ſacrificio SEMEL in cruce peracto innituntur: quam ſane particulam ἅπαξ, i.
e. ſemel Apoſtolus multoties repetit. Id quod dixerim ideo à Spiritu ſancto
factum: q̄ præuiderit exorituros aliquos: qui non contenti CHRISTI vnico
ſacrificio SEMEL in cruce peracto, quotidiana ſacrificia contra CHRISTI
verbum eſſent ſibi erecturi. O aperiat eis Dominus oculos, vt videant, quid
agant, & dicant, quod illi apud Ieremiam; Certe patres noſtri vanitatem
ſunt ſecuti, & nos cum eis. c.16.v.19

Ethica Chriſtiana

Πληροφορίαν τῆς ἐλπίδος, id eſt, plenam ſpei certiorationem, veluti an- c.6.v.18.19

choram quandam tutam ac firmam,& vſque in ea penetrantem, quæ ſunt intra velum,tenendum eſſe.

v.4.5.6 Apoſtatis,& qui ſibi nouis ſacrificiis rurſum crucifigunt CHRISTVM, non dari pœnitentiam ad reſipiſcendum.

c.10.v.38& &c.11.v.1 Iuſtum ex fide victurum. Fidem eſſe illud,quo extant, quæ ſperantur,& quod demonſtrat,quæ non cernuntur.

c.12.v.7.& 14 Caſtigatione filios DEI exerceri,ſpurios negligi.Pacem ſectandam cum omnibus,& ſanctimoniam,ſine qua nemo videbit Dominum.

c.13.v.1.2.3.4.5 Caritatem,hoſpitalitatem,compaſſionem vigere,coniugium legitimum, mores ab auaritia alienos,eſſe debere inter fideles CHRISTI.

v.13 In perſecutionibus cum CHRISTO eundum extra caſtra: probrum eius portandum.

v.14 v.17 Non habere nos hic ſtabilem ciuitatem, ſed futuram inquirendam eſſe. Obediendum doctoribus verbi DEI miniſtris,ne ingemiſcant ſuper nobis; ſed vt cum gaudio doceant.

EX EPISTOLA IACOBI.

NOminat ſe ſeruum DEI & IESV CHRISTI.

c.1.v.1 Verã eccleſiam conſolatur in cruce,& tentationibus:docet,veras fun-
v.2.3.4 dere ad DEVM preces : qui eſt Pater luminum : à quo ſolo omne perfe-
v.5.17 ctum donum eſt ſuperne deſcendens:& apud quem nõ eſt παραλλαγὴ ἢ τροπῆς
v.18 ἀποσκίασμα,id eſt,tranſmutatio aut conuerſionis adumbratio. Is,quia voluit,
progenuit nos ſermone veritatis: vt eſſemus primitiæ quædam ſuarum cre-
v.22.23 aturarum. Atq; hanc veram eccleſiam à DEO progenitam ferre dignos fidei
ſuæ fructus,nempe opera bona in lege DEI præſcripta. Quare ſoli verbo
v.21 DEI,tanquam inſito ſermoni,adhærendum.

Degenerem eccleſiam deſcribit:quod inſpecto ſpeculo libertatis,ad quã
v.23 per euangelium vocati,& à legis condemnatione liberati ſumus, ea liberta-
25. c.2.v.14 te abutatur,& falſa tantum ac mortua fide abſq; fiducia in DEVM,& abſque
v.19 bonis operibus glorietur:qualem fidem, & diaboli habent,qui contremi-
ſcendo,nolint velint, coguntur hiſtoriam operum DEI, & redemtionis noſtræ in CHRISTO,credere: vt qui horum omnium ſpectatores erant,& tamen tali hiſtorica,& mortua fide non ſaluantur. Quare demonſtrat Iacobus in iis,qui ſermone DEI progeniti ſunt, & dona DEI à Patre luminum acceperunt,in quibus DEVS pœnitendo non mutatur,ſed in quibus viuit, & non eſt mortua fides:id ipſum non fieri:ſed tales ferre fructus ſuæ fidei.

Ethi-

Ethica Christiana

Lingua frenanda: religio pura colenda: immaculatos nos seruemus à c.1.v.19. &
mundo. 27.
Veros pauperes esse, qui sunt diuites in fide. Ita loquendum, ita facien-
dum: vti per legem libertatis iudicandi. c.2.v.5
v.12
Misericordiam faciendam, quæ gloriatur ad versus damnationem. v.13.
Fidem absque operibus esse mortuam. Censuram iniquam fugiendam: v.20.&26
quia in multis offendimus cuncti. c.3.v.1.2
Sapientiæ DEI studendum, quæ est pura, pacifica, moderata, obsequens, v.13
plena misericordiæ, & fructuum bonorum, absq; disceptatione, & simula- 17.
tione, id est, ἀνυπόκριτος.
Fructum iustitiæ seri iis cum pace, qui dant operam paci. v.18
Orandus DEVS non secundum nostras cupiditates, & concupiscentias, c.4.v.3 &
sed secundum eius voluntatem. Oraturique DEVM non simus δίψυχοι id 15
est, duplici animo præditi. v.8.
v.15
Inchoanda omnia cum DEO, directis oculis ad eius prouidentiam, & in v.10.
solo DEO gloriandum.
Diuitiis non confidendum. Ne ingemiscamus alii contra alios. Non iu- c.5.v.2.
randum temere. Errantes erudiendi. v.9.
v.12. & 19.

EX PRIMA EPISTOLA PETRI.

De Christo, vero, & vnico cum Patre & Spiritu sancto Deo.

NOminat se Apostolum IESV CHRISTI, cuius inquit Spiritu prænun- c.1.v.1.
v.10
cio Prophetæ locuti sunt, prædicendo, & perpessiones, & gloriam eius: v.11
cuius Sanguine REDEMTI, & PVRGATI sumus: vtpote agni immaculati, v.19.
20.
præsciti ante iacta mundi fundamenta. Cuius verbo regeniti sumus, quo v.21.23.
fides ac spes nostra esset in DEO. Qui est lapis viuus, & pretiosus, IN QVEM
QVI CREDIT, non pudefiet: sed immorigeris est petra offendiculi. Qui pec- c.2.v.6.7.
v.24
cata nostra ipsemet tulit in corpore suo super lignum; vt peccatis mortui, v.25.
iustitiæ viueremus: cuius μώλωπι id est, vibicibus sanati sumus: qui est solus
pastor, & curator animarum nostrarum.
Qui SEMEL pro peccatis credentium IN SE, passus est, iustus pro iniustis: c.3.v.18.
qui tempore Noe profectus, id est, sese patefaciens, prædicabat Spiritibus v.19.
20.
immorigeris, i.e. hominibus tunc viuentibus (cum μακροθυμία id est, lenitas
seu patientia DEI, expectaret:) quorum nunc animæ in carcere seruantur.

v. 22 Hic CHRISTVS consedit ad dexteram DEI, cui sunt subiecti angeli,
c.5.v.4 potestates, ac virtutes. Ac est ἀρχιποίμην, id est, Princeps pastorum: qui cum
apparuerit, dabit fidelibus suis τὸν ἀμαράντινον τῆς δόξης στέφανον, id est, immarce-
scibilem gloriæ coronam.

Spiritus sancti ita meminit; quod electis scribat ex prænotione DEI Pa-
c.1.v.2 tris ἐν ἁγιασμῷ πνεύματος, id est, in sanctificatione Spiritus: nempe quæ fit
per Spiritum sanctum.

v.11.& 12 In Prophetis fuisse prænuncium CHRISTI Spiritum eius Euan-
gelii: quod nunc per emissum è cœlo Spiritum sanctum prædicatur de
CHRISTO.

v.1.& 2 Veram Ecclesiam ita describit: eam esse aduenam hic in terris disper-
v.3 4 sam, sed electam ex præscientia DEI κατὰ πρόγνωσιν Θεοῦ ad sanctificationem
Spiritus; aspersam sanguine IESV CHRISTI; regenitā in spem viuam ad hæ-
v.5 reditatem, quæ nec perire, nec contaminari, nec marcescere potest: & quæ
in cœlis seruatur. In qua inquit, electi DEI, virtutis DEI præsidio custodi-
v.7 untur: quorum fides hic exploratur, sicut aurum per varias tentationes: sed
v.13 quæ integre sperat, & confidit gratiæ CHRISTI: cuius precioso sanguine re-
v.19 dempta, & purgata est; & regenita ex semine verbi DEI. Vnde fides, & spes
v.25 v.21 eius in solo DEO consistit.

c.2.v.2 Hæc Ecclesia, tanquam modo nati infantes, lacte sermonis CHRISTI
v.5 nutritur, & in CHRISTO lapide viuo ædificatur in domum Spiritualem,
v.9 sacerdotium sanctum, offerens SPIRITVALES HOSTIAS per IESVM CHRI-
STVM. Est genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus, quem
sibi DEVS, vt proprium, vendicat; vt virtutes prædicet eius: qui illam voca-
v.11 uit è tenebris in admirabilem suam lucem: cuius conuersatio honesta esse
debet: vt alii spectantes bona eius opera glorificent DEVM in die visitatio-
v.25 nis. Ac fuit quidem ea, vti oues errantes, sed iam conuersa est ad pastorem,
& curatorem animarum suarum.

c.3.v.15 Hæc ecclesia semper parata esse debet, ad respondendum cuilibet peten-
v 18 ti rationem ab ea eius spei, quæ in ipsa est, cum lenitate, & timore. Pro hac
v.21 CHRISTVS SEMEL passus est: huic baptisma suum dedit, non quo carnis
sordes abluuntur: sed quo fit stipulatio bonæ conscientiæ apud DEVM per
resurrectionem IESV CHRISTI.

c.4.v.15 In hac nemo martyrium subit, vti homicida, fur, maleficus, aut ἀλλοτριο
ἐπίσκοπος, id est, alienarum rerum inspector: nihilominus tamen iudicia DEI
v.17. incipiunt à domo DEI. Quod si ab ea incipiunt iudicia DEI: quis finis erit
eorum, qui non parent Euangelio CHRISTI?

c.5.v.1 In hac ecclesia, ait Petrus, quod sit συμπρεσβύτερος, non autem ἀρχιπρε-
v.2 σβύτερος: vnde hortatur, vt alii pastores exemplo suo pascant gregem, non
v.3 turpis lucri causa, nec dominantes gregi: sed ita vt sint exemplaria gregi. Ibi
vero

vero apparuerit CHRISTVS, solus ille ἀρχιποίμην summus ille pastorum prin- v.4
ceps, eos reportaturos amarantinam illam gloriæ CORONAM. Hic vero nul- v.8
lam coronā terrestrem expectandā esse; sed assiduum certamen cum mun- v.9
do, & Diabolo, qui circumit, tanquam Leo rugiens, quærens quē deuoret.

Degenerem ecclesiam ita arguit: CHRISTVM immorigeris esse tanquam lapi- c.2. v.7
dem reprobatum, & petram offendiculi; in quam illi impingunt: quibus sa- c.3. v.18.20
crificium eius SEMEL in cruce peractū eius valoris est, qualis SEMEL CHRI-
STI conc o fuit, cum SEMEL expectabat DEI lenitas in diebus Noæ; cum
appararetur arca in qua paucæ animæ seruatæ sunt. Tunc enim CHRISTVM
prædicasse docet hominibus immorigeris per Noachum iustitiæ suæ præ-
conem: quorum Spiritus nunc in carcere asseruantur: atq; ita CHRISTVM
mortuis iam istis, sed qui temporibus Noæ viuebant, per Noachum prædi-
casse Euangelium, nempe resipiscentiæ: vt damnarentur quidem secun-
dum homines carne, viuerent secundum DEVM Spiritu, id est, vt conuicti
per legem Moysis peccatorum suorum, & per hanc cognitionem quasi
mortui facti viuerent secundum euangelium gratiæ CHRISTI pœnitenti-
bus prædicati, qui illud fide complecterentur.

Ethica Christiana

Cum timore versandum commorationis nostræ tempore. c.1.v.17
Fides, & spes nostra à solo DEO dependeat. v.21
Magistratui parendum. Bene agendo obstruendum os malis ignorantiæ c.2.v.13
hominibus. v.15
Libertas euangelii nescit velamen licentiæ ad male agendum. v.16
Iniuriæ perferendæ. v.29
Liberi, serui, vxores, quilibet præstent sua officia. c.3.v.1
Fugiēdus nimius ornatus: & potius occultus ille cordis homo ornandus. & c.2. v.18 & 16
Non reddendum malum pro malo. c.3.v.3.4
Lingua frenanda. Cōfessio fidei reddēda: Bona conscientia cōseruanda. v.9 v.10.15
Lasciuiis, vinolentiis, comessationibus, compotationibus, & nefariis si- c.4.v.3
mulacrorum cultibus abstinendum: assidue orandum cum sobrietate, & vi- v.7
gilantia: charitatem, & hospitalitatem demonstrandam: diabolo resistendū v.8.9
per fidem, qui tanquam Leo rugiens obambulat, quærens quem deuoret. c.5.v.8.9

EX SECVNDA EPISTOLA S. PETRI.

De Christo, vero, & vnico cum Patre, & Spiritu Sancto, DEO.

NOminat se Apostolum IESV CHRISTI: eundem DEVM nostrum, & c.1.v.1
SERVATOREM appellat: à quo preciosam fidem per iustitiam eius sortiti

v.3 ſumus: cuius diuina vis nobis omnia donauit, quę ad vitam, & pietatem per-
v.4 tinent, donatis nobis precioſis promiſſis: vt per ea efficeremur diuinæ conſortes naturæ, id eſt, non DEI οὐσίας, ſed qualitatum, quas DEI virtus in nobis efficit.

v.17.18 Huic è cœlo in monte ſancto teſtimonium in ſua transfiguratione datum quod ſit Filius ille DEI dilectus.

c.3: v.18 In concluſione epiſtolæ hortatur: vt creſcant in gratia, & agnitione Domini, & ſeruatoris noſtri IESV CHRISTI, cui gloria, & nunc, & ad tempus ſempiternum.

c.1. v.20.21 *De Spiritu ſancto* inquit; Nullam prophetiam eſſe propriæ explicationis: nec pro libitu hominis allatam: ſed actos à Spiritu ſancto locutos eſſe ſanctos DEI homines.

v.10 *Veram eccleſiam* ita deſcribit: quod electionem & vocationem in CHRI-
v.5.6 STO ſuam ſtudet firmam facere bonis operibus, adiiciendo virtutem, ſcien-
v.16 tiam, continentiam, tolerantiam, pietatem, φιλαδελφίαν. Atque hanc non ſe-
v.19 qui arte compoſitas fabellas docet: ſed tum euangelio iam reuelato, tum firmiſſimis ſermonibus propheticis inniti: qui tamen reſpectu lucis Euangelii ceu lucerna lucere videntur.

c.2. v.1 *Degenerem eccleſiam* ita depingit; Quod, ſicut in veteri Teſtamento, quidā pſeudoprophetæ ſecuturi ſint ſub reuelato euangelio CHRISTI falſi doctores, & ductores: qui introducent hæreſes exitiales, etiam CHRISTVM, qui illos mercatus eſt, abnegantes: accerſentes ſibi ipſis velox exitium. Addit, &
v.2 multos ſecuturos eorum exitia: per quos via veritatis blaſphemabitur: & per
v.3 auaritiam fictis ſermonibus negociabuntur, quorum damnatio, & exitium
v.4 iam olim annunciatum. Imo ſicut angelis, & priſco mundo tēporibus Noæ,
v.5 & ciuitatibus Sodomorum, & Gomorrhæ DEVS non pepercit: ſed exemplar impie victuris DEVS in illis demonſtrauit: ſic futurum cum pſeudoprophe-
v.10 tis, & ſequacibus horum. Vt, qui ſunt magiſtratuum contemtores, ſibi pla-
v.12 centes, animantia rationis expertia, vituperant ea, quæ ignorant; & facti ad
v.15 eum finem, vt capti intereant. Qui etiam ineſcant animas inſtabiles, viam
v.17 Balaam ſequendo: ſunt fontes aqua carentes, nebulæ à turbine agitatæ, qui-
v.18 bus caligo tenebrarum in æternum ſeruata eſt. Nam prætumidam vanitatem loquendo, ineſcant eos per carnis cupiditates laſciuas; qui effugerant
v.19 eos, qui in errore verſantur: libertatem illis pollicendo, eos in horrendam
v.21 ſeruitutem ducunt, & ab agnitione CHRISTI abducunt. Quibus melius fu-
v.22 iſſet viam iuſtitiæ CHRISTI non cognouiſſe, quam à cognita regredi: itaq; accidere illis, ait, quod cani redeunti ad ſuum vomitum, & ſui lotæ ad volu-
c.3. v.3 tabrum cœni. Atq; ex his apoſtatis extremis diebus venturos irriſores, qui
& 4 & Euangelium CHRISTI, & omnes promiſſiones DEI deridebunt, & mundum ab æterno eſſe, & in æternum duraturum ſtatuent. Sed DEVM non

tarda-

tardaturum suis promissis. Denique hos pseudo prophetas indoctos, & in- v.16
stabiles S. Pauli scripta, & omnem sacram scripturam detorquere ait ad 17
proprium suum exitium; vnde monet vitandos eiusmodi nefarios, ne errore
talium fideles CHRISTI à gratia, & promissione CHRISTI seducantur. v.10
Mundi interitum ita describit; Diem Domini sicut furem noctu ventu- v.8
rum: sed momenta, & tempora eius abscondita esse : siquidem vnus dies
apud DEVM sit, sicut mille anni, & mille anni vt vnus dies: Vbi autem adue- v.10
nerit; cœlos, quos intuemur, cum stridore perituros, æstuantibus, & soluen- 11 12
tibus sese elementis, & terra cum iis, quæ in ea sunt conflagrante. Quare no- v.13
uos cœlos ac nouam terram secundum promissionem CHRISTI nos expe-
ctare.

Ethica Christiana

Vera fides parit studium discendi, continentiam, tolerantiam, charitatē: c.2.v.5.6 & 10
quibus vocatio, & electio nostra firma redditur.
Nouit Dominus iustos è tentatione eripere, iniustos autem ad diem iudi- c.2.v.9
cii reseruare

EX PRIMA EPISTOLA S. IOHANNIS.

De Christo, vero, & vnico cum Patre, & Spiritu Sancto, DEO.

CHRISTVM nominat vitam illam æternam, qui veram naturam huma c.1 v.1.2.3
nam assumsit; quem inquit Apostoli oculis suis spectarunt, & manibus
contrectarunt: & cum quo omnes credentes communionem habent: cuius v.7
sanguis purgat pœnitentes, & credentes ab omni peccato. Qui est vnicus c.2.v.1.2
noster advocatus ad Patrem, & propitiatio pro peccatis omnium credentiū.
Et qui hoc negat, negat, & Patrem: & hunc constat esse Anti-christum. Qua- v 22.23
re diligendus est CHRISTVS, quia animam suam posuit pro nobis: & vere c.3. v 16 c.4.v.2 & 3
in carne venit. Alioquin qui non profitetur IESVM CHRISTVM in carne ve-
nisse: Spiritus est Anti-christi, qui venturus est. Adhærendum ergo CHRI- v.10
STO, quem non nos priores dileximus; sed qui prior nos dilexit, factus propi- v.14
tiatio pro peccatis nostris, & seruator mundi. Ac qui ita credit in IESVM c.5.v.1.4
CHRISTVM, is ex DEO genitus est, & vincit mundum, quia fides nostra in v.5
CHRISTVM est victoria quæ vicit. Vnde credentes in CHRISTVM habent v.10
testimonium in seipsis; quod vitam æternam DEVS dedit eis, quæ in Filio
DEI patefacta est. Quod si quis Filium non habet: nec vitam æternam ha-
bet. Atq; hæc fides à Filio DEI, Domino nostro IESV CHRISTO credentibus v 11 v.12
data; qui est ipsa veritas, & verus ille DEVS, & vita illa æterna. v.20
Spiritum sanctū ita describit: quod credētes in CHRISTVM vnctionē ha- c.2. v.27.

beant à Spiritu ſancto: quæ vnctio manet in eis, & docet eos; quod DEVS
v.18 verax ſit in ſuis promiſſis. Vnde fideles veram in illo παῤῥησίαν habent, ne
c.3.v.9 pudefiant in aduentu CHRISTI. Quia ex DEO credentes nati ſunt, & ſe-
v.24 men (id eſt, arrhabo Spiritus ſancti) manet in eis. Ex quo cognoſcitur, CHRISTVM habitare ſuis in fidelibus: eo, quod ex Spiritu ſancto dedit eis, qui eſt
c.4 v.4 potentior in illis, quam mundus, qui ſequitur Spiritum erroris.

Sacroſanctam Trinitatem ita deſcribit: quod ſint tres, qui teſtificantur
c.5 v.7 in cœlo; PATER, ὁ ΛΟΓΟΣ, &, SPIRITVS SANCTVS, & quod hi tres VNVM ſint.

v 9 & 10 Quod ſi teſtimoniis hominum credimus, multo magis credendum teſtimoniis DEI; de ſeipſo in verbo ſuo teſtimonium præbentis. Qui vero non credit, facit mendacem DEVM.

c.1. v.3 & 7 Veram eccleſiam ita deſcribit; Quod ea communionem cum CHRISTO
v.9 vero DEO, & homine habet: incedit in luce verbi DEI ſibi reuelati. Purgatorium peccatorum ſuorum in ſolo CHRISTO agnoſcit: peccata ſua confi-
c.2 v.1.2 tetur, pro quibus CHRISTVM ſolum agnoſcit propitiationem ſuam. Vi-
v.3 & 10 uit ſecundum eius mandata, diligendo, ædificando, & adiuuando proximũ.

v.15 Fugit tenebras, verſatur in luce, auerſatur mundum, contemnit apo-
v.18.19 ſtatas, prædictionibus de Anti-chriſto credit: lætatur futura in cœlis gloria:
c.3 v.2
v.9 quæ cum CHRISTO patefiet: cum ei ſimiles erimus. Vitat omnem ἀνομίαν:
v.13 non miratur ſe à mundo haberi odio, qui totus in malo iacet: cum certa hac
& c 5 v.19 ſpe omnes fideles CHRISTI ſuſtentantur: ſe ex mundo per mortem ad vitã
c.3. v. 14
v 18 translatos eſſe. Hinc cõfratres noſtros ait, nõ verbo aut lingua, ſed opere, &
v.19 veritate diligendos: quo ſecura reddantur corda noſtra; ne nos cor noſtrum
v 20
c.4 v.5 condemnet: cum DEVS potentior ſit corde noſtro. Hanc eccleſiam, quia ex
c.5 v.4 & 10 mundo non eſt, ideo mundana non loqui aſſerit. Hanc eccleſiam ex DEO genitam per fidem in CHRISTVM reportare victoriam de mundo: & teſtimoniũ habere in ſeipſa, dum teſtimonio DEI, id eſt, verbo DEI, à CHRISTO
v 20 & 21 reuelato credit: & CHRISTVM verũ illum Deum, & vitam illam æternam in carne veniſſe fatetur, & credit: & ſibi ab idolis, & Antichriſti doctrina cauet.

c.1 v.6 Degenerem eccleſiam ita notat: licet ea fateatur, ſe communionem cum DEO habere: tamen quia in tenebris, & mandatis hominum incedit, talem
c.5 v.10 cõmunionẽ nullam eſſe: imo non credentẽ verbo DEI mendacẽ DEVM fa-
c.2. v.11 cere. Necquicquã lucis eſſe in illa, cum lucem CHRISTI fugiat, mundũ, &
v.16 cupiditates carnis ſequatur; à CHRISTI cognitione in apoſtaſian ruat: nec
v.19 mirum, vt ait apoſtolus; è nobis quidem egreſſi ſunt, ſed non erant ex nobis. Nam ſi fuiſſent ex nobis permanſiſſent vtiq; nobiſcũ: ſed egreſſi ſunt è nobis vt patefieret; non omnes eſſe è nobis, id eſt, ex eccleſia CHRISTI. Hos ſequi
v 22 & c.3 ἀνομίαν, id eſt, contra legem DEI viuere, & nouas leges ſibi cudere. Hinc
v.10
v.12 Paulus ad Theſſalonicenſes Anti-chriſtum ἄνομον nominat. Hos Cainã prolem

lem,& parricidam atq; ſicarios eſſe: qui ideo veros Dei cultores odio pro-
ſequuntur: quod illorum opera bona,& horum mala ſint. Hos omnes ſe- c.4.v.3
qui Anti-chriſti doctrinam: qui Christvm in carne veniſſe,& verum il- c.5.v.16.17
lum Devm, & vitam æternam eſſe negant; præſertim diſcedentes ab agnita
veritate,& ita ad mortem peccantes; proque iis nec orandum eſſe.

Ethica Chriſtiana.

IN luce Dei ambulare, eſt Dei mandata ſequi: ex quo, & communio c.1.v.7
cum Deo ſequitur: qui vero ait, ſe diligere Devm, & odio proſequitur c.2.v.4.9
proximum, mendax eſt. Fugiendus mundus, qui præterit cum ſuis cupidi- v.15.17
tatibus: qui vero præſtat voluntatem Dei, manet in æternum.

Scandala non accipienda ex apoſtatis: qui ideo ex eccleſia egreſſi ſunt, v.19
quia non erant ex illa.

Christi amor erga nos impellere nos debet, vt & nos alios amemus. c.4.v.11
Proximus diligendus, non verbo ſed opere,& veritate. Studendum verita- c.3.v.18
ti,& pietati,& bonæ conſcientiæ: vt ſecura reddantur corda noſtra. Nam ſi 19.20
quos condemnat cor, quanto magis Devs ſcrutator cordis?

Qui è mundo ſunt, mundana loquuntur. Metum in vera charitate non c.4.v.5 18
eſſe. Nam metus cruciatum, fiducia vero in Devm, confidentiam, & ſpem c.5.v.4
certam parit. Victoriam, quæ vincit mundum, eſſe fidem in Christvm.
Qui credunt in Filium Dei, habent teſtimonium in ſeipſis. Nati ex Deo v.10
ſtudent vitare peccata.

EX SECVNDA EPISTOLA SANCTI IOANNIS.

De Christo *vero, & vnico, cum Patre, & Spiritu ſancto* Deo.

PRecatur electis gratiam,& miſericordiam,& pacem à Deo Patre,& Do- v.3
mino noſtro Iesv Christo. Et qui manet in doctrina Christi, hunc v.9.
habere Patrem, & Filium teſtatur.

Veram eccleſiam ita breuiter attingit: quod in ea veritas,& charitas Dei v.2
manebit in æternum: cui hic aduigilandum: vt mandata Christi diligen- v.6
ter ſeruet: & fugiat erroneos homines, omiſſa cum illis conuerſatione,&
commercio. v.10.11

Degenerem eccleſiam ita notat. Quod multi impoſtores iam ingreſſi v.7
ſint in mundum: qui non confitentur Iesvm Christvm veniſſe in carnem:
atque hos eſſe impoſtores,& Anti-chriſtos.

EX TERTIA EPISTOLA S. IOANNIS,

Ad Gaium.

v. 1. VEram ecclesiam ita à degenere distinguit. Nominat se sicut in secunda,
1. Pet. 5. v. 1. Presbyterum, nempe seniorem. Sic & S. Petrus nominat se συμπρεσβύτε-
ρον, i. e. conseniorem, non ἀρχιπρεσβύτερον. Quare D. Ioannes in hac tertia e-
v. 9. pistola inuehitur in Diotrephum: quod primatum in ecclesia ambiat, & im-
10 probis verbis aduersus ipsum D. Ioannem garriat. Quiq; his non conten-
tus, etiam ipsos fratres non recipiat, & qui eos recipere volunt, prohibeat, &
ex ecclesia eiiciat, talem ait ex DEO non esse.

Qui sane Diotrephes procul dubio fuit typus, & prodromus subsecuturi in ecclesia christiana primatus.

EX EPISTOLA IVDÆ.

De Christo, vero, & vnico cum Patre & Spiritu sancto Deo.

v. 1. & 2 PRecatur misericordiam, pacem, & charitatem vocatis à DEO Patre, san-
ctificatis, & in IESV CHRISTO seruatis.

v. 20 Spiritus sancti ita meminit: dum hortatur fideles CHRISTI, vt in sanctis-
v. 21 sima fide sua sese superstruant per Spiritum S. orantes, hortaturq; eos, vt alii
alios conseruent in charitate, expectantes misericordiã Domini nostri IESV
v. 25 CHRISTI in vitam æternam. Atq; huic soli sapienti DEO, Seruatori nostro,
v. 4 vt sit gloria, magnificentia, robur & potestas, nunc & in omnia secula preca-
tur: quem nominat solum illum herum, DEVM ac Dominum nostrum IE-
SVM CHRISTVM.

v. 3 Veram ecclesiam hortatur: vt pro fide, quæ semel tradita est Sanctis ciues
omnes fideliter decertẽt: & memores sint verborum ab Apostolis Domini
v. 17 nostri IESV CHRISTI prædictorum: nimirum postremis temporibus ven-
v. 18 turos irrisores, à quib. illis cauendum: sic tamen, vt habito delectu aliorum
v. 22. 23 quidem commisereantur, alios vero terrore seruent, & velut ex flamma eri-
piant; odio habentes vel eam tunicam, quæ à carnis contactu sit maculata.
v. 24 Etenim DEVM potentẽ esse, docet seruare eos à lapsu immunes, & statuere
in conspectu gloriæ suæ inculpatos cum exultatione.

Degenerem ecclesiam ita notat: surrepsisse quosdã homines impios, prius
iam olim ad damnationem descriptos: qui DEI nostri gratiam transferunt
v. 4 ad lasciuiam, & solum illum herũ DEVM ac Dominum nostrũ IESVM CHRI-
v. 6. 7 STVM negant. Quod si DEVS inquit, angelis, Sodomæ & Gomorrhæ non pe-
v. 8 percit, nec eis parcet. Hos contemtores esse magistratus: in conuiuiis macu-
v. 12 las, nubes aqua carentes, & ventis agitatas; arbores emarcidas, & infrugife-
v. 13. ras; vndas maris efferatas, bis mortuos: quib. caligo tenebrarum in æternum
serua-

seruata sit. Hos esse murmuratores, querulos, in cupiditatibus suis incedē- v.16.
tes: & quorum os loquitur prætumida: admirantes personas vtilitatis causa. v.19.
Esse homines animales Spiritum S. non habentes: de quib. prophetauit se- v.14.15
ptimus ab Adam Enoch; inquiens; Ecce venit Dominus cum sanctis millibus suis, vt ferat iudicium aduersus omnes impios, arguendo eos de factis eorum, quæ impie patrarunt, & de omnibus duris verbis, quæ contra ipsum locuti sunt.

EX APOCALYPSI.

DE CHRISTO vero, & vnico cum Patre, & Spiritu sancto DEO.

AIT se suam Apocalypsin à IESV CHRISTO accepisse: qui nos lauit à pec- c.1.v.1.5.
catis nostris per sanguinem suum, & qui nos fecit reges, & sacerdotes v.6
DEO, & Patri suo, & qui venturus est in nubibus, & quem videbit omnis o- v.7 v.8.
culus, etiam ii, qui eum transfixerunt: qui est alpha, & ωmega, principium, &
finis, i. e. qui est, & qui erat, & qui venturus est ille omnipotens, qui est pri- c.2.v.23.
mus, & vltimus, qui est scrutator renum, & cordium.

Qui est sanctus, & verax, habens clauem Dauidis, vitæ, & mortis: qui a- c.3.v.7
perit, & nemo claudit, qui claudit, & nemo aperit. Qui dignus est, vt accipiat c.5.v.12
gloriam, & honorem, siquidē omnia creauit, & per eum omnia creata sunt. v.13 & v.9
Qui solus aperit librum, & soluit eius sigilla, ad explicanda, & reuelanda no- c.12.v.7
bis DEI mysteria. Qui est verus ille Michael, vincens draconem Spiritu, & c.21.v.23
gladio oris sui: qui solos electos in nouam cœlestem Hierosolymam indu- & seq.
cet: in qua non erit Sol, & Luna: sed ipse Filius DEI, agnus ille innocens in veteri testamento holocaustis adumbratus, erit æterna lux nostra.

De Sacrosancta Trinitate ita ait: huic vni vero DEO Patri, Filio, & Spi-
ritui S. cantare assidue, & militantem hic in terris, & triumphantem in cœlis c.4.v.8
ecclesiā; SANCTVS, SANCTVS, SANCTVS, Dominus DEVS ille omnipotens, qui est, qui erat, & venturus est.

Veram ecclesiā describit per statum Aristocraticū, assimilans eam septem c.1.v.13.20
candelabris: in cuius medio CHRISTVS est, regens, gubernās, & defendens
eam gladio verbi oris sui; lucens in ea quoq; diuersis stellis; excitans in ea to- v.16.
nitrua, & diuersas tubas, atq; angelos suos, nēpe ecclesię suæ doctores: vt pro diuersis donis suis, prout temporum ratio postulat, prouidentiæ, & consilio DEI in docenda ecclesia sua, & ea in veritate DEI conseruanda atque ab erroribus purganda, & defendenda inseruiant.

Scribit autem ad septem ecclesias sub statu illo Aristocratico, in quo CHRISTVS solus Monarcha est, constitutas: atq; CHRISTVM istas ecclesias ita alloquentem introducit. Primo ad Ephesinā, quod in scientia proficiens,
in charitate deficiat; quare metuendum: ne derelicta à CHRISTO, nisi re- c.2.v.2.& 5
sipuerit, loco suo moueatur.

v.9.10 Secundo,Smyrnenſem eccleſiam laudat: quod in paupertate conſtitu-
ta,diues ſit in DEO:& patiens, ac fidelis ſit in perferendis propter CHRI-
v.13 STVM,& eius veritatem adflictionibus.

Tertio ad Pergamenſem eccleſiam ſcribit;quod licet ibi habitet,vbi eſt
14 thronus Satanæ;& vbi Antipas fidelis CHRISTI martyr trucidatus eſt in
ipſis perſecutionibus: non negauerit fidem CHRISTI; licet nonnulli in-
ter eos Balaam doctrinam ſecuti ſint.

v.19.20 Quarto Thyatyrenſem eccleſiam laudat à fide, charitate, & tolerantia:
verum minatur nonnullis inter,eos qui cum Ieſabel ſcortantur.

.3.v.1 Quinto arguit Sardenſem eccleſiam,quod præſumens ſe præ cæteris ec-
cleſiis viuere,ſit quaſi mortua. Quare aſſidue ei vigilandum; vt quaſi mori-
v.2.4.5 bunda & moritura reſipiſcendo reuiuiſcat: ſiquidem ſint in ea aliquot capi-
ta;quæ non inquinarunt ſe erroribus malorum, & quæ in libro vitæ con-
ſcripta ſunt.

v.8 Sexto Philadelphienſem eccleſiam alloquitur:quod oſtium veritatis ha-
v.9.10.12 beat apertum,quod nemo claudere poterit, ne quidem ipſa Satanæ Syna-
goga:quæ tempore tentationis vniuerſalis,quæ ventura eſt in vniuerſum or-
bem,ad explorandos incolas terræ,contra eam præualere non poterit.

v.15.17 Septimo, Laodicenſem eccleſiam ſummopere arguit:quod neq; frigida
ſit,neque feruida,ſed tepida ex parte: imo quæ gloriari audeat,quod diues
ſit,& nullius egens:cum tamen ærumnoſiſſima, miſerabilis, pauper,cæca,
& nuda ſit.Quare cum CHRISTVS ad oſtium eius ſtet, pulſando exigens re-
v.20 ſipiſcentiam: hortatur eam mature pœnitentiam vt agat; & in CHRISTI ve-
v.16 ra doctrina ferueat,neq; ſit amplius tepida;alioqui futurum:vt à CHRISTO
euomatur.

En tibi, Lector, deſcriptionem ſtatus eccleſiæ CHRISTI in terris mili-
tantis Ariſtocratici:prout in Apocalypſi typice vſque ad conſummationem
mundi,deſcribitur,& quidem cum diuerſis donis DEI, & cum permixtis
næuis atque erroribus,adeo vt verum illud ſit: ſuis næuis non carere eccle-
ſias CHRISTI,ſed etiam tritico Domini hic in terris ſemper zizania intermi-
xta eſſe. Denique eas eccleſias,vt plurimum conſtat,laudari:in quibus cum
ſcientia,charitas,patientia,& bona conſcientia coniunctæ ſunt:& in qua di-
uerſæ ſtellæ lucent,aliæ clarius, lucidius aliæ, item diuerſæ tubæ diuerſis ſo-
nis clangorem edunt,tonitrua fulminant, angeli CHRISTI gratiam fidelib.
CHRISTI, iram infidelibus denunciant. Quæ ſane omnia diuerſos in ec-
cleſia CHRISTI doctores,& adumbrarunt,& expreſſe prædixerunt. Vnde
eiuſmodi diuerſis in eccleſia CHRISTI donis, & næuis nemo ita offendi
debet: vt vel ab illius membris amandis, tolerandis & in ſancta chari-
tate, animique lenitate erudiendis, monendis, & veritate confirman-
dis, abalienetur, aut hoſtis eorum euadat: cum ipſemet FILIVS

DEI

Dei ecclesiæ suæ sub diuersis signis, & vexillis hic in terris militanti, existens ipsius Monarcha, næuos fidelium suorum arguat, & quomodo illis medendum sit, doceat. Multo minus committendum est: vt quis hac diuersitate donorum Dei in ecclesiis Christi, & næuis eorũ offensus à Christo deficiat: eo quod non omnium Ecclesiarum Christi sint paria dona: argumentando ex sensu carnis forte in hunc modum: Cum sit vna ecclesia, vna fides, vnus Devs, vnus Spiritus sanctus, distribuens dona sua, quidni etiam sit vna doctrina, quidni vnus in ea absque diuersitate, cum in docendo tum in conuersando consensus? Cui ita respondetur: vnam quidem esse ecclesiam catholicam, vnam doctrinam, vnam illius fidem, vna media ad saluandos electos Christi: vbi teste Paulo ad Miletanam ecclesiam, Act.20.27 nihil horum intermissum est: quin ea omnia vni, & eidem ecclesiæ per euangelium Christi reuelata sint: quæ ad salutem eius necessaria sunt: sed diuersitatem illam hominibus tribui, qui & proficiunt, & deficiunt. Ac tenendum, gratuitæ gratiæ Dei esse, & liberrimæ potestatis distribuere dona sua, prout vult: misericordiæ vero tolerare infirmos, erigere lapsos, & erroneos per resipiscentiam ad viam reducere: iustitiæ vero Dei esse, contumaces, & blasphemos, & impœnitentes iustis suis iudiciis ferire.

Ac cum hic diuersa Dei dona Apostolus in Ecclesia Christi recenseat, non sunt in ecclesiis annumerandi ii: qui hunc verum Devm, quem Apostolus in sua Apocalypsi, & epistolis describit, non agnoscunt: nempe, Patrem, Filium, & Spiritum sanctum: Triunum illum verum, & vnicum in vna essentia, sed tribus personis distinctum Devm: quales sunt blasphemæ illæ Arrianorum, & Socinianorum furiæ, & monstra horrenda. Hos enim in numerum ecclesiarum Christi adiungere velle, cum in vero colendo Deo, qui se satis dilucide in verbo suo patefecit, non consentiant: licet de Christi doctrina glorientur, non aliud esset; quam si quis Turcas, partem ecclesiæ CHRISTI dicere vellet; eo quod ex veteri, & nouo testamento conflatis suis, quas ipse Diabolus, vti puto, irridet, fabulis, Christi sæpe honorificam faciant mentionem: & sub hoc velamine aduersus Christvm blaterẽt, Christvm non fuisse Devm, sed Prophetã tantum: nec passum, & crucifixũ, sed quendam alium latronẽ Iudæum suppostitium: ꝙ alienũ sit à iustitia Dei permittere: vt propheta suus tã ignominiosa cruce afficiatur. Idẽ docent & Sociniana monstra: Christvm pro peccatis nostris non passum, multo minus pro iisdem satisfecisse, & λύτρον, seu precium redemtionis pro nobis soluisse: eo quod, vti inquiunt, derogant hæc omnipotentiæ, & iustitiæ Dei. Omnipotentiæ quidem, quasi absque Christi passione, & satisfactione pro nobis Devs ipsemet credentes in se seruare non posset. Iustitiæ vero, quod immerito Christvs sanctus, & innocens pro peccatoribus, & nocentibus puniretur: siquidem scriptum est, non punietur pater pro

filio, & filius pro patre. Quæ sophismata diabolica, quod merum atheismū sapiant, & contra expressum verbum DEI ad tollendum illud, si fieri posset, ex rerum natura, tendant: quis non nisi stupidus, aut illis similis non animaduertat? Iidem enim falso ratiocinando, possent omnipotentiæ DEI obiicere; cur hominem etiam non crearit ex nihilo sicut cœlum, & terram, sed ex puluere terræ: cur Euam ex costa Adami: cur omnia ad nos sic secundum vtrumque hominem sustentandos agat: cur in cruce per crucem suos exerceat: cur mori permittat: cur priorem Adamum labi passus sit, cur peccatores in mundo toleret, & bonos adfligi sinat: cur lapsi angeli absque spe veniæ in Tartara præcipitati? Hæc, & id genus alia, cur iidem sophistæ blasphemi DEO non obiiciunt: quod derogent omnipotentiæ, & misericordiæ DEI?

Vnde sicut Mahomet palàm vetus, & nouum testamentum pro suppositititio, & à Iudæis atque CHRISTIANIS deprauato, verum in suo Alcorano, à DEO denuo dictato, mendaciore contra conscientiam fingere non veretur: sic Arriani, & Sociniani, simulantes se amplecti vetus, & nouum testamentum: tamen ab vtroque abducunt; dum nolunt valere, quod suæ est opinioni contrarium. Sed desino in his monstris recensendis diutius inhærere: quod hæc alibi à me dicentur: sufficiat, me demonstrasse istos nullam ecclesiæ CHRISTI partem esse. Potentem tamen statuo DEVM esse, ex hac synagoga, & sentina Satanæ seductos, sicut ex omnibus gentibus educere, & ad agnitionem sui perducere. Nam in illa spirituali Babylonica captiuitate S.
c.7.v.3 Ioannes vidit multa millia hominum peculiari signo DEI notata. Sic &
v.4 Ezechiel vidit c.9. suspirantes seductos: in quibus tamen signa sigilli DEI, quod est arrhabo Spiritus Sancti, igniculos desiderii, emersuri è tenebris & peruenturi ad veritatem DEI, excitantia apparebant.

c.17.v.8.13 *Degenerem Ecclesiam* ita describit: quod Monarchiam spiritualem sit sibi erectura: quod ei reges suam potestatem sint tradituri, & eam ditaturi, ei-
v.16 dem tandem diuitias ablaturi, eam denudaturi. Nominat eam regem Ab-
c.9.v.11& badonem, meretricem Draconi insidentem, & poculo venenato multos
c.17.v.3 inficientem; mercatricem vendentem sacra, & certis characteribus seruos
c.18.v.3 suos signantem, stellam absinthiacam amaram è cœlo, id est, ex ecclesia
c.13.v.7 delapsam. Vocat item bestiam agno similem, quæ ex abysso cum diuersis
c.8.v.11 locustis prodiit: quæ ebria est sanguine martyrum CHRISTI, quæ duos pro-
c.13.v.11 phetas, & præcones veritatis CHRISTI, interfecit, qui tamen in duobus
c.9.v.3
c.17.v.6
c.11.v.7&11 aliis potentioribus ad resistendum ei, & veritatem CHRISTI promul-
c.12.v.6 gandam, reuixere. Sub qua, ecclesia ad tempus in desertum pelletur, & in illo latitabit: id quod & prophetæ prædixere, Ezech. 24. v. 25. Soph. 3. Zach.
c.11.v.8 11. v. 12 Item nominat eam spiritualem Sodomam, & Ægyptum: cuius sedes
c.17.v.5 est Babylon spiritualis, vrbs illa magna septicollis, & cuius horrenda ruina

adhuc

adhuc ante vltimum CHRISTI aduentum futura est: totalis vero, & finalis eius interitus demum ab ipso CHRISTO in glorioso eius aduentu subsequetur.

Et hæc breuiter à me consignata sunto: quæ Apostolus de degenere ecclesia quam prolixissime consignauit. Ac cum nunc sint tot, & tam multæ in Apocalypsin interpretationes, meum non est, ne quem offendam, hic quicquam interpretari; aut aliorum interpretationes adducere, excepto vno Gregorio Magno Romano episcopo, qui deinde quoq; summus Pontifex post obitum suum appellatus est. De hoc constat ex scriptis suis, quod motus hac apocalypsi S. Ioannis; & iis, quæ S. Paulus 2. Thess. 2. de ἀνόμῳ illo scribit; non modo summus Pontifex haberi, & dici noluerit: sed etiam quod Primus sibi nomen indiderit SERVI SERVORVM: & grauissime ex Apocalypsi, & illa epistola ad Thessalonicenses iam allegata Ioannem Patriarcham Constantinopolitanum, qui primatum in ecclesia adfectabat, atque summus Pontifex, & Papa dici voluit, refutauerit, dicens: hæc omnia de Antichristo, & non veris ecclesiæ pastoribus à Spiritu Sancto in verbo DEI expresse prædicta esse. Quin eidem Constantinopolitano Patriarchæ, vsurpanti titulum vniuersalis episcopi, eundem titulum solenni decreto ex cōsensu totius ecclesiæ Romanæ abrogauit, de quo vide Petrum de Natal. lib. 3. c. *192*.

Ac vtinam in neminem Christianorum, qui in nomen Sacrosanctæ Trinitatis baptizatus est, & in eam credit, & qui fidem præbet harmoniæ veteris, & noui testamenti, & immotis cum prædictionibus, tum comminationibus diuinis, hæc dici queant: quæ hic in Apocalypsi de degenere ecclesia prædicuntur: multo minus conspiciantur.

Illud tamen constat, multa quæ hic de horrenda illa bestia, & ciuitate Babylonica in Apocalypsi prædicuntur, in Turcico quoque imperio à Mahomete inchoato, & erecto conspici, vti in sequenti tabella conspicietur.

IMAGO CHRISTI ET ANTICHRISTI.



EXHIBITVRO mihi tabellam CHRISTI, & Anti christi visum fuit hic repræsentare sibi inuicem oppositos, Agnum, & Lupum ouili pelle indutum, ad demonstrandum illud, quod volo. Sicuti quiuis, qui nunquam vidisset viuum agnum, & lupum, nisi vtrumque pictum; & lupum quidem ouili pelle coopertum; si vtrumque videre viuum contingeret: subito quis agnus sit, qui lupus, agniturus sit: nec lupum pro agno, quamuis ouili pelle indutum, habiturus, multo minus inter oues introducturus. Ita & ego hic Messiæ imaginem à Moyse, & prophetis viuis coloribus depictam breui tabella propono: adeo vt lac lacti similius esse nequeat: quam huic depictæ imagini, viua imago CHRISTI Saluatoris nostri, in qua verus ille DEVS in carne manifestatus apparuit. Cæterum in Mahomete quoque multa esse impleta constabit, quæ de Antichristo Lupo illo, ouile CHRISTI vastante, & oues eius deuorante, prædicta sunt. Sed primo Messiæ à Moyse, & Prophetis prædicti tabella proponetur.

IMA-

IMAGO CHRISTI,

Qualis nimirum ea, à Moyse, & Prophetis depicta, vtque in eadem CHRISTVS *viua facie apparuit: ac proinde nullus alius Meßias expectandus, nisi qualis ad vltimum iudicium venturus, in breuißima tabella exhibetur.*

TEMPVS aduentus eius Iacob prædixit, futurum, antequam auferretur sceptrum à Iuda &c. Gen. *49*. v. *10*. Id factum.

Daniel *70*. hebdomadas, id est, *490*. annos ab edicto Cyri de ædificando templo, vsque ad passionem Messiæ numerat, & ita factum. Daniel. *9*. 24.

Signum aduentus eius. Debuit præcedere Ioannes Baptista in virtute Eliæ. Esa. *40*. *3*. Malach. *3*. *1*. id factum.

Locus natiuitatis, debuit nasci in Bethlehem Mich. 5. 2, id factum.

Parentes eius, Æternus æterni Patris Filius, Psal. 2. 7. & mater secundum carnem virgo esse debuit ex stirpe Dauid Esa. 7. v. *14*. cap. *11*. *1*. & ita semen mulieris debuit conterere caput serpentis. Gen. 3. *15*. factum ita.

Titulus Iacob eum nominat SILOH, Moyses Prophetam, Dauid Dominum, regem, & DEVM suum: Salomon, æternam Dei sapientiam, per quam omnia creata, & sponsum ecclesiæ; Oseas æternum Dauidem, c. 3. *5*. Isaias *9*. *6*. admirabilem, DEVM fortem, Principem pacis, Patrem æternitatis; Micheas 5. 2. ait, Exitum eius ab æterno esse: Ierem. c. *23*. v. *6*. vocat DEVM iustitiam nostram; Sophonias regem, & pastorem c. *3*. v. *15*. Ezech. *34*. v. *23*. Vnicum pastorem Dauidem; Daniel filium DEI, & filium hominis in nubibus venientem, c. *3*. *25*. & 7. *13*. Malachias c. 3. 1. Angelum fœderis. *Genes 49. 10 Deut. 18 15. 18. Ps. 110. 1. Ps. 24. 7 & 45 8 Prou. 8. 22 &c.*

Doctrina & miracula, Isa. cap. 35. *4*. & seq. c. *42*. *1*. & seq. Regnum eius cæleste, & æternum. Isa. *9*. *7*. & Daniel *2*. *44*. ait, eum destructis mundi regnis erecturum æternum regnum.

Aduentus Hierosolymam Regis huius, humilis super asinum Zach. *9*. v. *9*. factum ita.

Passio eius. Debuit tradi & 30. argenteis vendi, Zach. *11*. *13*. Vestimenta eius sorte diuidi, manus, & pedes transfodi Ps. 22. v. *19*. Isa. 53. 7. vt agnus ad mactandum duci, latus eius fodi, factum id omne.

Resurrectio eius describitur Ps. *16*. *10*. Non videre debet corruptionem. factum ita.

Ascensio ad cœlos, & sessio à dextris Psal. 47. *6*. & *110*. *1*. Facta. Missio Spiritus sancti, Isa. *32*. *15*. Ezech. *39*. *29*. Ioel. 2. 28. facta.

Iudicium vltimum Ps. *52*. 7. Isa. *62*. Daniel. 7. 13. expectatur.

Vita æterna cœleſtis. Iſa. 62. 65. v, 17. 18. 66. 22. Dan. cap. 7. v. 14. Hæc ab omnibus electis certa ſpe expectatur.

Vita incredulorum, infernalis æterna, quæ omnibus impiis extimeſcenda. Iſa 66. 24.

Ac cum omnia de CHRISTO promiſſa, & vaticinia completa ſint: Ergo & hæc vltima, veluti finis, & ſcopus præcedentium, complebuntur.

ANTI-CHRISTI TABELLA

Vbi demonſtratur, multa etiam in Mahomete impleta eſſe, quæ de Anti-chriſto prædicta ſunt:

De Romano enim P. nunc non diſputo.

TEMPVS aduentus eius, Anno 666. Apoc. 13. Id quod in Mahomete completum: qui eo ipſo tempore regni ſui auſpicia felicia cœpit.

Signum præcedens aduentum, apoſtaſia à fide Chriſtiana 2. Theſſ. 2. 3.

Locus Antichriſti, in vrbe ſepticolli iuxta mare. Apoc. cap. 17. v. 19. & 15. qualis eſt Conſtantinopolis.

Titulus eius, efferens ſe ſupra DEVM, 2. Theſſ. 2. 4. quod in Mahomete conſpicitur: qui ſe Dominum ab oriente in occidentem, à Septentrione ad meridiem; Regem regum nominat.

Doctrina, & miracula eius, cum omni fraude, & deceptione, & efficacia erroris in iis, qui pereunt 2. Theſſ. 2. v. 10. quam doctrinam, vel potius horrendas erga DEVM blaſphemias pallio veteris, & noui teſtamenti, ſibi de nouo à DEO dictati, priori reiecto, contegere, & ſui ſimilibus filiis huius ſeculi Epicureis, Sadducæis, & Atheis ex poculo iræ DEI, pelle agni veſtitus propinat. Verum quod lupus ſit: id ex depicta, & nunc declarata apparet imagine.

Regnum eius terreſtre, vti in Alkorano cognoſcetur.

Veſtitus eius, Apoc. cap. 17. v. 4. deſcribitur vbi ait Ioannes, ſe vidiſſe beſtiam illam rubra, & cærulea purpura veſtitam: & talis eſt aula Mahometica:

Cap. 38. & 39. Ruina eius, ſub clade Gogi, & Magogi Ezech. qui ruinam quidem patietur: ſed totaliter à ſolo illuſtri aduentu vltimo Filii DEI abolebitur.

HAR-

HARMONIÆ LVNARIS ET SOLARIS, ID EST, VETERIS ET NOVI TESTAMENTI, FIGVRA:



Sic vetus atq́, nouum coniungit gratia CHRISTI.

Matt. 8. v. 4 & c. 26. v. 5. 6 Luc. 16. v. 29. 31 Vetus eſt fundamentum noui: quia Moyſi, & Prophetis credendum.

Heb. 9. In veteri nouum latet.

2. Cor. 3. v. 13. 14 Illis in hoc ſub velata Moyſis facie gloria Domini tecta.

2 Cor. 3. v. 7 & 9 Hic ſpeculum peccati, & miniſterium mortis

Rom. 5. In hoc morbi hæreditarii à primo Adamo terreſtri, contracti, cognitio & terror mortis æternæ, & ipſa mors æterna

Rom. 7. v. 13 In hoc captiui peccati, ob debita Patris Adæ, & noſtra

Gal 3. v. 24 In hoc ſub pædagogo ceu ſerui & pueri

Hebr. 8. v. 4. & 5 Hi in exhibendum Meſſiam credebant.

Heb. 11. v. 13 Hi è longinquo terram typis promiſſam ſalutarunt.

Heb. 8. v. 5. c. 10. v. 1. Col 2. v. 17 Hic typi hic vmbræ.

Rom. 8. v. 15 2. Cor. 3. v. 7 Hic ſpiritus timoris, & ſeruitutis, & miniſterium mortis.

Heb. 3. & 4. & c 9. v. 23 & c. 10. v. 1 Moyſes terreſtria promittebat: ſub quibus tamen cœleſtia latebant

2. Petr. 1. v. 9 Prophetæ etſi illuſtrabant, & detegebant paulatim velatam Moyſis faciem: tamen lucerna horum in obſcuro loco lucebat.

He. 9. v. 22 Iudæi ſub velamine Moyſis nimis de reſtauranda Hieroſolyma ſoliciti erant.

Heb. 9. v. 8. 9 11. Vetus teſtamentum promiſſio noui.

In ve-

ui Testamenti.

Nouum eſt lux veteris. *Rom.10. v. 4. & ſeqq.*

In nouo vetus patet. *Ibid. & Heb. 9.*

Nos ceu in ſpeculo gloriam Dei contemplantes in eandem imaginem transformamur. *2.Cor.3.v.18*

Nobis ſpeculum gratiæ, & miniſterium ſpiritus. *ibid. & 2. Cor 3. v. 7.*

In hoc medicinæ à ſecundo Adamo cœleſti, qui eſt ipſe Dominus è cœlis, præparatæ patefactio, & antidotum, abolitâ morte, & vita in lucem prolatâ. *Rom.5.v.15 17.19. 1.Cor.15.v. 45.*

Hîc deleto chirographo obligatorio, & cruci ſuſpenſo, Christvs pro nobis ſoluit. *Col. 2.v.14. Gal. 4. v.5.*

In hoc hæredes, & liberi palàm declarati. *Gal. 4. v.7. 31. & c.3.v. 26.*

Nos exhibito fruimur. *1.Tim.3. v.16.*

Nobis cœli municipibus propior eſt ſalus, qui iam credidimus. *Ro.13.v.11. Phil.3.v.20*

Hîc res ipſa. *Heb 9.v.11*

Nobis ſpiritus adoptionis, fiduciæ, & lætitiæ, per quem clamamus Abba Pater. *Rom.8.v.15*

Christvs palàm, & apertè à terreſtribus ad cœleſtia nos auocat. *Phil.3.v.20 & 14 Col.3.v.1.*

At Christvs Sol ille iuſtitiæ, quæ in Moyſe, & Prophetis latitare ad aduentum vſque Meſſiæ debuerunt, ea radiis gratiæ luciditſſima fecit. * *Ioh 3.v.3. & 12 Matth.6.v. 20. *Mal.4.v.2*

Noſtra Hieroſolyma, & noſtrum municipium eſt in cœlis, vnde & ſeruatorem expectamus. *Heb.12.v.22 Phil.3.20.*

Nouum teſtamentum adimpletio veteris. *Luc.24.v. 44*

Gen. 49. v. 18. Mal. 3. v. 1. In veteri ſpes fuit CHRISTI in carne exhibendi.

Eph. 2. v. 14 & ſeqq. Pſal. 76. v. 2 Olim paries intergerinus. DEVS enim in Iudæa tantùm notus fuit; exceptis proſelytis inter gentes, tùm manifeſtè ad populum DEI vocatis, tum DEO notis.

ATQVE ITA VNA FIDES FVIT,

conſummationem

Gen. 1. v. 1. 2 Item c. 3. v. 14. & 15. c. 11. v. 7 c. 18. v. 2. 3 Pſal. 33. v. 6 Eſa. 6. v. 3. In veteri Teſtamento ſacroſancta Trinitas IEHOVA ille ELOHIM manifeſtauit ſeſe primis parentibus in creandis illis, & lapſis tum puniendis, tùm erigendis: In confuſione turris Babylonicę: in conuiuio cum Abrahe: deinde per Dauidem, & Prophetas clarior factus: cui angeli canunt SANCTVS, SANCTVS, SANCTVS.

Meſſiam promiſſum, credebant Patres, futurum verum DEVM, & verum hominem, non titularem DEVM, vt blaſphemi Arriani, & Sociniani nugantur. Gen. *32. 28.* & *30.* apertè DEVS dicitur. & Exod. 3. *2.* & 4. Pſal. 45. v. 7. & 8. Eſa. 7. *14:* & *9. 6.* & *25. 9.* & *35. 4.* & *43. 11. 12.* & *40.* 3. Ierem. 33. 15. 16. Oſeæ 1. 7. & c. 12. v. *4.* & 5. Zach. 2. v. 3. Mal. *3.*

Eſa. 25. 9. & c. 64. v. 2 In veteri teſtamento populus DEI, præter typis ſibi adumbratum Meſſiam, verum DEVM, & hominem, nullum alium redemtorem agnoſcebat, nec apud DEVM pro ſe interceſſorem; vt Eſaias inquit; Abraham vos non nouit: ſed tu Iehoua redemtor noſter.

Eſa. 43. v. 27 c. 64. v. 10. Iob. 15. v. 15 Ier. c. 23. v. 6 In veteri teſtamento populus DEI cum noſſet, omnes in Adamo lapſos, & omnem ipſorum iuſtitiam eſſe inſtar panni menſtruis commaculati: imò ne ipſos cœlos quidem coram DEO mundos eſſe, ideo omnem ſuam IVSTITIAM in promiſſo MESSIA Theanthropo collocabat; nominans EVM, IEHOVA IVSTITIA NOSTRA.

Deut. 7. v. 6 1. Reg. 8. v. 53 Pſ. 132. v. 13 In veteri teſtamento populo DEI etiam altior cauſa ſalutis noſtræ, nimirum æterna in CHRISTO omnium ſaluandorum electio, patefacta eſt, ſic, vt Moyſes, Dauid, & Iſaias etiam libri vitæ meminerint.

In vete-

In nouo fides eſt ob manifeſtatum in carne DEVM. 1.Tim.3.v.16

Nunc rupto pariete intergerino, factus eſt DEVS omnium gentium; fide in CHRISTVM ſibi inſeruientium. Eph.2.14

ET EST, ERITQVE VSQVE AD mundi.

In nouo teſtamento verus DEVS manifeſtauit ſeſe in baptiſmo CHRISTI: ab ipſo CHRISTO deprædicatus: per miſſionem Spiritus Sancti in Apoſtolos illuſtrior factus. In cuius vnius DEI nomen in baptiſmo verum homagium fidelitatis iuramus: quem in ſymbolo Apoſtolico profitemur; & in quem credimus. Matth.3.v.16.17 Act.2.v.4 17 Matth.28.v 19 2.Cor.13.v.13 1.Ioh.5. v.7

In nouo teſtamento hoc ipſe CHRISTVS de ſe, & eius Euangeliſtæ atque Apoſtoli clariſſimè teſtantur, CHRISTVM Theanthropon eſſe. Matth. 1.23. & 3.3. Marci 1.3. Lucæ 3.4. Ioh.1.14. Rom. 14.11. Actor.4.12. & 20.28. Rom.9.5. 1.Cor.2.8. Gal.1.12. Phil.2.6. Coloſſ.1.15.19. 1.Tim.3.16. Tit.1.3. & 2.13. 2.Pet.1.3. 1.Ioh.5.20. Apocal.21.7.22.

Hoc quoque CHRISTVS, & Apoſtoli eius vbique, & clariſſimè docuerunt. Ioh.3. v.14.15.16 Ioh.1. v.29 & ſeqq. 1.Cor.8.v.6 1 Tim.2.v.5 Act.4.v.12

In nouo teſtamento hoc idem CHRISTVS, & Apoſtoli docent. Luc.17.v.10 Rom.3. v.4 10. & ſeqq. & v.22. & c.5.v.1 * Matt.22.14 Ioh.15.v.16 Ioh.17.

* Hæc doctrina à CHRISTO, & omnibus eius Apoſtolis, & inprimis à S.Paulo quam dilucidiſſimè explicata eſt: Ne quis glorietur, niſi in ſolâ DEI gratiâ, & miſericordiâ ex mero DEI beneplacito. Rom.5.v.11 2.Cor.1.v.31 Eph. 2.v 9 Rom.11.v.5 1.Pet. 1.v.2.3

Iob.12.v.9 10 In veteri testamento populus DEI firmiter credebat: quæ Moyses, &
Psal.33.v.13 14 Prophetæ de æternâ DEI prouidentia, mundum, & omnia; quæ in mundo
Esa.43.v.2 3.& c.45.v.7 sunt regente, & ad finem â se destinatum dirigente, docuere.

Dan.2.v.21
Ps.9.v.17

Hebr.9. In veteri testamento populo DEI per multa sacrificia adumbrabatur vnicum CHRISTI sacrificium.

In veteri testamento licet multæ essent ceremoniæ, CHRISTVM ad-
Gen.17.v.11. umbrantes: tamen duo tantùm Sacramenta à DEO illis instituta sunt, cir-
Exo.12.v.2 cumcisio, & Pascha: in quibus administrandis nefas fuisset hisce typis, & sigillis fœderis, & gratiæ Dei quidquam addere, aut adimere: idque sub priuatione earum rerum, quæ illis per hos typos, & per ista sigilla à Deo offe-
Iere.4.v.4. rebantur. Etenim circumcisio designabat cordis circumcisionem, & Pascha beneficiorum, & gratiæ Dei per Messiam populo Dei præstandæ κοινωνίαν: vnde S. Paulus ait, Patres in veteri testamento etiam in CHRISTO spiritualem cibum, & potum habuisse. 1. Corinth. 10. vers. 3. 4. & cap. 5. v. 7.

Esa.66.22 In veteri testamento populus DEI de resurrectione mortuorum à
c.65. v.16.17.18. Moyse, & prophetis edoctus subleuabatur; post has miserias spe vitæ æter-
Iob.19.v.25 næ consequendæ, ad possidendam veram terram promissam, & cœlestem
Esa.26.v.19 Hierosolymam: in quam verus Iosua CHRISTVS eos introducturus erat.

In ve-

Hæc eadem à CHRISTO & Apostolis clarissimè omnibus proposita sunt. Matth. 10. v. 29. Eph. 1. v. 11. Act 17. v. 25. 28.

In nouo testamento sublatis omnibus istis sacrificiis, nullique potestate datâ erigendi alia, docet Apostolus ad Hebræos, vnico CHRISTI sacrificio semel in cruce peracto, consecrari in perpetuum eos, qui sanctificantur. Vnde iam non modò typos veteris testamenti euanuisse: sed nullos alios ἀντιτύπους erigendos: multò minus quotidiè CHRISTVM offerendum constat. Hoc enim semel fieri debuit. Quare particulam ἅπαξ octies Apostolus inculcat, & expresse ait: si CHRISTVS quotidie offerendus esset: oportuisset eum sæpè pati à condito mundo: sed vnà oblatâ victimâ consedit ad dexteram DEI. Heb. c. 10. v. 10.

In nouo testamento omnes cæremoniæ veteris testamenti sublatæ sunt, & loco circumcisionis baptismus institutus est: qui non est ablutio sordium externarum: sed sacramentaliter abluimur sanguine CHRISTI: per quem pauci fideles, sicuti in diluuio, quod fuit etiam typus baptismi, saluantur. Sic cœna Domini dicitur ab ipso CHRISTO nouum fœdus, seu testamentum in sanguine suo: & à S. Paulo κοινωνία seu communicatio corporis, & sanguinis CHRISTI: quam κοινωνίαν nobiscum Patres in veteri testamento reipsa parem, sed typis diuersam habuisse S. Paulus 1. Corinth. 10. v. 3. 4. demonstrat. His duobus Sacramentis veluti sigillis exhibitæ gratiæ DEI in CHRISTO, & testamento CHRISTI nihil addendum, aut adimendum esse, S. Paulus ad Galatas docet: monstrans exemplum in homine testatore; Cuius si quis testamentum mutaret, siue quoad mentem testatoris, siue sigilla; exhæredaretur. Quanto verò magis in cœlesti hæreditate idem continget? Act 15. v. 10. 11. Matth. vlt. v. 19. 1. Pet. 3. v. 21. Matth. 26. v. 28. 1. Cor. 10. v. 16. Gal. 3. v. 15.

De hac resurrectione, & corporum nostrorum glorificatione CHRISTVS & Apostoli clarius quoque loquuntur. Matth. 22. v. 31. Matth. 13. v. 43. Phil. 3. v. 21. 2. Tim. 1. v. 10.

Esa.13. v.8
Esa.14.v.11
Es.66.v.24

In veteri testamento populus DEI edocebatur de vltimo iudicio, de præmiis fidelium DEI, & de pœnis infidelium, quorum ignis non extinguetur, & vermis non cessabit.

Esa.10.v.6
Ezech.c.38 & 39
Dan. 11. & 12.

In veteri testamento, sicut à Moyse, & Prophetis CHRISTVS prædictus; sic etiam falsus Propheta venturus descriptus: quem Esaias c.10. HYPOCRITAM nominat, Ezechiel Gogum & Magogum, & Daniel in Antiocho pingit, & adumbrat.

Deut. 12. v. 32. & c.6. v. 6.7.8.9. c.11 v.18.19
Ios.1. v.8

In veteri testamento populus DEI credebat extra scripta Moysis, & Prophetarum nihil pro reuelato DEI verbo habendum.

Psal. 1.

In veteri testamento Patres, Reges, & populus edocebantur à Moyse & Prophetis: vt assiduè legem DEI meditarentur.

Deut. 12. v. 32

In veteri testamento, idem DEI populus, sub grauissima comminatione admonebatur: ne quid ad legem DEI adderet, aut ei adimeret.

2.Reg. 17. v. 13.14
Esa.48.v. 18
Esdr. 9. c.11 & seqq.

In veteri testamento populus DEI docebatur: omnes gentes, quæ reuelato hoc DEI verbo non regerentur, esse absque DEO.

In ve-

Etiam hæc omnia à CHRISTO, & Apoſtolis clarius explicantur. 1. Theſſ. 4. v. 17 Matth. 22. v. 30. & c. 25. v. 34

In nouo teſtamento iſta adhuc lucidius à CHRISTO, & Apoſtolis explicantur. Et S. Ioannes ait, iam ſuo tempore multos fuiſſe Antichri- 1. Ioh. 2. v. 18 ſtos: ſed qualis futurus ſit magnus ille Anti-chriſtus, in ſuâ apocalypſi, & S. Paulus 2. Theſſal. 2. deſcribunt. Item S. Petrus graphicè falſos Prophe- 2. Pet. 2. v. 1. tas, & vltimos omnium promiſſionum DEI irriſores deſcribit. Quæ ſanè c. 3. v. 3. de Anti-chriſto prædictio, quod & in Mahomete in multis ſit impleta, ſupra dictum eſt.

In nouo teſtamento Paulus ad Galatas ait; Etiamſi angelus nedum Gal. 1. v. 8. 9 homo quiſpiam, aut ipſe Paulus, aliud Euangelium euangelizaret, extra 2. Pet. 1. v. 21 id Euangelium, quod à Paulo fuit euangelizatum, & quod ad nos DEI immenſâ gratiâ fideliter ſcriptum, & incontaminatum peruenit: eſſet ANATHEMA futurum.

In nouo teſtamento CHRISTVS ipſe, inquit; ſcrutamini ſcripturas: & Ioh. 5. v. 39. Paulus legentes ſcripturas, ait, reddi ſapientes ad vitam æternam, quæ eſt in 2. Tim. 3. v 15 CHRISTO IESV.

In nouo teſtamento CHRISTVS ipſe in mandata, & traditiones humanas Matth. 23 grauiſſimè inuehitur, & nos adhærere verbo DEI, iubet. Idem faciunt Apo- Luc. 11. à v. 39. vſq; ad fi. ſtoli eius. Et S. Paulus prædicens Anti-chriſtum 2. Theſſ. 2. ait eum ἄνομον, 2. Theſſ. 2. v 3. 4. 8 id eſt, exlegem fururum: ita vt reuelato euangelio CHRISTI non regatur, ſed legibus à ſe inuentis, quibus ſupra DEVM, i. e. VERBVM eius efferetur, præferendo ſuas traditiones expreſſo DEI verbo.

In nouo teſtamento CHRISTVS ait: qui Moyſi, & Prophetis non cre- Marci 16. v. 16 dunt, nullâ præditos eſſe fide: & multo magis, qui CHRISTO, & euangelio Luc. 16. v. 31 CHRISTI non credunt, eſſe ἀθέους, id eſt, abſque DEO. Eph. 2. v. 12.

Esa. 59. v. 21 Ezech. 36. v. 27. Deut. 30. v. 11. 12. 14. In veteri testamento populus Dei docebatur: Hoc verbum Dei per Moysen, & prophetas reuelatum nullâ humanâ auctoritate, sed solâ Dei potentiâ, & virtute in cordibus fidelium confirmari, plenâq; auctoritate obsignari: Infidelium autem esse signum, teste Moyse, dicere: quis ascendet in cœlum aut infernum: vt veritatem verbi Dei confirmet.

Ps. 18. v. 29. Ps. 36. v. 10. Mal. 3. v. 20. De his omnibus populus Dei, quamquam obscurius, sub Moysis velamine, & lucernâ propheticâ edocebatur: vt appareret differentia gratiæ Dei, exorto promisso Messia, Sole illo iustitiæ.

De hac pulcherrimâ Spiritus Sancti in veteri, & nouo testamento harmoniâ sat in hac tabellâ dictum est: & hæc omnia in Horologio meo Lunari, & Solari, & speculo veteris ac noui testamenti fusiùs explicantur.

Cæterùm hanc ipsam pulcherrimam Spiritus Sancti in veteri, & nouo testamento harmoniam, & immotam Dei veritatem, cœlo terrâque firmiorem, quomodo S. Martyres morte suâ confirmarint: Synodi, & Concilia orthodoxa publicè promulgarint: S. Patres scriptis suis contra hæreticos tutati sint; iucundum est in actis martyrum, conciliis & scriptis Patrum cognoscere. At hæc prolixissima sunt, & ea legendo euoluere laboris plurimi: siquid à veteri, & nouo testamento, & vtroque diligenter cum strenuis Beroënsibus conferendo vacuarum horarum foret: nec cuiusuis est tales labores perferre, eorum præsertim, qui ex professo non sunt Theologi. Itaque recurrendum ad breuia doctorum virorum de his omnibus compendia: deinde ex his Patres, in difficilioribus, consulendi potius, quàm integri legendi.

Edidit medullas Patrum Abrahamus Scultetus vir doctissimus, quod hactenus à nemine præstitum. Cuius pulcherrimum de sacrâ scripturâ, & Patribus legendis iudicium, quod in præfatione auctoris extat, hîc annotare vtilissimum duxi.

In nouo

In nouo testamento CHRISTVS ait. Oues meæ vocem meam audiunt, & eam cognoscunt: mercenarii verò non audiunt. Sic S. Petrus ad CHRISTVM, inquit, quò à te ibimus: cum verba vitæ æternæ habeas? Sic S. Paulus verbum DEI nominat, odorem bonum vitæ ad vitam electis. Et S. Ioannes inquit: qui credit in vnigenitum DEI filium, habet testimonium in seipso. Item S. Paulus, in omnibus suis epistolis, fideles CHRISTI ad solum DEI verbum legendum, meditandum, & secundum id viuendum deducit: ne fides nostra in hominibus sed in DEO consistat.

Ioh. 10. v. 27. Ioh. 6. 68. 2. Cor. 2. v. 15. 16. 1. Ioh. 5. v. 10 Rom. 10. v. 8. & seqq. 1. Cor. 2. v. 5 & 2. Cor. 1. v. 24. Gal. 3. v. 26.

In nouo testamento etiam sub Sole iustitiæ CHRISTO cernimus omnia sicuti per speculum: sed depositâ mortalitate, & conformati capiti nostro CHRISTO, quilibet suis gradibus, membrorum CHRISTI proportione, erimus ei similes & videbimus DEVM à facie ad faciem.

2. Cor. 3. v. 8 Phil. 3. v. 21. 1. Cor. 15. à v. 40. vsque ad 50. Apoc. 22. v. 4.

» 1. Scripturam, inquit, sacram à DEO, scripta Patrum ab hominibus profecta: illam perfectam, hæc imperfecta esse.

» 2. Scripturæ sacræ nos credere propter se, Patrum scriptis propter consensum cum illâ.

» 3. Nefas esse, prouocare à manifestis S. scripturę testimoniis ad scripta doctorum ecclesiæ.

» 4. Alio fine legenda esse scripta Patrum, alio verbum DEI. Hoc, vt habeat fides, in quo in tentationibus acquiescat: illa, vt externo doctorum ecclesiæ consensu internum Spiritus sancti de veritate euangelicâ testimonium roboret: historiam ecclesiæ cognoscat, piis sanctorum hominum exhortationibus ad verum DEI cultum inflammetur, & condoleat næuis in doctrinâ Patrum, non autem ipsos imitetur.

Adiungatur quoque liber in octauo Amandi Polani, cui titulum fecit, Symphonia Patrum, & Conciliorum: & Perkinsi problema eiusdem argumenti. Extant etiam aliquot pagellæ in quarto, omnium Conciliorum, auctore D. Chytræo, & Pappo, & Daniele Tossano.

Item prodiit harmonia præcipuarum confessionum, quæ à temporibus Caroli V. Imperatoris, ex præcipuis Europæ regnis, & prouinciis confessioni Augustanæ conformes prodiere. Nec intermittatur diligens lectio Wittakeri de Verbo DEI libri: itemque eius, quem Dominus Philippus Mornæus, vir Nobilissimorum & Illustrium doctissimus de Veritate religionis Christianæ, edidit. Qui sanè liber ab omnibus, & Catholicis, & Euangelicis religionem Christianam amantibus, & Sacrosanctam Trinitatem profitentibus, & gentium Deos fictos contemnentibus, non sine admiratione legitur.

ALKO-



ALCORANI FABVLARVM SYNOPSIS, ET BREVIS REFVTATIO earundem.

CVI

ALII TRACTATVS ADDITI, vti ſupra in diſpoſitione primæ Partis circuli conſignatum eſt.

MAHOMETIS EFFIGIES

Quem Ezech.c.38.v.2.& 39.v.1.Gogum & Magogum, & Esa.c.10. v.5.Assurum vocat, quem DEVS in gentem hypocriticam immittet.



ISAIÆ 10. à verſ. 5. vſque ad 17.

VÆ Aſſyrio virgæ iræ meæ, quamuis in manu baculus eſt indignationis meæ. In gentem hypocriticam, immittam ipſum: & contra populum, in quem excandui, dabo mandata ipſi: vt prædetur prædam, & vt diripiat rapinam, denique vt diſponat illum conculcationi, tanquam lutum platearum. Ipſe verò non ita ſibi proponit, & animus eius non ita cogitat: ſed perdere eſt in animo ei, & exſcindere gentes non paucas. Nam dicit, nonne principes mei pariter Reges ſunt? Nonne vt Carchemis eſt Calno? nonne vt Arpad Chamath? annon vt Damaſcus, Schomron? Quemadmodum aſſecuta eſt manus mea regna Idolorum ſuorum, quorum ſculptilia præſtabant diis Ieruſchalaimorum & Schomronis. Annon quemadmodum feci Schomroni & idolis eius, ita facturus eſſem Ieruſchalaimis & terricolis eorum? Atqui futurum eſt, cum perfecerit Dominus totum opus ſuum in monte Tzionis, & Ieruſchalaimis; animaduertam in fructum inſolentis animi regis Aſſyriæ, & in ornatum elationemque oculorum eius. Quia dixerit, virtute manus meæ feci & ſapientiâ meâ, quòd prudentiâ inſtructus ſim, ideò amoui terminos populorum; etiam inſtructiſſimos eorum depredatus ſum, & deieci, vt potentiſſimus, inhabitatores. Imo aſſecuta eſt tanquam nidum manus mea, nidum opulentiæ populorum, & quaſi reciperem oua derelicta: totam terram ego recepi, neque eſt, qui agitet alam, aut aperiat os, aut pipiat. An gloriabitur ſecuris contra cædentem ipsâ? an ſe magnificabit ſerra contra agitatorem ſuum? Quaſi verò agitaret virga eum, qui tollit ipſam, quaſi attolleret baculus, an non lignū eſſet! Idcircò immittet Dominus, Dominus ipſe exercituum in pingues eius maciem, & loco gloriæ eius ardebit ardor ſimilis ardori ignis. Erit enim lux Iſraëlis pro igne, & ſanctus illius pro flamma, quæ incendet & conſumet vepres eius & ſentes eius eodem die.

Item Iſaiæ 42. v. 24.

QVis exponit proculcationi Iahakobum & Iſraëlem diripientibus? nonne Iehoua? Hic eſt, cui peccauimus: non enim acquieuerunt, vt in viis eius ambularent: neq; auſcultauerunt legi eius.

PRÆFATIO IN ALKORANVM: QVOMODO HANC IMMOTAM DEI VERITATEM ET HARMONIAM Veteris, & Noui Testamenti SATAN in fabulis Alcorani commutare tentârit.

Mahomet sibi ipsi duce Satanâ illudit.

QVOD scriptura sacra ait de Ismaële: eum in ipsa pueritia cæpisse illudere DEO, & hominibus; & persequi fratrem suum Isaacum: & quod de Esau testatur: eum primogenituram suam (quæ fuit typus vitæ æternæ, & nostræ in Christo electionis, & regenerationis) pulmento permutasse: idem in Mahomete conspicitur: qui se ex semine Ismaëlis, tanquam primogeniti, & legitimi filii Abrahæ ex legitimâ huius vxore Sara, & non ex ancillâ Agar natum fabulatur. Idem in Mahomete impletur, quod ab Esaiâ cap. 10. 6. DEVS contemptoribus verbi sui minatur: cum dicit: in gentem hypocritam immittam Assurum: qui est virga iræ meæ: & mittam ipsum contra populum, vt ipsum prædetur, &c. Quæ sanè deprædatio, intelligenda est vtroq; modo, & spiritualiter, & corporaliter.

Mahomet ex cœlesti hæreditate, suo ipsius testimonio eiiciendus.

Gal. 4. v. 30.

Etenim promissionem illam, de benedicendis omnibus gentibus in semine Abrahami, & Isaaci factam vt illudat scienter DEO, ait factam esse Ismaeli. Vbi Diabolus Mahometi illudens, partim vera, partim mendacia illi, non tam persuadens, quàm dictans deducit eum eò: vt verè in eo impleatur, quod Moyses & S. Paulus de Ismaele aiunt: eiice filium ancillæ; non enim erit hæres.

Alkorani fabulæ quales, & quo fine scriptæ?

Hinc in suo Alkorano, qui cōtinet 105. Azoaras, id est, capita, nullo prorsus seruato ordine siue historiæ, siue rerum, quæ tractantur, Chaos quoddā fabularum, non arte ad delectandum hominē, & ad fidem illis adhibendā compositarum consarcinauit: sed impudentissimas, & nullis seculis auditas mendaciorum hyperbolas, ceu vomitus horrendos, omnia stercora fœtore superantes, eiecit: & suis organis, quibus CHRISTVS est offendiculum, stultitia, & fabula, vt & Euangelium eius odor mortis, deuoranda exhibuit: neque tam dulcia palato eorum apparauit, quàm ad atheismum ducentia: dum cum Sergio, Monacho Arriano, figmentis suis hoc vterque egêre: vt spargentes absurda, absurdorum absurdissima, impudentissima proferrent, & spurcissima mendacia: imò in Mahomete, & Sergio, Diabolum, qui mendax ab initio fuit, seipsum penè superasse, & mendacia ea adhuc deridere

(quòd

(quòd tantam efficaciam erroris in his, qui pereunt operata sint & operantur) dixerim.

Certè à condito mundo nullæ gentes, etiam quæ dæmones coluêre, hoc tentarunt, vt scilicet scientes, & contra propriam conscientiam Deo vero illuderent: & verbum eius reuelatum in fabulas transmutare conarentur. Solus Mahomet tentauit, proles illa Arrianorum, & Ismaelis: qui secundum carnem natus est, & non secundum promissionem vitæ æternæ, teste S. Paulo ad Galatas, in Christo factam. ad Gal. 4. v. 30.

Quare hodierni Turcæ aiunt: ideo priscos Saracenos, licet Mahometi doctrinæ ipsi quoq; adhæserint: & eorum Dux Mahometes quoque fuerit: diuinitus à Selymo Turcarum Imperatore secundo Anno 1512. exstirpatos: vt promissio illa de benedicendis omnibus in semine Ismaelis, & conseruaretur, & propagaretur. Qui ergo satan organis & seruis suis per Mahometē illudere commodiùs, & eos pro spuriis, ad quos vitæ æternæ hæreditas non spectat, declarare potuisset? Ac verè puto, iusto Dei iudicio Saracenorum nomen desiisse: ne organa illa Satanæ falsò gloriarentur: se ex Sarâ progenitos: licet carnalis genealogia nihil ad salutem conferat. Voluit tamen Devs hæc fieri: vt cùm hodierni Turcæ Ismaeliticâ, & progenie, & benedictione gloriantur: eius quoq; ex voto suo fierēt participes. Sic Mahomet ait, Turcas Deo charissimos, & omnes Alkorano obtemperantes in vltimo Dei iudicio collocandos à sinistris: eo quod sinistrum latus apud Devm in maiori sit honore: ob quod Turcæ nunc omnes honorem alicui in sessione aut deambulantes vel equitantes exhibituri, sinistram partem offerunt.

Cur Saraceni ab Agarenis deleti, Testimonia Turcarum ridicula & blasphema.

Vera causa cur Saraceni deleti.

Mahometani suo ipsorū iudicio sinistrum latus in vltimo Dei iudicio obtinebunt.

Atq; sic Diabolus deludens Turcas deducet eos, vt sistantur à sinistris, cum omnibus reprobis coram tribunali Christi: vbi facti compotes voti sui videbunt; quem blasphemo suo ore contra scientiam & conscientiam, peccando contra Spiritum S. pupugerint. Sed non est mei propositi nunc historiam Mahometis, & progressum eius posterorum commemorare: hoc enim alii fecēre: inter quos Io. Leunclauius præ omnib. meo iudicio palmā obtinet. Prodiit etiam ex Bibliothecâ Palatinâ exiguus libellus in octauo, anno 1595. ex græco in latinum conuersus: cui titulus est: Saracenica, siue Mahometica; quem ego omnib. commendo: vtpote cuius quoq; fragmenta apud Patriarcham Constantinopolitanum vidi: in quo multę extant fabellę, quę in Alkorano non reperiuntur: sed quas Turcæ adhuc pro suis agnoscunt. Quare non est, vt dixi, mei propositi singulas fabellas Alkorani, & extra Alkoranum, quibus Turcæ loco interpretationis vtuntur, congerere: siquidem fabulæ horum tam multæ recitantur: vt sint instar cloacæ alicuius fundo carentis, & perpetuò nouis & fœtidissimis stercoribus scaturientis: ex quib. quò plus exhaurias eò maius incremētum capiunt. Quod ad ritus autem corū attinet, in religione exercendâ & incredibilē Satanæ hypocrisin;

Historici quidam rerum Turcicarum.

Fabulæ Alkorani quales?

quâ secundum externam speciem se Angelicam vitam agere simulant; siquidem quatuor penè annos Constantinopoli commorando cum Turcis αὐτόπτης testis horum omnium fui,& de iis cum Turcis contuli : id sanè aliquâ ex parte ; ea breuitate, qua potui in meo, vernaculâ linguâ conscripto Anti-Alkorano à me præstitum est. Itaque nunc saltem in tabellâ quadam gustum aliquem lectori in hoc generali meo opusculo diuersarum materiarum,quas in hac synopsi tracto, exhibere volui : idque præcipuè,eò vt demonstrarem Socinianos esse genuinam Arrianorum,& Mahometis sobolem:vel potius ab Arrianis progenitos Mahometanos;atque ex hoc egregio Arrianorum cum Mahometanis in conflando Alkorano,inito coniugio,tanquam viperas ex ouo Basilisci incubante Satanâ prodiisse Socinianos nostræ tempestatis, de quibus infrà dicetur.

Sociniani qualis sobo-les.

TABEL-

TABELLA BREVIS EXTRACTA EX ALKORANO MAHOMETICO, DOGMATVM, ET ABOMINATIONVM fraude, & dolo confictarum.

Alkoran Mysterium iniquitatis, cuius lectio plebeis interdicta, ne fabulæ innotescant.



DE ALKORANO, QVÆ IN EO ἀταξία, ET QVA FRAVDE, ET DOLO CONſcriptus ſit.

Alkoran lingua Arabica antiqua conſcriptus.

PRimo ſciendum; Alkoranum, qui & Alphurkan dicitur, lingua antiqua Arabica à Mahomete, & Sergio Monacho Arriano cõſcriptum; quæ ab hodierna vulgarique Arabum lingua tantum differt: quantum nunc Latina ab Italica, aut Gallica, aut Hiſpanica. Vnde non modo hodierni Arabes, quod ipſemet ab illis audiui, ſed ne Turcæ quidem Alkoranum legere, & quæ in eo continentur, cognoſcere poſſunt: ſiquidem prohibitum eſt: ne in linguam Turcicam transferatur, exceptis quibuſdam exiguis compendiis: in quibus precationes eorum, & ritus quidam continentur: quibus appendunt corollas, globuloſque precatorios: quos ad certum numerum demittentes, & numerantes cultum precandi ſeſe peragere putant. Et talia compẽdia cum corollis ſuis, pulcherrimis è purpura capſulis inuoluta apud pleroſque milites Turcicos, etiam eos, qui legere non norunt, reperies: quæ tamen melioris fortunæ cauſa geſtare ſeſe dictitant. Ita Satan, ſicuti ab initio mundi veritatis, & præceptorum DEI inimicus extitit, & ea, quantum in ſe fuit, hominibus obſcurare, & hos à legendis, & obſeruandis illis auocare conatus eſt: imo ſi fieri poſſet è rerum natura verbum DEI purũ ſublatum voluit: Sic celare voluit Turcas illam potentem efficaciam erroris, quæ cum omni fraude & dolo à Mahomete propinata eſt iis, qui pereunt: ne cognitis tam horrendis deceptionibus eas forte reſpuerent.

Lectio Alkorani Turcis interdicta.

Preces per corollaria à Turcis demurmurata.

Cauſa cur lectio Alkorani Turcis interdicta.

In Alkorano nullus ordo rerum, & temporum.

Cæterum ſciendum; Alkoranum nullo ordine rerum aut temporum, ſed tanquam centonem miſere conſutum, & compilatum eſſe, dum non ſecus, atq; rabie, ectaſi, aut vertigine actus in omnibus pene capitibus identidem iterando, horum alicuius, vel Adami, vel Abrahæ, vel Salomonis, vel ipſius Chriſti & reſurrectionis & paradiſi, aliquando etiam omnium ſimul mentionem facit: & ſæpe nouas adducit de illis fabellas, etiam prioribus ſuis plane contrarias.

Mahomet ſuas in Alkorano blaſphemias quomodo cõtegere nititur.

Ac vbi quam ſpurciſſima, & fœtidiſſima profert, ea tanquam impuriſſimus canis ſtercora ſua poſterioribus pedibus puluere terrę cooperire, & ſepelire nititur: dum exclamat de operibus DEI, de omnipotentia, & miſericordia, atque iuſtis DEI iudiciis in puniendis malis; vbi ſæpe ipſa prophetarum verba immiſcet: imitans in hoc nigromãticos: qui exorciſmos, & coniurationes ſuas omnes aliquibus ex Euangelio dictis condiunt, & crucis figura hinc inde pingunt: cum tamen hoſtes ſint infenſiſſimi tum Euangelii tum crucis CHRISTI, non fictæ illius aut pictæ, ſed veræ crucis, quæ illis eſt ſtultitia, nobis autẽ ſapientia, & potentia DEI ad ſalutem. Id vero in meo Anti-Alkorano Bohemico, demonſtraui: in quo per ſingula capita eo ordine, quo

ne, quo Alkoranus conſcriptus eſt, excerpſi breue compendium: & ſimul contra compoſitum iſtud venenum rudioribus breuiſſima quoq; antidota ex immoto verbo DEI, & Harmonia veteris, & noui teſtamenti exhibui. Nunc ergo vt prætercam confuſum illud Alkorani Chaos: præbebo lectori guſtum: quomodo Satan in Alkorano præcipuos articulos fidei noſtræ deprauare conatus ſit: conſignatis in margine capitibus: vbi hæc, quæ ſcribo, in Alkorano quærenda ſint.

DE ALKORANO SVO QVID MAHOMET STATVAT; ET QVIBVS TESTIMONIIS PRO vero DEI verbo probare nitatur.

PRohibet, ne quis de eo diſputet: ſed vt ei citra diſquiſitionem, cur hæc ita Cap. 5.
ſint, aut eſſe queant, fidem quiuis adhibeat. Conqueritur de Iudæis Cap. 9.
& Chriſtianis: quod vetus & nouum Teſtamentũ deprauarint: itaq; ſibi, &
ſuo Alkorano credendum. Neq; habendũ hunc pro fabulis, aut Mahometẽ 14.
pro nigromantico: cuius rei eum nonnulli inſimulent. Ac nullũ eſſe homi- 20.
nũ mortalium, qui poſſet non modo Alkorano huic ſimilẽ ſed ne vnũ quidẽ
caput conſcribere, excepto ſolo DEO: qui hoc ſolus præſtare poſſet, non ho-
mo aliquis. Eſſe apud DEVM certũ librũ, in quo DEVS, quæ vult, ſcribat; quæ 23.
vult deleat. Alkoranum datum gentib. ad illuminandas eas. Itaq; nulla alia 24.
ſcripta legẽda, ac ne quidẽ Pſalmos Dauidicos. Cur a. Alkoranum Arabice, 26.
& non Latine, quo & ab aliis legi poſſet, cõſcripſerit, cauſam eſſe: quod ſci-
uerit: Latinos, qui doctiores, & ſapientiores omnib. aliis videri, & haberi vo-
lunt, eum non acceptaturos: itaq; Spiritum ſanctum ipſi lingua Arabica di-
ctaſſe: & ſe per Spiritum Mecham translatũ hoc nomine in cœlos, raptumq;
fuiſſe. In Alkorano tantã perfectionem eſſe, & tanta DEI myſteria: vt ſi in
vnum omnes homines, Angeli, & Diaboli operas ſuas conferrent; eos nihil 27.
ſimile præſtituros, & cõſcripturos eſſe, certum ſit. Nec obſtare, quod incre-
duli petant, Alkoranum à Mahomete miraculis cõfirmari: cum id ei datum
non ſit: vt pote qui non angelus, ſed homo eſt: quare fundendas ad DEVM
ab incredulis preces: vt Alkorano abſq; miraculis credant: ſiquidem Maho- 36.
meti à DEO traditus ſit, & non à Diabolo compoſitus; vti increduli ei obiici-
unt. Fateri ſe quidem, Alkoranum ſibi noctu exhibitũ ſed non à Satana: ve- 54.
rum ab ipſo DEO, vtpote qui eum propria ſua manu conſcripſerit. Et id verũ 55.
eſſe, iureiurando affirmat: hæc non eſſe à ſe conficta: quinimo tantæ effica- 56.
ciæ eſſe Alkoranum; vt per eum ipſimet Diaboli ſaluari queant. Ac iurat per
calamum, & per ſcripturam DEI; ſe eſſe verũ DEI legatum, non nigroman-
ticum. Se ſæpe in cœlos raptum, & cum DEO collocutum: atq; ab eo tem- 78.
pore omnibus aliis cœlum clauſum eſſe. Sibi Mahometi tria nomina data, 81.
in cœlo, Ahmet, in paradiſo Aboaltrazim, in terra Mahomet. 99.

I.

DE DEO.

20. Deo proprietates corporales adſcribit: vt qui circumſcriptus, & finitus ex loco in locum transferatur: hunc certo tempore omnes homines in vnam nauim congregaturum.

II.

DE CHRISTO.

1. Fatetur, Chriſtum ex virgine Maria natum, & ex Spiritu Sancto conceptum. Cui DEVS partem animæ, & virtutis ſuæ impertitus ſit; & qui omnium aliorum prophetarum clariſſimus fuerit, excepto ſolo Mahomete.
4. Chriſti natiuitatem Angelum Mariæ prænunciaſſe: Chriſtum in ſua pueri-
5. tia ex limo terræ volatiles confeciſſe aues: ſurdos, cæcos, & omnis generis morbos ſanaſſe, mortuos excitaſſe, non ſua ſed virtute DEI: quia DEVS non fuerit; eo quod DEVS ſocium non patiatur.
11. Quare conqueritur de Iudæis, quod Chriſto reſtiterint: qui tamen non Chriſtum, ſed alium Chriſto ſimilem cruci adfixerint: Chriſtum quippe fuiſſe duntaxat legatum DEI: Nec potuiſſe eſſe DEVM; cum cibo & potu vſus
12. ſit. Chriſtum itaque non eſſe adorandum; nec Mahometi maledicendum; ſub pœna gehennæ. Chriſtum cum ſanguinis fluxu natum; ſubito matrem
29. ſuam Virginem Mariam allocutum, & illam conſolatum eſſe: quin etiam
33. præmonuiſſe; quod propheta tantum ſit, non filius DEI. Virgini Mariæ peculiarem locum in cœlo præparatum: & eſſe ſeptem cœlos, in quibus, ſi Chriſtus DEVS eſſet: fore, vt ibidem exorirentur bella. Falſum itaque eſſe, DEVM filium, aut ſocium habere. Chriſtum prædixiſſe aduentum Mahometis. Et ante Mahometem, neque Iudæos, neque Chriſtianos veram DEI cognitionem habuiſſe.

III.

De creatione Hominis.

1. Adamum initio creationis plus nouiſſe quàm Angelos: cui cum flexis genibus angelus Beelzebub honorem deferre nollet, eum pulſum eſſe ex paradiſo: atque ob illud Adamum, & Euam ab eodem ſeductos eſſe. Cæte-
65. rum, homines creatos ex vmbra, quam Ezelkal Arabice nominat.

IV.

De Angelis.

45. Se vidiſſe Angelos habentes tres, & quinque alas volitantes. Angelos
84. DEI quoque eſſe cuſtodes gehennæ.

V. Beel-

V.

Beelzebub ex paradiſo pulſum eſſe: quod honorem Adamo deferre noluerit: ideo verò Satanam hoc feciſſe, quia præſtantiorem ſe illo, vtpote ex igne creatum: & Adamum ex terra eſſe dicebat. Inferni ſeptem portas eſſe: & Beelzebub DEVM oraſſe: ne ſe nunc affligeret: ſe enim eos, qui fideles futuri ſint Mahometicæ doctrinæ, non ſeducturum. Vnde diabolos quoque per Alcoranum ſaluandos eſſe ait. Ac inducit DEVM per diabolos iurantem: & ait, in inferno triplicem quandam nebulam eſſe.

17. 25. 56. 87.

VI.

De incertitudine ſalutis.

Non timendum, quod Chriſtiani ſpargunt: DEVM aliquos ſibi eligere, reliquos verò negligere & reiicere. Siquidem nemo hominum ſciat, an amore vel odio DEI dignus ſit. 82.

VII.

De purgatorio.

In purgatorio homines ad certum tempus purgandos eſſe tam bonos quàm malos. Sed bonos inde egreſſuros. Atque hoc purgatorium igneum futurum. Vnde inducit animas in purgatorio DEVM orantes; vt mitiget illis pœnas.

5. 29. 29. 64. 76.

VIII.

De paradiſo & vita æterna.

In paradiſo futuras omnis generis voluptates, comedēdo, compotando: inprimis coeundo cum pulcherrimis fœminis: ita enim vlterius Mahometi verba Azoara 54 ſonant; Vos increduli Alkorano comedetis ex arbore, cui nomen eſt Ezekma: quæ vos intrinſecus velut ignis vret: & extrinſecus ſupra vos circumquaque aduret. Vos autem Alkorano fideles, ibitis in pulcherrimos hortos amicti pulcherrimo veſtitu: vbi ſunt ſcaturientes aquæ, vbi pulcherrimæ puellæ, oculis claris, altis & nigreſcentibus vobis dabuntur, & omnis generis dulciſſimi fructus. Et fidelium Muſulmannorum (ſic enim Turcæ ſe vocant) liberos portaturos illis dulcia vina. Et ibidem in Paradiſo futuram altiſſimam turrim: in cuius medio fideles habitabunt; imo autem infideles includentur.

1, 23, 24. 28. 62. 67.

IX.

De resurrectione.

Huius pene in omnibus Azoaris suis, cum nihil habet quod fingat, men-
20. tionem facit: & ait, animam cum corpore interire, & cum corpore resurre-
cturam.

X.

De inferno.

28. Condemnatos in inferno, loco potus lachrymas suas bibituros.

XI.

De vltimo iudicio.

37. Ait, ipsa animantia accusatura homines in die iudicii: & falsissimum es-
77. se, quod Iudæi dicunt; Deum amplius mundum aqueo diluuio non puni-
turum: siquidem mundus ante vltimum aduentum per diluuium purgan-
80. dus sit. Qui vltimus aduentus demum post 50000 annorum sit subsecutu-
rus. Quanquam, Patres Mahometani, interpretes Alkorani aiunt; vltimum
diem elapsis quingentis millib. annorum venturum. Cęterum quandiu iam
mundus steterit, non norunt: & rectè; cum hæc Deus soli Ecclesiæ suæ re-
uelare voluerit.

HISTORIA PATRVM, ET PATRIARCHARVM EX VETERI TESTAMENTO in fabulas conuersa.

HAs commemorare in hoc compendio meo, cum tam multæ & pro-
3. lixæ sint fabulæ, mihi visum non est: saltem quasdam attingam. Is-
maelem Isaaco præponit; & ait, in Ismaele promissionem factam a Deo de
benedicendis in eo omnibus gentibus. Abrahamum, cum ante cen-
4. tum annos mortuus esset, è mortuis fuisse excitatum. Et eum Mecham
6. fundasse. Coruos Caino maledixisse; quod Abelum fratrem suum inter-
12 fecerit. Cum Iosephus renueret coire cum vxore Potipharis; eam coram
22. illo pudenda sua denudasse: & nolente Iosepho illi morem gerere, dixis-
se, quòd sit angelus. Sodomitas cum cognoscerent, ignem super se de-
26. lapsurum; ædificasse sibi subterranea ad habitandum loca. Moysen na-
28. uigantem in mari naufragium passum; & in mari mirabiles cepisse pisces.
30. Aaronem in deserto conflasse taurum, instar viui mugientem. Abraham
relicta idololatria reseruasse sibi vnum idolum, quod cum in ignem pro-
iectum

iectum esset refrigeratum ignem fuisse, & nihil nocuisse idolo. Lotho 31.
& Dauidi pias auiculas subiectas fuisse : Salomoni obtemperasse, & ventos subterraneos, & diabolos, per quos miracula fecerit. Ionam ex horrendis tenebris eductum esse. Salomonem intellexisse cantum omnium 37.
auium, imò omnia animalia, & vermiculos; & auem vpupam ad reginam Sabæ cum literis suis semper misisse.

Sed ne excrescat opus compendii huius, desino reliqua commemorare. Ex vngue enim huius Draconis facile cognosci potest; quam horrendus Satan Veteri & Nouo Testamento illuserit. Etenim nullum pene caput est, vti supra dixi; quin aliquam mentionem horum sanctorum Patrum hic impostor faciat : præterit verò omnes alios, excepto Pharaone; cuius quoque persæpe meminit, cum ei nihil aliud occurrit.

LEGVM QVARVNDAM POLITICARVM IN ALKORANO PERSCRIPTARVM spicilegium.

Bella cum Christianis assidue gerenda, & decimæ dandæ Ecclesiasticis, 6.
ex spoliis : qui interierit in bello, eum subito translatum iri in paradisum. Non disputandum de Alkorano : vitandos eos, qui de eo dispu- 7.
tant. Mulieres à quouis ali posse secundum possessum, aut pro modo 8.
facultatum, & permutari; modò non sit id lucri, sed amoris causa; alias peccatum esse. Adulteras, & viro infideles includendas; donec Deus, qui est misericors, illarum misereatur. Mulieribus lectum ad vi- 9.
ros ingressuris, & ex eo egressuris præcipit : pudenda sua vt lauent aqua, & in defectu aquæ puluere illinant. Iuramenta seruanda : quæ si quis ne- 13.
cessitate vrgente violauerit; pœnæ loco, vel captiuum liberet, vel triduo ieiunet, vel decem pauperibus prandium det.

Qui bellum gerens contra Christianum aufugerit; eum dæmones per- 18.
secuturos. Peregrinationes sæpe versus Mecham instituendas. Adulte- 19.
ro centum plagas baculo infligendas : & qui falso adulterii fœminam ac- 34.
cusauerit; eum octuagesies baculo feriendum. Mahometi, & eius posteris à Deo permissum, non habito respectu sanguinis; posse cum quauis 43.
propinqua sua carnaliter cohabitare. Ex omnibus facultatibus 73.
id quod optimum est, Mahometi attribuendum.

PATRVM SECTÆ MAHOMETANÆ DECLARATIONES IN ALKORANVM, & ſupplementa, quæ Turcæ inſtar Catecheſeos habent.

ALkorano Latino ex lingua Arabica conuerſo, cui Lutherus, & Philippus præfationes præfixere, adiuncta ſunt tria quædam à Mahometanis ſupplementa aut declarationes, quarum breuem ſummam ponam.

I.

DE GENEALOGIA MAHOMETIS.

Mahometem, qui eſt caput omnium Prophetarum, Adamo, initio creationis promiſſum eſſe, & de eodem, Enocho, & Noacho angelum Gabrielem, & multas legiones aliorum angelorum prædixiſſe; cuius anima ante omnem creaturam primo creata, & in cælis aſſeruata ſit, vſque ad natiuitatẽ eiuſdem Mahometis: qui ex promiſſo ſemine Iſmaelis natus eſt: in cuius facie fulgor maieſtatis Iſmaeliticæ refulſit. Hanc quoq; lucem in arca Iſraelitica aſſeruatam fuiſſe; & in facie eorũ, ex quibus Mahomet prodire debuit, conſpectam fuiſſe: & in patre Mahometis, cui nomẽ eſt Abdalmudhalibah ipſo ſole clariorem conſpectam fuiſſe; denunciante Elephante patri natiuitatem filii Mahomet. Porrò, Mahometẽ die Veneris, qui eſt Turcis dies Solis, natum eſſe: & quidem ex eadem luce, quæ ante omnes res creatas apud DEVM ſubſiſtebat. Eo nato, apertas fuiſſe portas Paradiſi; idola concidiſſe; Luciferum in mare præcipitatum: deinde poſt 40 dies, cum vix inde emerſiſſet, aufugiſſe in montem Cobeps: ibiq; conuocatis aliis diabolis, lamentatum eſſe ob natiuitatem Mahometis; qui homines ad vnam fidem, & vnum Deum ſit deducturus. Matrem eius in partu nullos ſenſiſſe dolores. Omnium regum thronos nato illo concidiſſe: angelos ei miniſtraſſe, & tres claues illi datas de terreſtrib. infernalibus, & cæleſtibus rebus. Omnes creaturas æmulatas eſſe, vt eum alerent, & ei inſeruirent: ex eius ore radios lucis vſque ad cælum fulſiſſe: eumque portaturam aſinam eidem ad genua procidiſſe, & beatam ſe dixiſſe, quòd portatura eſſet ſigillũ omnium prophetarũ. Deinde Mahometem matri à tribus angelis ereptum, & in altum montem deportatum: viſcera ei exempta, & partem fætoris, quam Satan ibi habuit, ablutam: ſicque diabolum à Mahomete expulſum.

II.

II.

DIALOGVS QVIDAM, IN QVO IVDÆORVM LEGATI AD MAHOMETEM MISSI, HÆC mysteria, quæ sequuntur, ab eo didicêre.

DEum quatuor fecisse suis propriis manibus, 1. Paradisum. 2. Arborem Thubæ. 3. Adamum. 4. Tabulas Moysis. Atque hæc Mahometi per angelum Gabriel patefacta esse. Deum tres Secretarios habere, nimirum Archangelos, Michaelem, Gabrielem, Saraphaelem: & coram DEO quatuordecim candelas semper ardere: quarum vnaquæque longitudine sit quingentorũ annorum peregrinationis. Vltimum diem venturũ elapsis 50000 ann. à ieiunio Moysis. Hominem creatum esse ex bulla maris. Cuilibet homini duos angelos in humeris insidere, vnum bonum, alterum malum, & hos omnia hominum facta scribere. DEO quoque in cœlis suas tabulas esse, & quidem Smaragdinas: calamum verò, quo omnia in istis tabulis scribuntur, esse longitudinis quingentorum annorum peregrinationis. Cœlum ex vaporibus & fumo creatum: cœlos esse septẽ, & intra quodlibet cœlum esse spatium quingentorum annorum peregrinationis. Solem & Lunam habere animas, & esse fideles DEO: & Lunam eò obscurius lucere, quod alis Gabrielis præteruolantis læsa fuerit. Stellas catenis in cælo alligatas esse. Deum à septem animalibus portari: quæ tantæ magnitudinis; vt auis volando ab vna aure vnius animalis ad alteram, vix mille annis iter absoluere possit. Viam ad primum cælum esse quingentorum annorum longitudinis. Arborem prohibitam in paradiso fuisse triticum. Diabolos prius creatos fuisse, nempe septem millibus annorum, quàm bonos angelos: & creatis bonis angelis à Deo deinde Adamum creatum mille annis pòst. Tria creata esse absque semine; Adamum, Christum, & arietem Abrahami. Angelum, cum educeret animam Moysis, noluisse eam per os educere; eò quod Moyses legem Dei promulgasset: nec per aures, quibus Deum loquentem audiuisset, nec per oculos, quibus Deum spectasset: sed per nasum. Tempore diluuii Mecham, & Hierosolymam in altissimos montes à Deo translatas fuisse. Terram per ignem in cineres redactum iri, qui diluuio abluentur. Sub terra in loco infimo esse taurum, cui sint quadraginta cornua: & auiculam vix intra mille annos posse volando ab vno cornu ad alterum pertingere. Paradisum futurum in quodam pisce, cui nomen Albebuth; & in hoc pisce, & infernum, & cœlos collocatum iri. In paradiso corporales voluptates futuras, & in primis cum pulcherrimis fæminis, & puellis: & qui primi in paradisum veniunt, his dari ad manducandum epar piscis Albebuth, deinde lautiores cibos. Stellam Luciferum dictam fuisse antea angelum, qui ob concubitum cum filia Noe in stellam conuersus sit.

X

Deum ante vltimum iudicium id mandaturum, vt omnis creatura, & homines & angeli, & diaboli ab angelo Adriele interficiantur: qui deinde se quoque interficiet, & cum tanto eiulatu morietur: vt ad ipsius clamorem mundus contremiscat: quo mortuo, mundum inanem futurum per quadraginta annos. Deinde Deum excitaturum è mortuis angelum Zeraphielem, habentem tubam longitudine quingentorum annorum itineris: & congregata circa Ierusalem omni creatura cum hominibus, hos in sudore suo, ad se purgandum, per quadraginta annos nataturos: deinde Deum cum sanctis suis comparriturum. Incredulos Alkorano venturos ad Noachum, Abrahamum, Moysen, Dauidem, ipsumq; Christum; vt intercedant pro sese apud Deum: Sed tale ab omnibus his habituros responsum: vt ad Mahometem eant. Quo facto, cruentissimum bellum inter militiam cœlestium & infernalium exurget: in quo mors interficietur, & in arietem commutabitur: vbi vix tertia pars hominum sanabitur.

III.

Ridicula Mahometanorũ chronologia. Tertia Alkorani declaratio patrum Mahometanorum, continet quandam Chronologiam: vt suppleant id, quod in Alkorano deest: in quo sicut nullus ordo rerum, & materiarum: ita nulla tempora nec anni à mundi creatione extant; & meritò: quia hæc Deus soli Ecclesiæ suæ patefecit.

Vera Chronologia soli Ecclesiæ Dei nota. Ita ergo supputant annos. Ab Adamo vsque ad Noachum elapsos annos *1242*, & inde ad Abrahamum 1080. Et inde ad Moysen *515*, & inter Moysen, & Adamum *569*, & inter Christum & Mahometem *620*. Summa annorum vsque ad Mahometem *5426*.

Atque sic patres conscripti Mahometani Alkoranum, in quo anni omissi sunt, supplere volebant: additis *855* annis. Et alibi audiui à Turcis, eos pene vno ore adfirmasse, plusquam *12000* annorum a condito mundo elapsa esse. Hanc Chronologiam hisce fabellis claudunt. Virginem Mariam post mortem Christi quinto anno mortuam, anno ætatis *62*, & mandante angelo Gabriele quinquies pro Adamo, & Zetho Deum deprecatam esse. Numerum Prophetarum fuisse *1020*, & omnium librorum 104; ex quibus Zetho 50 datos, & Moysi legem, Christo Euangelium. Mahometi verò tamquam sigillo omnium prophetarum Alkoranum dictatum esse; & Mahometem natum esse ex promissione Adamo facta, ex quadam luce, quæ duobus millibus annis apud Deum ante Adamum fuerit: & quæ lux tanquam per successionem quandam in facie Mahumetis tandem apparuerit. Quo exhibito, angelos, Seraphinum, & Gabrielem Mahometi *29* annos, loco custodum, & tutorum inseruiisse.

Alcoranum Mahometi intra spacium quatuor annorum dictatum fuisse: cum idem Mahomet ab angelo Gabriele in cœlum raptus esset; deinde Me-

de Mecham venisset, Alkoranum omnibus gentibus publicasse; eumque ense, iubente Deo, propagasse: Cæsares & reges sibi subegisse; atque deinde anno ætatis 6; ex palpitatione cordis mortuum esse.

Habes iam, Lector, gustum impudentissimarum totius Alcorani, & interpretum eius fabularum, quæ fundo carent: vtpote cum ipsimet Turcæ, & priorum illarum fabularum multas ignorent, & nouas quotidie comminiscantur. *Fabella Mahometis fundo carent.*

Ita præpotens est illa efficacia erroris: cum Satan abductos homines à verbo Dei, in quasuis etiam horrendissimas fabulas (quas ipsimet prudentiores Turcæ derident) deducit: colligentes inde: sicut ipsorum Alcoran ex fabulis est cōpositus: ita vetus quoq; & nouum Testamentū ex mendaciis conflatum esse. Ac vt monstrem non esse finem fabularum Turcicarum, vnum loco conclusionis huc addam: Nempe qui ordo obseruatus fuerit olim à Græcis super iis, qui à Mahometanis ad fidem Christianam se conuerterant. Id quod Lector reperiet quoque adiunctum tractatui qui opera Friderici Sylburgii ex Bibliotheca Palatina anno 1591 prodiit: cui titulus est Saracenica siue Mahometica. Ita autem ex Græco in Latinum sonat; cum hac inscriptione, quam Græci adfixere. *Ad quem finem in Alkorano tanta fabula scripta.*

ORDO QVI OBSERVATVR SVPER IIS, QVI A SARACENIS AD NOSTRAM Christianorum puram, veramque fidem se conuerterunt.

PRimum is, qui ad rectam fidem accedit, ieiunat ad duas septimanas: doceturq;, nobis a Domino nostro Iesu Christo in diuinis sanctisq; Euangeliis traditam precationem, & sacrum fidei symbolum. Deinde Sacerdos sacerdotalem sibi stolam circumponens, in baptisterium, præsentibus etiam aliis fidelibus, quotquot adesse voluerint, accersit illum, & ante sanctam piscinam eum retecto capite statuens, ad ipsum ait; Tu ille, qui a Saracenis hodie ad Christianorum fidem accedis; non vi aliqua, vel necessitate, neque dolo aut simulatione, sed toto animo, corde puro, ac sedulo, Christum Christique fidem amante (dic) Renuncio toti Saracenorum religioni: anathematizoque Moamedem, qui & Muchumet dicitur: quem Saraceni vt Dei Apostolum, & Prophetam honorant. illoque assentiente, eademq; verba dicente, vel per se, vel per interpretem, si ipse Græcè loqui nesciat, vel per susceptorem suum, si est puer: rursum sacerdos infert sequentia: iterumq; fit responsio ad eundem modum. Totoq; anathematismo completo, diaconus ait, A Domino petamus, & populus; Domine miserere; & quæ sequuntur, & post Amen, eum signans dimittit, & die insequente annumeratur catechumenis.

Est autem anathematizatio Saracenorum talis.

Ego ille, qui à Saracenis hodie, ad Christianorum fidem accedo, non vi aliqua, vel necessitate, neque dolo, aut simulatione; sed toto animo, corde puro ac sedulo, Christum Christiq; fidem amante: renuncio toti Saracenorum religioni: anathematizoq; Moamedem, qui & Muchumet dicitur: quem Saraceni vt Dei apostolum, & prophetam honorant. Anathematizo Alim, Moamedis generum; & Chanasen Chusenenq; filios eius: item Apupeker, qui & Cubiker dicitur, & Vmar & Talchar, & Apupacren Paducen: itē Maërie, & Zupeer, & Adellan, & Zeït & Szit, & Saiten, & Vthman, & reliquos omnes symmystas, adiutoresq; ac successores Moamedis. Anathematizo Zadoze, & Aile, & Zetheinep, & Omkelthin, primas cæterisq; scelestiores Moamedis vxores, & Phatman filiam eius. Anathematizo eum, qui Curam dicitur: summam videlicet seu scripturam Moamedis: quam fingit sibi per Archangelum Gabrielem cælitùs delatam esse: omnemq; doctrinā, ac legum instituta, narrationes apocryphas, mysteria, & traditiones, ac blasphemias eius. Anathematizo paradisum Moamedis, in quo dicit, quatuor esse fluuios ex aqua turbari nescia, lacte natiuam dulcedinē non mutāte, vino suaui, & melle defecato: & venturo illo die, quem quingentis annorum millibus circumscribit, Saracenos cum mulieribus suis in eo vitam acturos, carniq; & affectib. suis indulturos: & sub vmbra quarundam arborum, quæ vocantur Sedre, & Talech, comesturas carnes auium, quas concupiscūt; omnisq; generis fructus autumnales; ac bibituros è fonte Caphura, & è fonte Zingiber, cui nomen Salsabila: vinumq; potaturos, cuius crama seu mistura hausta sit è fonte Thesnim: eorumq; staturas cælum proceritate sua tacturas, virorum pariter membra & mulierum (genitalia) quadragenum cubitorum fore; & absq; satietatis tædio coituros in conspectu Dei: propterea (inquit) quia Deus pudore nō afficitur. Anathematizo eos, qui à Mahomede nominantur angeli, Arath, & Maroth, Vzapha, & Marua: quos in venerabilibus Deo esse prodigiosè fabulatur. Adhæc etiam eos, qui fabulosè ab illo prædicantur Prophetæ, atq; Apostoli, nempe Chud & Tzaleth, siue Salech, item Synaip, & Hedres, Dualkiphil, & Locman. Anathematizo omnia Moamedis testimonia, quotquot è veteris Testamenti scriptura citat; peruertens eam atq; adulterans: & innumera spargens mendacia de Noe, Abrahamo, Isaaco, Iacobo, Iosepho, Iobo, Moyse, Aarone, Dauide, Salomone, Elia, Iona, & Zacharia Ioannis patre. Anathematizo etiam omnia, quæ barbara inscitaque physiologia, & de cæteris Dei creaturis, & de sole ac Luna fabulatur, caballarios esse dicens. Anathematizo apocrypham illam apud Saracenos doctrinam, & promissionem Moamedis: quæ dicit eum futurum esse Paradisi clauigerum, & in eum introducturum esse septuaginta millia Saracenorum iustorum: at peccatores a Deo iudicatum iri; appensisque ad colla eorum pittaciis; ita & ipsos in Paradisum intraturos esse.

ros esse, ac Moamedis libertos nominatum iri. Anathematizo leges à Moamede latas de matrimoniis, & matrimoniorum solutione: de mæchã-tium mulierum purificatione; de vxorum & pellicum numero, omnemq; de talibus impuram eius doctrinam. Anathematizo Moamedis blasphemiam: qua dicit; DEVM, quem vult in errorem impellere, &, quem vult, in bonam viam ducere: &, si DEVS vellet, non inter se bellaturos homines: sed ipsum facere, quod vult, omnisq; boni pariter, & mali auctorem ipsum esse: tum Fortunam, & Fatum obtinere in omnibus. Anathematizo Moamedis futilitatem: quæ dicit; Dominum, Deumque nostrum Iesum Christum, è Maria Moysis, & Aaronis sorore absq; semine natum esse (conceptum) de verbo ac Spiritu DEI; & cum adhuc infans esset, volucres è luto finxisse, inflatuque suo animantes eas reddidisse: sed & cæcos sanasse, mortuos excitasse, Apostolorumque rogatu à DEO petiisse, &, mensa è cœlis deducta, eos aluisse: neque crucifixum aut reuera mortuum esse vt hominem, sed imaginarie solummodo hæc ab Hebræis passum esse, & interrogatum à DEO, an se DEVM in mundo nominarit, negasse, ac dixisse: Tu omnia nosti, & scis; quod non nominatim me DEVM, aut filium tuum. Sum enim seruus tuus, nec ita superbus sum, vt sic vocari detrectem. Anathematizo Moamedis doctrinam: quæ dicit, Christum non esse filium DEI, sed Apostolum, & Prophetam: quoniam (inquit) DEVS communionis socium non habet: & omnes, qui Christum ei communionis socium dicunt, in gehenna ignis punientur. Anathematizo Moamedis fabulam, in qua dicit, DEO domum precationis ab Abrahamo, & Ismaele structam esse in Bacche, siue Make, aut Makech, quam nominat adoratorium obseruationis: imperatq; vt vbicunque sint ac precentur, facies suas ad illam partem conuertant. Anathematizo etiam ipsam illam precationis domum in Make: in cuius medio iacere aiunt lapidem magnum, Veneris effigiem in se habentem: honorari autem istum lapidem: quasi Abraham super eo cum Agare coierit; aut Camelum ei alligauerit, cum Isaacum sacrificaturus erat. Eos autem, qui precatũ illuc eunt, alteram manum ad lapidem extendere, altera vero aurem suam tenere; atque ita in orbem sese circumagere: donec è vertigine offusis tenebris concidãt. Anathematizo etiam ipsum Make, & totum eius ambitum: & qui à Saracenis ibi contra Christianos iactantur, septem lapides; omnemque ipsorum precationem, cultum ac rituum solemnia. Anathematizo Moamedis doctrinam de Camelo fœmina; quam, cum DEO sacra esset, ab eius temporis hominibus, occisam fuisse dicit, & DEVM propterea illos vltum esse. Anathematizo eos, qui matutinum sidus, siue Luciferum, & Venerem adorant: quam Arabum lingua Chabar, id est, Magnam nominant. Anathematizo omnia Moamedis instituta, in quibus probra Christianis dicens, Negatores, Communicatores, & Sodalitiarios eos nominat; ac Saracenos ad

eos truculenter iugulandos concitat: bellum contra Christianos Viam Dei nominans: & Saracenos, qui in tali bello moriuntur, Dei filios, & Paradiso dignos vocans. Anathematizo scelestum & impurum institutum Moamedis de precibus: in quo & hoc apponit: vt, si non in promptu inueniant aquam, tenuem humum capiant, eaq; manus ac facies suas fricent. Anathematizo Moamedis doctrinam de fictura hominis: in qua dicit hominem ex humo, stilla sanguinis, & materia manducata fictum esse: & cum homo fictus esset, cæteros quidem Angelos omnes Dei iussu eum adorasse: at solum Belialem non obedisse, vt eum adoraret.

Et præter hæc omnia, Anathematizo Devm Moamedis, de quo dicit: eum esse vnum Devm solidum: qui nec genuerit, nec genitus sit, nec quempiam ei similem extitisse. Prædicta igitur omnia, ipsumque Moamedem, & solidum eius Devm Anathematizo: ab eoq; me abiungo, & coniungo me cum solo vero Deo Christo, & credo in Patrem, Filium, & Spiritum sanctũ, sanctam coëssentialemq;, & inseparabilem Trinitatem: & è Diuina dispensatione profectam incarnationem, atque ad homines aduentum vnici vnigenitiq; Sanctæ Trinitatis Filii, & verbi Dei; qui è Patre ante omnia secula genitus est, & per quem omnia facta sunt: certoque persuasum habeo, hunc vere hominem factum esse, non deposita tamen diuinitate sua: eundemque vere Devm esse, & vere hominem, absque vlla confusione, mutatione, alteratione; in vna persona, & duabus naturis; voluntarie quoque omnia passum esse, & crucifixum carne: ita tamen, vt diuinitas passionis expers manserit: sepultum etiam esse, ac tertia die resurrexisse, atque sursum in cœlos assumptum esse: & rediturum esse in gloria ad iudicandum viuos, & mortuos. Ac virginem illam, quæ secundum carnem eum peperit (nempe) sanctam Mariam virginem, quæ & post partum virgo mansit, proprie vereque Deiparam, & credo & dico: vereque matrem Dei, inter homines in humana natura versati: & propterea per (Dei) gratiam omnis creaturæ dominam heramque factam, adoro & honoro. Quæque apud Christianos mystice sacrificantur, panem ac vinum, quæ etiam in diuini ritus peractione (ab eis) sumuntur; persuasum habeo, credo & confiteor, reuera Domini Iesu Christi corpus, ac sanguinem esse, transmutata (videlicet) diuina illius potentia: idque mente, & non oculis perceptibili, omnemque naturalem cogitationem superante modo; quem ipse solus nouit: atque ita & ego me illa cum cæteris sumpturum assentior: vt quæ vere caro & sanguis eius sint, & ad animæ corporisque sanctificationem, vitam æternam, regnique cœlestis æternitatem adipiscendam sumantur ab illis; qui ea fide perfecta participant. Sanctumque Christi baptisma, puro seduloque animo, & corde, ac fide sincera, accipere desidero; certe ac vere persuasum habens, illud mente perceptibilem purifi-

catio-

cationem esse, animique pariter & corporis regenerationem. Sed & venerabilem crucem eiusdem veri Christi, DEIQVE nostri, vt quæ non amplius corruptionis, & exsecrationis, sed libertatis, & vitæ æternæ instrumentum, victoriæque aduersus Diabolum ac mortem signum sit; præterea & venerabiles imagines & (Salutiferæ) illius DEI verbi apud homines in carne apparitionis, & eius quæ infallibiliter istud peperit, castæ virginis, DEIQVE matris, diuinorumque angelorum & sanctorum omnium, vt primitiuorum symbola, & accepto, & honoro, atque exosculor.

Sed & ipsos sacros Angelos, sanctosque omnes, qui bene DEO placuere, vt seruos illius fidosque ministros, propter honorem illi habitum, honoro & veneror: atq; ita toto animo, & corde, veroque animi proposito ad Christianorum fidem accedo. Si vero cum simulatione, ac dolo hæc dico; & non ex solida totius animi fide, Christumq; amanti corde: sit mihi anathema, animaque mea collocetur cum Satana & dæmonibus.

Atq; ita finitur anathematismus, conuersis ad fidem Christianam à Græcis præscriptus. In quo etsi Græci quoque suos næuos demonstrarunt: attamen quia in sacrosancta Trinitate puri extitere, condolendum est & condonandum illis ob secula tunc apud illos mirifice perturbata: in quibus pene non lex, non propheta fuit. *Græcorum næui in religione.*

Sed ad Turcas redeo: quorum in hoc anathematismo multæ commemorantur fabulæ: & quidem eæ, quæ tunc celeberrimæ, & in ore omnium Mahometanorum, tanquam summa mysteria, & salutis ipsorum fundamenta erant; quæ tamen neque in Alkorano neque in supplementis eius reperiuntur. Hinc facile apparet, id quod non semel dixi, fabulas Mahometanas fundo carere: & nouis quotidie monstrosis fabulis ceu ex cloaca quadam Satanæ scaturire. *Mahometanorum fabulæ infinitæ, & quæ quotidie augentur.*

Vnde nunquam in vita mea maiori tædio quippiam perlegi, quam fabulas Alkorani: nunquam cum maioribus Atheistis mihi disputatio, quam Constantinopoli cum Apostatis fuit.

Cæterum, ritus, & ceremonias Turcarum quod attinet: cum eas in meo Anti-Alkorano Bohemico consignauerim: remitto eo meos Bohemos: sed interea hæc pro aliis breuiter innuam.

Turcas vno capite in religione sua regi; quod caput Muftii appellant: qui in hoc vnicum saltem intentus est: vt præstando externis Ceremoniis obedientiam, nemo de Alkorano disputet. Ter orant de die, & bis noctu. Terram osculantur, quod sit mater eorum: DEO gratias agunt: quod viri sint nati, & non mulieres. Absolutis orationibus bonum & malum Angelum salutant: illum vt custodiat se, hunc ne noceat. In templis eorum, cum sacra sua peragunt; omnia plena sunt lampadibus: *Muftii summus sacerdos Turcarum.* *In religione eorum ritus.* *Preces.* *Templa.*

Sancti & patroni horum. abluuntur & conſperguntur aqua. Quot caſus humani ſunt, tot pene ſanctos & patronos fictos ſuos in cœlis colunt: Vigilias pro mortuis inſtituunt; *Ieiunia.* ieiunia inſtituentes de die non edunt nec bibunt: cæterum totam noctem *Libidines.* edendo, bibendo, ſaltando, libidines exercendo conſumunt. Libidines enim exercere nullum eſt peccatum; niſi quis proximi ſui concubinas ap- *Orationes. Mores.* petat. In orando dixeris angelos, non homines eſſe: mores quoque externi compoſiti ſunt: non inebriantur: nulla inter illos ſunt duella: nec arma por- *Diſciplina.* tant plebeii, niſi tempore belli. Diſciplina ſeueriſſima, & inde obedientia ſumma: leuiora inobedientiæ peccata verberibus per arundines, grauiora *Obedientia.* ſtrangulatione puniũtur: eſt ibi homo homini DEVS. Decurio ſuis pro libitu imperat: Decurioni centurio, centurioni Beeg, Beegis Santzchanbeegi BeeglerBeegi, his Baſſæ, Baſſis Badeſcha, id eſt Imperator: cuius leges ſunt, ſic volo, ſic iubeo; atque huius legibus etiam ſummus ſacerdos eorum Muſty ſubiectus ſit neceſſe eſt: ſiquidem illum, & creat, & deiicit, quando vult.

Poſſeſſiones. Nemo quicquam terreſtrium iure aliquo hæreditario, aut iure feudali ordinario poſſidet: ſed cuilibet ſecundum vocationem certi Timari, id eſt reditus adſignantur; Baſſis regna; aliis prouinciæ, aliis ciuitates, aliis oppida, aliis pagi: quæ illi poſſident, & quibus imperant ad libitum Imperatoris. Hinc facile eſt Turcarum Imperatori bellum gerere: dum quilibet propriis ſumptibus cum numero ſibi præſcripto, quem ſuis reditibus, ſemper alere cogitur, comparere tenetur. Adeo vt non ſit opus Imperatori ſtipendia militibus perſoluere, exceptis ſuis Ianitſcharis, & aliis aulæ ſuæ officialibus: nec opus comitiis ad contribuendos nummos, cum omnia ſint Cæſaris. Vnde perſæpe inſtar nummi arithmetici ex ſummo loco in infimum, & ex infimo in ſummum tranſponuntur; & qui ita deiiciuntur, dicuntur Maſul.

Licẽtia carnis vinculũ obedientiæ Turcicæ & victoriarũ. Et talia militibus, & plebeiis perplacent: inprimis licentia illa carnis, & religio cõflata ex Iudaica, Chriſtiana, & Ethnica: adeo vt facile ſit Mahometanis mundum ſibi permundum ſubigere, & inprimis per illam carnis licentiam. Vnde quæcunque regna, & quaſcunque prouincias occupant: ibi peſſimi quique nebulones, qui ante Chriſtianorum nomen gerebant, ad illos ſubito prolapſi, ad dignitates euehuntur: totaque nobilitas, & honeſtiores ciues, & pii ſacerdotes etiamſi nonnulli horũ ſub ruſticano habitu alicubi degant, & ruſticas operas exerceant: tamen ab hiſce nebulonibus, & apoſtatis & atheiſtis delati, ſi non interficiuntur, attamen ad vltima Turcici Imperii confinia, abſque omni ſpe redeundi, relegantur, & duro ſeruitio exercentur, donec pereant. Vxores vero, & filias eorum Turcæ ſibi relinquunt; pueros quoque in ſua religione inſtitui curant: & qui deuotiores videri volunt, & paulo adultiores ſunt, eos ad libidines exercendas deducunt; quo excuſſa conſcientia, & accepta peccandi licentia facilius ſibi adhæreant.

Vnum

Vnum addo; Turcas nil aliud diſcere, præterquam legere, & ſcribere; ſed eorum quam pauciſſimos: derident enim ſtudia, & libros omnes tam Ethnicorum, quam aliorum. Student ſoli militiæ, vel expilandis ruſticis: ſiquidem omnes pagos in Europa ſub Imperio Turcarum pene Chriſtiani ruſtici poſſident; & agriculturam exercendo, certos inde reditus Turcis præbent. Quod ſane iugum Turcicum quam horrendum ſit, certe verbis proferri non poteſt. Licet Turcæ nonnullis mercatoribus Chriſtianis permittant Conſtantinopoli, & proprias domos habere, & ad poſteros ſuos tranſmittere: monaſteria etiam Italicis Monachis inhabitare, & in iis ſacra ſua peragere: tamen hæc omnia per ſapientiam, & allectamenta mundi eo tendunt: vt ſpes aliqua Chriſtianis reſidua ſit: ſi occupabunt aliquas eorum prouincias, poſthac mitiores ſe futuros eſſe. *Iugum Turcicum horrendum.*

Sed omitto prolixius de his in hoc compendiolo differere: de quibus tum ab aliis, tum à me alibi tractatum eſt: Aliquid vero breuiter dicam de Apoſtatis, qui ex Chriſtianiſmo ad Turcas confugiunt: quæ illi fundamenta apoſtaſiæ ſuæ habeant, & quæ mihi cum illis colloquia illic, quæ certamina, qui conflictus interceſſerint. *Apoſtata.*

CONTRA APOSTATAS.

T. B.



CON-

CONTRA APOSTATAS, QVI A CHRISTIANISMO AD MAHOMETISmum, id est, ad Atheiſmum deficiunt.

Apoſtatis nihil deterius.

NVllum genus hominum, qui gentium idola, imo, & ipſum Satanam coluere, deterius eſſe apoſtatis: ex epitome fabularum Alkorani, & ſupplementis eius puto me ſufficientiſſime demonſtraſſe. Quas ſane fabulas non arte ad delectandos homines, ſed concepto erga DEVM, & eius veritatem odio, Arriani cum Mahomete conflarunt: vt illuderent ex mera prooereſi, contra conſcientiam, DEO & blaſphemarent illum ſuis fabulis. Ac quod Orator inquit, qui ſemel verecundiæ fines tranſierit, eum gnauiter oportet eſſe impudentem: id Sergio Monacho Arriano, & Mahometi contigit: qui deguſtato verbo DEI ex veteri, & Nouo Teſtamento; cum illud non inſeruiret cupiditatibus carnis; atque ita factum illis eſſet odor mortis ad mortem; prolapſi in atheiſmum, hoc propoſitum habuere: vt ſpargentes palpabilia mendacia; quæ ſtulti, & ipſi Diaboli, nedum homines ratione præditi irrident, omnibus religionibus, atque etiam Alkoranicis ſuis, tacite per compoſitas, tot tantaſque fabulas illuderent: Atque ita, ſi quis Alkoranum derideret, putaret etiam de veritate Veteris, & Noui Teſtamenti dubitandum eſſe. Ac certe Satan per neminem hoc melius facere potuit, quam per apoſtatas: qui, deguſtato verbo DEI, & virtute futuri ſeculi, poſtquam in apoſtaſiam ſpreto, & contempto verbo DEI, prolapſi ſunt, hoc vnicum agunt: vt ex verbo DEI, & veritate diuina in eo patefacta luſum faciant: ſicut Pſaltes inquit Pſalm. 14. dicunt impii in CORDE ſuo; non eſt DEVS.

Apoſtatæ nihil credũt.

Apoſtatæ omnes religiones in corde derident.

Ethnici Philoſophi Apoſtatis meliores.

Puriores Philoſophi.

Act. 17. 30.

Non hoc fecere gentiles Plato, Ariſtoteles, Cicero, & Seneca (quem potius moralia dixerim Chriſtiana, quam Ethnica ſcripſiſſe) vtpote qui deſtituti lumine Chriſti, & non deducti ad verbum DEI patefactum, quæſiuerunt DEVM ex lumine naturæ, prout potuerunt: & prout tum teſte Apoſtolo, ad Athenienſes, relictæ ſunt gentes incedere ſuis viis: ideoque magis commiſeratione, quam indignatione digni ſunt.

Apoſtatæ etiam iis Philoſophis deteriores, qui Chriſtianos deridebant.

Plinius.

Galenus.

Lucianus.

Quod ſi qui ex gentibus deridebant veritatem DEI in verbo eius patefactam, vti Plinius reſurrectionem mortuorum libr. 7. cap. 55. nat. humanæ; item Galenus, non credens Moyſi, DEVM ex nihilo mundum feciſſe, & deridens Moyſem; quod multa dicat, pauca probet; Item peſſimus Atheiſta Lucianus, qui non modo Chriſtum ἀνεσκολοπισμένον σοφιστὴν, id eſt de palo

ſuſpenſum ſophiſtam nominat; ſed omnes omnium gentium religiones irridet, & inprimis Chriſtianorum, de quibus hæc eius verba ſunt; Perſuaſerunt ſibi, inquit, infelices Chriſtiani, ſe immortalitate fruituros, perpetuoque victuros eſſe: Ideo & mortem magno contemnunt animo: ac non pauci ſua ſponte ſemetipſos occidendos offerunt. Poſtquam vero ſemel à nobis deſciuerunt: Græcorum. Deos conſtanter pernegant, &c. (vixit hic Atheiſta ſub annum Chriſti *133*. ſub Adriano Imperatore) Quod ſi quæ gentes, inquam, Iudæorum, & Chriſtianorum religionem deridebant: non tamen hoc ab eis factum, vt hiſtoriam veteris, & noui Teſtamenti, quam nunquam allegarunt, in fabulas commutarent: prout à Sergio Monacho, & Mahomete factum eſt: hodieque ab omnibus apoſtatis fieri conſueuit: qui & verbum Dei deprauare, & in dubium vocare modis omnibus, & ei illudere conantur: vt excuſſo & in dubium vocato verbo Dei ſalutem quoque hominum dubiam reddant: & veritatem atque ſalutem æternam ex multitudine hominum, & vnanimi in errore conſenſu, metiantur.

Vnde poſitis his tribus à Satana, perſuaſiſque fundamentis: quid quæſo obſtat: quo minus homines in quæuis horrendiſſima & abſurdiſſima opinionum monſtra prolabantur: & multitudinem errantium ſequantur: dum modo carni bene ſit: mortua vel ſepulta potius in cineribus mundi ad tempus conſcientia: quæ ſuo tempore euigilabit: cum Devs occulta hominum per Euangelium ſuum iudicabit. In talibus ergo, illud impletum; quod Apoſtolus ait: ſicut non viſum eſt eis Devm in notitia retinere: ita tradidit eos Devs εἰς ἀδόκιμον νοῦν, in mentem reprobam, vt qui veritatem tranſmutarunt in mendacium. Item illud 2. Theſſ. *2.11.* quia amorem veritatis Dei non receperunt, vt ſalui fierent: ideo mittet eis Devs ἐνέργειαν πλάνης, id eſt efficaciam deceptionis, cum omni fraude Satanæ, & efficacia in iis, qui pereunt. Ab electis vero Dei gratiæ agendæ: quod Devs eos ſibi elegerit ad ſalutem per ſanctificationem Spiritus, & fidem habitam veritati per Euangelium prædicatum, ad obtinendam gloriam Domini noſtri Ieſu Chriſti. Congruit quoq; in apoſtatas illud in præfatione Alkorani ex Eſaia à me adductum: quod cum ſint hypocritę, etiam hypocritam illum ad ſeducendos hypocritas à Deo prædictum ſequantur.

Rom. 1. 28. *Iſa. 10. 6.*

COLLO-

COLLOQVIA MEA CVM APOSTATIS CONSTANTINOPOLI.

QVæ colloquia, & quas dissertationes cum Apostatis Constantinopoli habuerim, breuiter hic delineabo: addito etiam præseruatiuo ex scriptis Domini Lutheri beatæ & sanctæ memoriæ.

Incidi enim in complures, & præcipuè Italos homines in philosophicis scriptis versatissimos, & verbi Dei quoq; non ignaros: qui ex famulitio Domini Augerii Busbekii, & Domini Dauidis Vngnadii, Oratorum Cæsaris, qui ante nos Constantinopoli fuere, multos seduxerunt; & qui nobiscum conuersando, idem facere nostratibus tentarunt: & presertim iis, qui ex verbo Dei cum illis disputare, & fabulas Turcicas refutare volebant. Ibi subtilissima q[illegible] æque argumenta (prout etiam nunc ea Christiani quidam, proh dolor, p[illegible] ublicè scriptis spargere, & docere palàm nō verentur) in medium de ince[illegible] titudine verbi Dei proferebant, dicentes; si apud Christianos firmissim[illegible], & quæ sibi nullo modo eripi patiuntur, axiomata hæc sunt. *Argumenta apostatarum ad Turcas prolapsorum vnde desumpta.*

Vetus & No[illegible] uum Testamentum nisi ab Ecclesia Romana esset canonizatum, pro verb[illegible] o Dei non habendum: imò si Romana Ecclesia aliud quippiam in locū vet[illegible] eris & noui Testamenti substitueret, ei fidem adhibendam. 1.

Item Roman[illegible] am Ecclesiam omnes hæreticos hac ratione confundere: quòd Romanæ [illegible] Ecclesiæ maior sit numerus rectè docentis, quam errātium hæreticorum. Item quod in ea sit vnanimis consensus, vt in doctrina, sic & in ritibus: apu[illegible] d hæreticos verò certamina, & dissensiones. Item quod apud Romanā E[illegible] cclesiam sit obedientia erga summum caput, quod est Romanus Pontifex; [illegible] sed apud hæreticos confusio: dum alii in alios inuehuntur. Item quod I[illegible] Romana Ecclesia vnum caput habeat, quod est Romanus Pontifex; at apud [illegible] hæreticos quot opiniones, tot sint capita. 2. 3. 4. 5.

Hęc ergo, inq[illegible] uiunt apostatæ ad Turcas profugientes, axiomata Christianorum si ad pr[illegible] obandam religionem Christianam valent, cur non æquè à Turcis, imò lon[illegible] gè melius quam à Christianis ad probandam religionem Mahometanam, [illegible] Christianis obiici possunt? & quidem hac serie:

Noster Alkora[illegible] ,in quo continetur quoque vetus & nouum Testamentum, à nostro sum[illegible] no sacerdote, & ab vniuersa Ecclesia Mahometana (quæ magnitudine sua l[illegible] onge superat Christianos) pro verbo Dei est declaratus, canonizatus, aucto[illegible] ritate adprobatus; & vetus nouumq; Testamentum, de quo gloriamini, pr[illegible] o deprauato, & suppositititio atque ficto declaratum. *Quomodo ea probari & ad vsum applicant Turcæ.* 1. 2.

Si multitudine [illegible] sua Romana Ecclesia hęreticos, qui numero pauciores sunt, confundit: no[illegible] s, qui & Romana Ecclesia, & omnibus aliis Christianis longe plures sumus [illegible], omnes Christianos pro erroneis declaramus.

3. Si de vnanimi cōsensu Romana Ecclesia gloriatur: quæso qui consensus dici potest: cum tot hæreses, & dissensiones ex ea promanarint: vbi alii alios ad ima tartara condemnant: ita vt etiam tacentibus nobis suo ipsi us proprio testimonio, sit iam falsæ religionis conuicta: & tamen omnes de vera fide glorientur? At inter nos Mahometanos nulla dissensio, nisi de quodam interprete apud Persas: sed in doctrina, & ritibus sumus co ncordes. Vnde, inquiunt Turcæ, nos declaramus vos omnes Christiar os discordes, tam illos, qui se Catholicos dicunt, & Romano Pontifici parent; quàm alios ab ipso separatos pro erroneis, & viam salutis ignoran tibus, & turbam deorum, neglecto vno Deo, sequentibus.

4. Si gloriamini in vno capite, & obedientia, quæ ei præstatur: certè nos longè magis. Nam & nobis vnum caput est: & maior erga illu d obedientia: dum nemo Mahometanorum contra illud quicquam di ere, imò ne disputare quidem de Alkorano audet: tantum abest, vt ei con tradicat, aut

5. ritus receptos non seruet. Præterea vos Christiani docetis , neminem certum esse suæ salutis. At nos docemus, omnes saluatum iri , quicunque Alcorano crediderint: & rel ctis tribus diis ab hominib. con ictis vni Deo adhæserint.

6. Vos Christiani creditis, Papam dispensare posse etiam, c ontra Euangelium vestrum. Si hoc verum est, aut superiorem Euangel io Papam vestrum agnoscitis, aut vestro Euangelio non creditis. At de nostro Alcorano nemo dispensare potest, ne quidem Mufty noster summ s sacerdos.

7. Vos Christiani habetis leges naturæ contrarias, & impo ssibiles; nec secus agitis ac si quis flumina in mare decurrentia, ne eò flu erent impedire vellet. Habetis enim castitatem sub pœna damnationis san citam, & polygamiam damnatis: cum tamen omnes gentes liberè ipsiqu e Iudæi polygamia vsi sint.

8. Vester Pontifex imperat Imperatori, & regibus; alit lite s inter eos, immiscet sese politico regimini. Vnde miserrimi Imperatore s, reges, principes, & Respublicæ, quæ sacerdoti parere coguntur. At F adescha, id est, Imperator noster solus imperat omnibus, & ipsi Mufty. Nihil enim miserabil us, quam seculares regi à sacerdote. Imperator ergo noster sicuti est ipse interpres legum suarum, ita & Alcorani; & habet pot estatem creandi & deponendi nostrum MVFTY summum sacerdotem. A d quæ ego ita respondi cuidam docto Apostatæ. Quod ad primum attinet. Si Vetus & Nouum Testamentum auctoritate tantum humana firmaretu r: nulla vera religio, nulla veri Dei cognitio, nulla fides, & fiducia in D EVM, nulla spes vitæ æternæ certò nobis in Christo promissa esset. At v erbum DEI, in Veteri, & Nouo Testamento comprehensum, ipsum pulcherrima illa harmo-

harmonia, quæ in illo conſpicitur, ſimplicitate ſermonis, prædictione rerum ſubſecutarum & euentuum impletione confirmari; teſtimonium his euentibus præbentibus ipſis Ethnicis ſcriptoribus, aperte conſtat: id quod de fabulis Alkorani nuſquam extat: vtpote quæ ſe ipſas refutant: cum in iis pluſquam res fictas videre illi liceat, qui modò rationis compos eſt.

Secundò & tertiò: Eccleſiam Chriſtianam non metiri nos multitudine hominum: cum DEVS ad eam alligatus non ſit: & ibi deprehendatur, vbi verbum DEI purè docetur: non obſtantibus certaminibus & diuerſis donis DEI: vbi de tam ardua re, id eſt, de vita æterna agitur.

Quartò, veram Chriſtianorum obedientiam in hoc conſiſtere: vt quilibet Chriſto, & verbo DEI pareat, non mandatis, & traditionibus hominum.

Quintò, Eccleſiam Chriſtianam vnico capite, quod eſt Chriſtus verus DEVS, & verus homo, gloriari.

Sextò, Eccleſiam Chriſtianam nullo modo de certitudine ſalutis dubitare: quin imò cœlo, & terra firmius hoc adfirmare: quòd omnis, qui crediderit in Chriſtum, verum cum Patre, & Spiritu Sancto Deum, ſaluabitur. Atque ob hanc certitudinem tot millia martyrum inter Chriſtianos conſtanter mortem obiiſſe: id quod inter Mahometanos ne ab vnico conſpectum, aut memoriæ proditum, nec in hiſtoriis Turcicis.

Septimò, Chriſtianos credere; neminem mortalium debere aut poſſe contra verbum Dei quicquam diſpenſare: &, ſi id faceret, id nullius momenti futurum: nec à Deo adprobatum iri: quin potius diuinam vltionem iis imminere, qui id facere attentant.

Octauò, Leges Chriſtianas nō regi naturæ curſu, nec ratione humana: cui res diuinæ ſtultitia ſunt; ſed expreſſo Dei verbo in veteri & nouo Teſtamento patefacto. Quare hac via ad cœlum gradiendum; non quam natura appetit, ratio dictat, mundus perſuadet; ſed quam Deus in ſuo verbo præſcribit.

Nonò, quòd Romanus Pontifex ſecularibus rebus ſe immiſceat, non omnes laudare: quin imò multos Reges, & Principes ideo ingemiſcere & meliorem mentem Romano Pontifici à Deo optare: vt docendo, & monendo ex verbo Dei, non autem regimini Regum, & Principum inſidiando, officio ſuo ſpirituali fungatur: vtque contentus in Italia iuriſdictione ſua, aliis regnis, & prouinciis leges non præſcribat.

Ad hunc modum cum reſpondiſſem; Apoſtata dicebat, me aut Lutheranum aut Caluiniſtam eſſe: cui reſpondi, Chriſtianum me fateri, & pro Chri-

ſtianis, & Chriſti fratribus, eos omnes agnoſcere: qui in nomen Sacroſanctæ Trinitatis baptizati ſunt; & hunc verum Deum, extra quem nullus alius eſt, colunt, & adorant: & verbo eius in veteri & nouo Teſtamento patefacto adhærent: non obſtantibus illis in Eccleſia Chriſtiana diſſenſionibus, & certaminibus. Nam vbi auri, & argenti fodinæ ſunt: ibi plures æmulationes inter operarios, in quærendo auro & argento, & in ſeparando puro ab impuro conſpici; quam vbi ex limo, & luto quippiam ædificatur. Ac cum quærerem ex Apoſtata, an verum eſſe crederet id, quod Mahomet in ſuo Alkorano ſcribat: Iudæos tempore Patriarcharum, & Regum ſuorum fuiſſe populum Dei? idque Apoſtata negare non poſſet; dicebam: at quantæ inter eos diſſenſiones: quàm horrenda bella inteſtina, qualia fere apud nullas gentes conſpecta fuere: attamen ipſo teſte Mahomete, populus Dei erant. Econtra apud reliquas omnes gentes pauca & rara ob religionem certamina viſa ſunt: quia ſcilicet verum DEVM ignorabant: & inde certa ſpe vitæ æternæ conſequendæ deſtituebantur. Hinc in ignorantia Dei facile eſt quieſcere hominibus; & vnanimem aliquem conſenſum in ritibus externis, politici ordinis cauſa, erigere.

Certamina de religione cur apud Chriſtianos.

Vbi nulla certamina, ibi nulla fides

Ad quæ Apoſtata, quid mihi obtrudis vetus teſtamentum, quod æque ſicut veſtrum nouum corruptum, ſuppoſititium atque ita nullum eſt. Cui reſpondi; at hoc fieri impoſſibile fuit: ſi quidem tot millia ne dicam myriades exemplarium Veteris Teſtamenti extant, non modò inter Iudæos; ſed etiam inter gentes: quas omnes Deus veluti tutores & cuſtodes eidem veteri Teſtamento, & quidem inter has etiam ipſos Iudæos nunc hoſtes Chriſti, conſtituit: qui, etiamſi vellent in vno aliquo regno aut prouincia illud deprauare; & quæ de Chriſto prædicta ſunt delere: tamen hoc fieri non poſſet, propter alios: quia fraus & dolus manifeſto indicio proderetur. Vnde nullam gentem gloriari poſſe de cognitione veri Dei certum eſt: quæ vetus Teſtamentum pro fundamento cognoſcendi Dei non habet, nec ex eo religionem ſuam probare poteſt. Quod ſi credere nolis, oro, vt cures aliquot exemplaria Veteris Teſtamenti à Iudæis adferri: & citabo prædictiones de Chriſto ex Moyſe, & Prophetis, quas Iudæos ex Hebraico Italicè aut Hiſpanicè interpretari patiar. (Eſt enim Iudæis Conſtantinopoli lingua Hiſpanica loco vernaculæ, quam ab vberibus infantes eorum diſcunt, ſicuti Pragæ in Bohemia linguam Germanicam.) Has, inquam, quæſo allegationes audiamus, ex quibus cognoſces: Chriſtum in ea ipſa forma prout à Moyſe, & Prophetis deſcriptus eſt, tempore præſtituto, loco adſignato natum, paſſum, & crucifixum eſſe; & in cœlos aſcendiſſe; extra quem nulla eſt ſalus. Hæc, inquam, omnia in Chriſto impleta ſunt: adeo vt ouum ouo ſimilius eſſe nequeat, quam id, quod in Chriſto ex prędictionibus Moyſis, & Prophetarum

Vetus Teſtamentum corrumpi nō potuit:

Vetus Teſtamentum eſt fundamentum veri Dei cognoſcendi.

phetarum impletum est. At de Mahomete nihil; nisi illud ad eum referre velis, quod de falso propheta venturo Moyses, & Esaias de Assuro, & Ezechiel de Gogo & Magogo seducturo, & vastaturo populum Dei, & tandem perituro, prædixere. Cæterùm orabam Apostatam; si quid haberet rationis, si quid scientiæ; qua vtraque non carebat; si quam scintillulam conscientiæ, vt pensitaret illas nunquam à cōdito mundo auditas fabulas, quæ in Alkorano impudentissimè, contra propriam rationem, confictæ sint. Ibi Apostata, siquidem Atheista erat, & aulicus; non tam irascendo, quàm ridendo respondit; & quidem iureiurando; se nihil insulsius in vita legisse, quàm Alkorani fabulas: quibus sicuti fidem nō præberet; ita neq; veteri, & nouo Testamento se credere. Itaque meritò Lucianum irrisisse omnes religiones, dicentem eas esse meras & stultas, vel simplicium hominum opiniones; vel ad cōseruandum ordinem politicum constitutiones; & eas mutari cum imperiis, & regnis, & inclinationibus adfectuum humanorum. Quod cum audiuissem ex Apostata, respondi; En fructum tui Mahometismi, & fidei veræ ad cœlum ducentis: qua tantopere gloriando, iam aliquot ex Christianis tui similibus seduxisti. Ad quæ ille replicando, & sæpe ridendo respondit; mundum decipere & velle decipi; Deum terram dedisse incolendam hominibus, & cœlum sibi reseruasse. Quare nihil consultius esse, quàm vt Christiani, relictis de religione certaminibus, faciliorem cum Turcis, vnam religionem (in qua non opus sit tot libros euoluere, tot censuris Ecclesiasticorum subiectum esse, & res naturales pro peccatis fingere) eligant, & ita vnum fiant. Ad quæ respondi; Cum fides Christiana sit donum Dei: neque consistat in ratione humana, aut vnanimi errantium externo consensu, aut pacem cum carne, & mundo colentium; me humilimè pro gratia mihi data, & ex verbo Dei releuata, gratias Deo agere: ei verò meliorem mentem precari, vt resipiscendo ad Christianismum redeat. Etenim velit, nolit, eum cum omnibus iis, qui Christo & verbo eius illuderēt; visurum Christum venientem in sua gloria ad iudicandum mundum. Verum Apostatæ omnia ridicula erant. Atque hæc hactenus de colloquio cum Apostatis; & in primis cum insigni isto atque erudito.

Deut. 18. 20
Esa. 10. 6
Ezech. 38. 2. & 15.

COLLOQVIVM CVM ARRIANIS.

ARriani in colloquiis de religione nobiscum, qui sacrosanctam Trinitatem credimus, & inuocamus, semper hoc vnicum vrgebant: illud potissimum esse in causa, cur Oriens Mahometismum suscepisset; quòd tres Deos nobis formauissemus: atque hinc offensos Iudæos, & alias gentes ad Mahometismum defecisse. Quare ad lucrifaciendos Mahometanos, & ad religionem Christianam adducendos, nullam proximiorem

viam esse: quàm si eorum religioni omnes Christiani in adorando vno Deo Patre, & honorando, non autem adorando Christo, subscribere velint. Cæterum Spiritum Sanctum esse tantum virtutem Dei, non aliquid per se subsistens, dicebant. Ad quas horrendas ipsorum blasphemias, cum nollem diu aures præbere, & cum illis conuersari: vtpote cum quibus colloquia periculosiora, quàm cum ipsis Turcis erant, saltem hoc illis insinuabam.

Mahometani vera soboles Arrianorum. Mahometanos genuinam sobolem esse eorum: quorum & Sergius Monachus cum Mahomete fabulas Alkorani conflarit: in quibus negat Christum verum Deum fuisse, nec passum aut crucifixum: multò minus nos redemisse. Sic & Arrianos conari, dicebam, Christum sua æterna diuinitate spoliare. Nam dum aiunt, Christũ pro peccatis nostris non esse passum: nec λύτρον Deo Patri persoluisse; nec satisfecisse pro nobis; nec nos eius iustitia nobis imputata iustificari: quid quæso aliud agunt, quàm vt cum Mahometanis passionem eius negent? Ac quia expresse negare non possunt; ideo dicunt, Christum exemplum saltem dedisse nobis in perferenda cruce, Dei causa: non autem vt nos iniustos saluaret, aut innocens pro nocentibus pateretur: id enim derogare & iustitiæ & misericordiæ Dei. Has blasphemias, dicebam, cum Arriani inter Christianos in Oriente spargerent, illud effecisse: vt degeneres Christiani illis similes turmatim ad Mahometismum deflecterent: qui & ipse Christum, Spiritum & Virtutem Dei, atq; magnũ Prophetam nominet, natum ex virgine Maria: sed loco eius quendam suppositititium Iudæorum passum atq; suspensum esse, comminiscatur. Verum hæc monstra blasphema diutius hic refutare, supersedeo: siquidem in Socinianis deinde refutandis hæc supplebuntur; qui ab Arrianis & Mahometanis prodiere, tanquam vipera ex ouo basilisci. Quare tam pestilentes hæretici post vnam & alteram admonitionem vitandi: vt qui semper ex malo in peius ruant, teste S. Paulo, semper discẽtes, nunquam ad cognitionem veritatis peruenientes: qui abnegãt eum, qui eos REDEMIT, CHRISTVM; accersentes ob id sibi ipsis celerem perniciem: qui Dominatum contemnunt, animas instabiles decipiunt; & quibus caligo tenebrarum in æternum obseruata est. *2. Pet. 2. 1.*

COLLOQVIVM CVM QVODAM CONCIONATORE ITALO CONSTANTINOPOLI, Antequam in Apostasiam ad Turcas prolapsus esset.

EST monasterium quoddam Constantinopoli in ea parte ciuitatis, quæ Galata dicta est. Eò ex Italia missus fuerat ad concionandum ibidem conter-

conterraneis suis quidam Italus ann. 1579. homo in literis optimè versatus, & facundissimus, mirificè in disputando argutus. Cuius cōciones cum vnà cum Doctore Petzo, Oratoris Cæs. tunc Secretario, nonnunquam audiuissem: & interdum cum eo contulissem: hoc vnicū is, instinctu eiusdē Doctoris Petzi, qui dicebat me non esse catholicum, tentabat; si quo pacto me ad fidē suam perducere posset. Ac cum aliquoties collocuti essemus; cœpissemque ego verbo Dei meam religionem tueri: concionator longè argutius ad extenuandum, & dubium reddendum verbum Dei, argumenta sua proferebat, quàm Apostata ille Turcicus, de quo prius dictum est. Atque cum pro mea tenuitate ei præsentibus nonnullis respondissem, vrsit hoc vnicum semper Augustini: Non crederem Euangelio, nisi Ecclesia iuberet, vt crederem. Cui respondi; Cum Augustinus tantopere veritatem, & certitudinem sacræ Scripturæ contra gentes demonstret: quòd ea sibi ipsi testimonium præbeat; quòd seipsam interpretetur; quod Deus certitudinē eius obsignet in cordibus nostris: quomodo nollet credere Euangelio absque humana auctoritate? Cæterum illud alio sensu ab Augustino dici, quàm quo ipse accipiat, nimirum, veritatem prædictionum Christi de Euangelio per vniuersum orbem prædicando in eo impletam esse: dum non solus Augustinus, sed multi à Deo electi, & vocati crediderunt: dum omnia in Christo impleta sunt, quæ vetus Ecclesia de Messia, & de vocandis ad Euangelii cognitionem gentibus per Prophetas prædixit. Atque ita constare, rectè dixisse Augustinum: nisi Ecclesia vetus prædixisset, & noua Euangelium Christi ex prædictione suscepisset: nisi & ipse Augustinus operationem Spiritus Sancti per verbum Dei, quod est potentia Dei ad salutem in se sentiret: meritò non crederet, neque ego crederem.

Contra eos qui sacram Scripturam dubiam reddere conantur.

Aliàs dixi ad concionatorem: mi Pater, si fides tua ab hominibus dependet, & non à DEO; certè nulla est, & in tentationibus ruet. Eum enim, qui alienis oculis videre, auribus audire, alieno naso olfacere, alieno gustu gustare, per alium aliquid tangere cogitur: hunc cœcum, surdum, & apoplexia aliqua tactum esse necesse est. Sic spiritualiter cœci sunt: quibus Euangelium Christi tectum est; qui non habent aures ad audiendum; quibus Christus non est odor vitæ, nec potentia Dei ad salutem. Atque hæc horrenda & tristissima sunt: quæ longè à quouis Christiano, nedum à concionatore, abesse debent. Etenim sicut lautissima fercula absque pane digeri non possunt: sic ipsa etiam sanctorum Patrum scripta absque verbo Dei non digeri; nec spiritualis homo interior auctoritate humana roborari potest. Et sicut lucidissimi oculi absque sole nihil vident: sic nec homo in luce, & auctoritate humana quippiam videre potest:

Lectio Patrū absque Dei verbo qualis.

Psa.36.10. ſiquidem in lumine Dei, teſte Dauide, videmus lumen. Ad hæc ille; Catholicos, qui ſoli Eccleſiæ Romanæ, & Pontifici credunt, non eſſe cœcos, aut ſurdos, aut carere ſenſu: ſed hæreticos, qui ab Eccleſia Romana auulſi ſunt, eſſe mortua membra. Sacram Scripturam non ab omnibus legendam: cùm ea hæretici abutantur. Et ſicut Vetus, & Nouum Teſtamentum ab Eccleſia Romana ſit canonizatum: ita ab eadem, ſi vellet, illud abrogari, & aliud erigi poſſe. Cui ego; Domine Pater, hæc ſunt horrenda, & Chriſtiano homine indigna. Etenim ſanctus Paulus non modò homines, ſi aliud Euangelium adferunt, anathematizat, ſed & angelos.

Horrēda adſertionis refutatio.

Gal.1.8.

Abuſus & non vſus S. Scripturæ interdictus.

Quòd autem abutuntur ſacra Scriptura hæretici: ſicuti Sergius Monachus, qui ex eadem falsò conflauit Alkoranum: num dulciſſimi, & ſaluberrimi flores in cauſa ſunt: quòd, ex quibus apes mel, ex iiſdem araneæ venenum ſugunt. Cæterùm delectabatur Monachus valde lectione Luciani, cuius ſuperius mentionem feci. Cumque dicerem, eum atheum fuiſſe, & Chriſtianos deridere: reſpondit ille, delectationis cauſa lego: quòd tam egregiè Ethnicorum deos derideat; & hoc mihi inſeruit; vt & ego Mahometanas fabulas omnibus aliis Ethnicis inſulſiores rideam. Cui ego; delectent te potius Sacræ literæ, in quibus militiæ noſtræ arma non ſunt carnalia, ſed diuinitus valida, ad captiuam ducendam omnem cogitationem, ad obediendum Chriſto, & euertendos eos, qui ſe doctrinæ Chriſti opponunt. Reſpondit ille; Tu Theologum, & quaſi meum præceptorem agere videris, quoties mecum colloqueris: cum hoc ad ſolos Eccleſiaſticos pertineat docere, & laicorum ſit, credere illis. Cui ego; Famulo Moyſis conquerenti: quòd quidam prophetarent, reſpondit Moyſes: Vtinam omnes prophetarent! ſic vtinam omnes in Sacris literis exercitati eſſemus! Tu ſi pro me comederes, & biberes, non ego ſatur eſſem: ſi ituro ad bellum mihi interdiceretur arma ſumere, non ego tutus eſſem: ſic ſi tu nomine meo crederes, non ſaluarer. His abſolutis, concionator progreditur, inquiens; Quicquid dicas, niſi omnes Chriſtiani vno capite, quod eſt Romanus Pontifex, regantur; & niſi diſputationes de religione prohibeantur, fiet, vt concidat Chriſtianiſmus, & à Mahometanis, quibus vnum caput eſt, Chriſtiani ſubiugentur. Cui reſpondi: Cur Gregorius Magnus, Epiſcopus Romanus, qui deinde Papa, & Pontifex Maximus à veſtris nominatus eſt, tantopere in ſcriptis ſuis ſeſe oppoſuit Ioanni Patriarchæ Conſtantinopolitano, primatum in Eccleſia affectanti, dicens; Si vnum caput extra Chriſtum Eccleſiæ in terris imperaret: fore, vt tota Eccleſia corrueret? Inculcaui porrò S. Scripturam de Antichriſto in templo Dei ſeſſuro, & ſupra verbum Dei ſeſe elaturo: & omnes vi ad ſibi obediendum coacturo, & hoc prædix ſſe, & alia grauiora: Sanctum Petrum

Lucianus.

Num.11.28.29.

trum non se nominasse in suis epistolis ἀρχιπρεσβύτερον, sed συμπρεσβύτερον, quasi dicas conseniorem. Hinc Gregorium Magnum, cum quidam titulum Pontificis ei darent, orasse, ne id facerent: se enim ex Apostolorum institutione conseniorem in Ecclesia Christi mansurum; nec alium titulum, multo vero minus, dominium in alias Ecclesias vsurpaturum. At ille; cur pontifici infesti estis? Cui respondi: Quis, quæso, vnquam Euangelicorum offensiue, non defensiue ei nocuit? Cur non ille contentus gladio verbi Dei, ferreo contra nos vtitur? Tot millia Euangelicorum martyria, illo auctore, passi sunt: cum ne vnico Romano-Catholicorum à quopiam Euangelico Magistratu idem factum sit: nisi Martyres vocare velis sicarios regum & principum: qui perpetrati facinoris, Satanæ impulsu, pœnas dedere: de quibus S. Petrus inquit, nemo patiatur, vti maleficus. Quare non nos illum persequi, aut illi nocere; sed illum nobis certum est. Omnes enim illi concorditer locum, & honorem Politicum delaturos: modo contentus sua in Italia iurisdictione, aliis regnis & prouinciis leges ne præscribat: modo nos quoque toleret, facta nobiscum vnione politica: ita vt qui omnes Sacrosanctam Trinitatem fatemur, & in Triunum, Devm illum verum credimus, communibus viribus Turcis, & Arrianis nos opponamus. At ille; neque ego vestros pro martyribus habeo, sed pro maleficis: dum Ecclesiæ Catholicæ Romanæ obloquuntur, & contradicunt; eamque summis conuitiis petunt. Cui ego; Interdicantur hæc ex vtraque parte: & simus publicæ concordes contra Turcas, & Arrianos. At ille vicissim, hoc, inquit, fieri nequit: nisi relictis omnibus de fide disputationibus certos ritus longa consuetudine, & continua successione receptos, omnes sub vno capite, quod est Romanus Pontifex, seruemus. Cui respondi: Christus, qui est caput nostrum, non dixit: ego sum consuetudo, sed ego sum veritas: nec iussit nos ritibus ab hominibus inuentis credere; sed eos potius vitare. Hinc iubet scrutari scripturas: & certe, nisi nobis, teste Esaia & Paulo, Devs semen verbi sui reliquisset; facti fuissemus sicut Sodoma & Gomorrha: Imo, in quæuis fabularum monstra, sicut Turcæ, prolaberemur. Et, quæso, quid prodesset, homines absque Euangelio prædicato lucrari, & metu tantum, atque vi rituum religionem illis tradere: quæ mera esset hypocrisis? Imo si totum mundum ad talem fidem adduceremus: & mundum cum mundo debellaremus, & in nostram potestatem redigeremus; quid quæso inde nobis lucri esset: si nobis vna cum mundo absque Christi notitia pereundum esset? Sed concionator vrsit; credendum Ecclesiæ Catholicæ: quæ errare non possit: cui respondi; solum Dei verbum à Spiritu sancto

1. Pet. 5. 1.

Inter Euangelicos nostro seculo tantū veros esse Martyres.

Caco Martyres.

1. ep. c 4. 15.

Pax quomodo inter Romano-Catholicos, & Euangelicos erigenda?

Ioh. 14. 6.

Esa. 1. 9.
Rom. 9. 29.

dictatum errare non posse: sed homines næuis non carere: quippe etiam
Gal. 2. 14. Petrum à Paulo obiurgatum fuisse. Nam in moribus, & factis etiam i-
2. Tim. 3. 16. psos Apostolos, quia homines erant, errare potuisse; sed in sacra scriptu-
1. Pet. 1. 20. ra, ab illis nobis relicta, errare non potuisse: siquidem hæc à Spiritu san-
cto pro mensura donorum in illos collatorum, dictata fuit. Vrsit ille:
extra Ecclesiam Catholicam non esse salutem: & se credere, quod Ec-
clesia credit. Respondi, me idem hoc credere: sed ita, ne alius pro me
Luc. 16. 31. credat, aut edat vel bibat: & qui Moysi ac Prophetis, teste Christo, non
credat: eum nec fidem habiturum, etiam si quis è mortuis resurge-
Atheistarũ hoc propriũ est verbo DEI non credere. ret. Vltimo concionator ita sermones suos finire consueuerat: à me
frustra hæc omnia dici & adferri. Nisi enim vno capite Christiani re-
gantur; sublatis inter se dissensionibus, omnino fore: vt multis offen-
dicula prębeantur ad Mahometismum, vbi nullæ dissensiones, & obe-
dientia summa. Cui respondi; Ruente etiam vniuerso mundo in apo-
stasiam; electam Ecclesiam Christi sub vnico capite Christo, licet sub di-
uersis eius vexillis, hic in terris contra omnes infideles militaturam, &
vsque ad consummationem mundi mansuram esse. Concionator, au-
dita mentione Electorum DEI, exclamauit, dicendo; Tu certe Cal-
uinista es, & ob id deterior Lutheranis, & omnibus aliis sectis: subiun-
gens, se malle Turcam, quam Caluinistam esse: eo, quod Caluinistæ as-
serant: alios esse in Christo electos, alios à DEO reprobatos: atque talia
docentes facere DEVM immisericordem, & iniustum: & duos DEOS
cum Manichæis fingere, bonum, & malum. Cui respondi; ego in nul-
lius hominis fidem iuraui, neque iurabo: non sum Cephæ, non Apolli-
nis sed Christi. Tune malles Turca potius, quam electus DEI esse? pro-
phana hæc sunt verba. Ergo Moyses, Prophetæ, Christus, Apostoli, Au-
gustinus, & alii patres quoque Caluinistæ erant: qui constanter electio-
nem esse asseruerunt. Credisne, quod fides in Christum est donum DEI;
credisne, quod omnis credens in Christum, ex hoc dono fidei saluabitur?
Nemo autem credit, nisi electus. Si ergo credis in CHRISTVM, & alios
insuper ad Christum deducis: ergo electus DEI es: & hanc electionem
tuam stude firmam facere bonis operibus, in verbo DEI tibi præscriptis:
peragendo salutem tuam cum timore DEI, & humilime de te sentiendo;
neminem in Christum credentem contemnendo; omnibus, etiam Turcis,
cognitionem Christi optando, te ipsum consolando, & in tua salute confir-
2. Tim. 1. 12. mando cum S. Paulo, qui dixit: Noui, cui credidi.

Prodromi apostasiæ concionatoris Itali. Talia colloquia mihi sæpe cum concionatore illo intercedebant: quæ
ille interdum ira, interdum risu, inuitando me ad se finiebat. Cæterum,
conciones eius licet facundissimæ fuerint: tamen, absque inuidia dicam,
nihil spirituale sapiebant: nihil ad stabiliendos in fide Christiana ani-
mos:

mos: sed meræ philosophicæ declamationes, immixtis ethnicis historiis, erant. Cumque talia in illo coram Romano-Catholicis reprehenderem, tuli responsum: ideo mihi eum non placere, quod sit Catholicus; alioqui & per se esse doctrinæ eximiæ. Accedebat & fama de illo sparsa, quod indulgeret libidinibus.

Verum & ad hæc nonnulli respondebant: esse hæc humana: & ipsi de his DEO rationem reddendam; dum modo bene doceat, nihili illud habendum.

Sed quid fit? elapso vno anno ab initio initæ meæ cum illo notitiæ; cum ex conuersationibus Christianorum proficere debuisset; ecce in apostasiam prolapsus, ad Turcas defecit: quod hoc modo accidit.

Insinuauerat ille pro concione octo diebus ante auditoribus suis; vt frequentiores proxima die Solis comparerent: se singularem concionem ad illos habiturum: cumque comparuissent: ibi ille non multis verbis vsus palam ad populum verba faciebat: se vetus & nouum Testamentum, veluti res adulteratas, & supposititias reiicere: & quæ de Christo illis concionatus sit; ea se ex traditione hominum, & prout sibi præscriptum fuisset, concionatum esse. Fateri ergo errorem, & agnoscere: Mahometanam religionem verius tum de DEO, tum de Christo sentire, prout in Alkorano reuelatum sit: nempe vnum esse DEVM, & vnum eius postremis temporibus, seductis tum Iudæis, tum Christianis, exhibitum Prophetam Mahometem: Christum fuisse Prophetam; non DEVM: neque illi tantum, quantum Mahometo, reuelatum fuisse. Quod cum vix loqui incepisset: Turcæ, qui iam adornati erant ad eum tutandum, ingressi templum, solenniter eum inde eductum, & veste ex purpura, auroque indutum imposuerunt equo: in quo magnificus apparatus erat, præeuntibus aliquot tibicinibus: & comitante, atque deducente eum per præcipuas vrbis plateas ingente hominum turba, acclamante lingua Turcica, Allah, Allah, Allahim Mahumetum risolula, id est vnus DEVS, & vnus eius Propheta Mahomet.

Apostasia Concionatoris Itali Constantinopoli.

Atque ita Apostata deductus in arcem Sultani, aulicus eius factus est. Et hunc euentum sortitus est; cuius prodromi erant argumenta eius, ad tutandum suum Catholicismum: de quibus iam à me dictum est.

Hæc res dici non potest, quanta multis scandala pepererit: imo quam multi eius similes eum secuti fuerint! Ego cum contulissem de Apostasia eius cum Oratore Cæsareo Domino Ioachimo à Sinzendorff; reuocabam ipsi in memoriam mea cum illo non semel instituta colloquia; ex quibus omnibus apparebat: eum gloriatum multa de fide catholica, & reliquos omnes Christianos aspernatum, hypocritam fuisse. Etenim

nihil melius nouerat in disputatione de religione: quam argumenta adferre, ex ratione humana desumpta; ad dubiam reddendam sacram scripturam, & salutem in Christo promissam.

Quare videant quid agant nostro seculo quidam Christiani: qui collocuturi cum aliquo, in sacris scripturis versato, diffidentes suæ causæ, hanc interlocutoriam subito adferunt: vt disputent de incertitudine sacræ scripturæ, tum vt colloquium differant, aut vitent cum eruditioribus: tum vt iis, qui minus in verbo DEI firmati sunt, si fieri possit, verbum DEI dubium reddant. Ex quo apparet, eos vera fide carere. Qui enim Moysi & Prophetis non credit, teste Christo, etiam si quis è mortuis resurgat, non credet ei: multo minus auctoritati Romanæ Ecclesiæ: id quod in ipso Apostata visum. Ac certe, nulla vnquam subtiliora fundamenta fuere, ad deducendos homines ad Saduceismum, & Atheismum: quam eorum Christianorum, qui sacram scripturam in dubium vocant: & ab ea legenda homines abducunt, docentes, neminem certum fieri posse suæ salutis, atque Ecclesiam multitudine hominum metiendam.

Hypocritarum & Atheistarum signa.
Luc. 16. 31.

Procul itaque procul à quouis fideli Christiano remota sunto talia argumenta; imo ne cogitationes quidem illis sunt coinquinandæ. Quos enim fructus tulerint, id ex Apostata illo vtroque politico, & Ecclesiastico abunde cognouimus.

Est hoc genus apostatarum horrendissimum, præsertim eorum, qui Christum aliis concionando, tandem non modo ab eo deficiunt; sed & illum blasphemant. Talis fuit Neuserus olim in Palatinatu concionator: qui suspectus Arrianismi factus, & ob id vitæ suæ ab Electore metuens, profugit primum in Poloniam ad Arrianos, inde in Transyluaniam: hinc ad altiorem Atheismi (qui ex Arrianismo oritur) gradum, venit Constantinopolim: vbi Mahometismum, vel verius dicendo, Atheismum professus, quam tragicum exitum habuerit, infra in genealogia Socinianorum dicetur.

Neuserus Apostata & eius tragicus exitus.

Tales sane apostatæ, qui doctores in Ecclesia Christi fuerunt, quam horrendi seductores, lupi, & horrenda Satanæ monstra sint; in Iuda Iscariota proditore Christi visum est: qui cum duodecim Apostolis ante Christi passionem ad prædicandum Euangelium missus fuerat: forsan & miracula faciebat; legebat Moysen, & Prophetas; audiebat Christum docentem; conspiciebat miracula eius in sanandis hominibus, & resuscitandis mortuis. Vbi vere Christi dictum verissimum est visum: qui non credit Moysi & Prophetis, non credet, etiamsi quis è mortuis excitatus, de Christo vero DEO, & homine, & vnico mundi Saluatore concionaretur ei.

Iudas, & eius similes non credentes sacra scriptura.

Legunt

Legunt quidem ſcripturas; vti Phariſæi, & Sadducæi: ſed ad contradicendum Chriſto, & eius fidelibus: vtpote in quorum corde radices non egit vera fides, ac ne quidem hiſtorica, qua diaboli præditi ſunt, ſi-quidem prolapſi in apoſtaſiam, etiam hiſtoriam omnem veteris, & noui Teſtamenti veram eſſe negant; id quod Satan negare non poteſt. Quare cum verbũ DEI ſit eis fabula & odor mortis: vt hoc ipſum aliis quoq; perſuadeant, ſub pallio verbi DEI, vere Satanica argumenta, ad dubium reddendum verbum DEI, proferunt. Quod ſane certiſſimum eſt ſignum hominis fide carentis, & ſubſecuturæ apoſtaſiæ; ſi non aperte & palam, attamen ſub pallio Chriſtianiſmi hypocriſin ſuam tegentis. Certe in quorum corde Spiritus ſanctus non canonizat ſcripturam ſacrã, vt certo ſtatuant vere à DEO profectã, & perfectiſſimam eſſe; ei nec addendum, nec quicquam detrahendum, & opus fidei, non rationis eſſe: cui inquam hæc certitudo deeſt: garriat, quicquid velit, ſe ex auctoritate Eccleſiæ ſuæ, cuiuſcunque tandem illa ſectæ ſit, ſacræ ſcripturæ credere: fides eius nulla eſt. Id quod abũde cernebatur in iſto apoſtata, cui neque doctrina, neque ingenii acumen, nec ſumma gloriatio de fide ſua ab auctoritate Eccleſiæ Romanæ dependente, defuit. Verum quia intrinſeca Spiritus Sancti auctoritas derelicta, imo ab illo ſpreta & deriſa fuit in tentationibus (exiſtente lucta non cum carne, & ſanguine, ſed cum Spiritualibus malitiis) concidit. O procul ſint à pio grege Chriſti tales Doctores, vel potius à verbo eius ſeductores!

Hypocritæ & hæretici quomodo ſcripturas legunt.

Apoſtatarũ fides.

Ego ingemiſcens cum Domino Oratore Cæſareo ſuper apoſtatis illis, & in memoriam reuocans, quomodo impoſtor ille concionator cum feciſſem mentionem gratuitæ noſtræ in Chriſto electionis, eam deriſiſſet, expetente Domino Oratore Cæſareo, vt breuem aliquam Epitomen facerem, quomodo hanc doctrinam de electione, piæ, & ſanctæ memoriæ Doctor Martinus Lutherus, inſignis ille Euangelii Chriſti præco, contra Eraſmum Roderodamum tutatus eſſet: eam ſic ex tractatu Lutheri cui titulus eſt de SERVO ARBITRIO, de verbo ad verbum excerpſi: non quidem eo ordine, quo ille ſcripſit, ſed ea methodo, quę mihi viſa eſt vtilis ad redigendam eius de hoc articulo doctrinam, in breue aliquod compendiolum. Id quod Domino Oratori ſummopere gratum, verum Romano Catholicis, ibidem degentibus, offendiculo fuit.

Conſolatio ex Lutheri doctrina cõtra Apoſtatas.

D. MARTINI LVTHERI DE PRÆDEſtinatione, doctrina.

IN articulo de prædeſtinatione non eſt conſiderandus DEVS in ſuis Myſteriis abſconditus, ſed in ſuo verbo reuelatus. In homine triplex lumen

est. I. Lumen naturæ, quod est cæcum in diuinis rebus, & est inimicum DEO. Vnde Philosophi, omniaque humana iura, ipseque codex Iustiniani, & Pandectæ, hanc de prædestinatione doctrinam pro iniusta condemnarent, & DEVM iniustitiæ accusarent. Sic Aristoteles, vt excusaret suum ENS, quod permittat tantam in mundo confusionem, ait; non illud istis mundanis occupari, sed in se solo contemplando sibi ipsi sufficere: hominibus vero permittere, quæ agunt. Cui sane Aristoteli omnes similes sunt, qui permissionem diuinam absque æterna eius, & immutabili dispositione, mendaci, & blasphemo erga DEVM, & eius VERBVM ore fingunt.

II. Lumen gratiæ quod per lucem Euangelii accenditur, & in electis non extinguitur. Hoc lumen ex verbo DEI causam reddere potest, cur DEVS suos hic sub cruce exerceat: & cur impios florere sinat: quia, scilicet, erit alia vita; in qua piis bene, impiis male erit. Cæterum cur DEVS alios ad vitam æternam, alios ad mortem ab æterno prædestinarit: causam ex lumine gratiæ aliam reddere non possumus, nisi quod omnes homines peccarunt: & quod omnes damnare potuit: & quod nulli cuiquam DEVS quicquam debet. Misericordiæ illius est, quod aliqui saluantur: iustitiæ, quod multi damnantur.

III. Lumen quod expectamus, est lumen gloriæ in vita æterna: vbi DEVS, qui nobis ex lumine naturæ, imo etiam ex lumine gratiæ interdum iniustus videtur; vt qui vocat, qui docet, qui hortatur illos, quibus ex proposito DEI necessario pereundum: plene nobis in lumine gloriæ reuelabitur.

Vsus doctrinæ, de prædestinatione.

ERGO in hac doctrina non scrutandus DEVS in suis mysteriis absconditus: nec ad causam nobis reddendam solicitandus: cur alium vas gloriæ, alium vas iræ ab æterno prædestinarit; sed sola eius voluntas debet nobis esse omnium causarum causa iustissima.

Ioan. 3.16 Applicandæ vniuersales promissiones cœlo firmiores. Omnis, qui
Matt. 11.28
Ezech. 33.11 crediderit saluabitur. Item venite ad me omnes, qui laboratis, &c. Item iuro ego, nolo mortem peccatoris. Fides quoque electorum DEI non est hic perfecta, nec esse potest: sed vera, & viua, licet sit debilis & luctans. Iã omnis qui credit; omnis qui laborat, omnis qui se peccatorem agnoscit, & ad DEVM currit: verbo DEI, & non humanis traditionibus credit, fructus fidei in sese sentit: luctatur cum carne, & spiritu; surgit ex lapsibus suis: donum pœnitentiæ, & propositum non peccandi habet: quod cum à carne, & sanguine non proueniat, credat DEO mentiri nescio, se electum ad vitam æternam.

Quid

Quid enim aliud est iustificatio gratuita per fidem, & fides donum DEI, nisi vera prædestinatio? Ac sicuti nos ipsos non creauimus, ita multo minus seruabimus. Et sicut cadauer seipsum resuscitarè non potest: ita & nos qui mortui eramus offensis, viuificati & resuscitati sumus ex mortuis per verbum DEI. Eph 2. 5.

Vtilitas.

VBI ex verbo DEI edocebimur: omnia opera DEI, DEO ab æterno nota apud quem nihil præteritum, nihil futurum; sed omnia veluti præsentia sunt: & esse ex eius prædestinatione, vti ex angelis, alios ad gloriam, alios ad ignominiam ordinatos: ita etiam ex hominibus: Tunc humiliabimur coram conspectu DEI, & in solo DEO gloriabimur. Tutior nostra salus erit: cum non ex nobis, sed ex DEO dependeat: nam nos inconstantes; DEVS vero constans, & immutabilis. Nam si non ex immutabili DEI prædestinatione salus nostra dependeret: sed in nostra consisteret custodia: certe pro Satanæ potentia, & nostra infirmitate, nemo hominum saluaretur.

Hortabimur ergo alii alios ad comprobandam nostram electionem bonis operibus in verbo DEI præscriptis, tolerabimus infirmiores, & pro nondum illuminatis orabimus. Præcidetur nobis omnis gloriatio: incedemus cum humilitate coram DEO: nam electi non superbiunt ob hanc doctrinam; sed gaudent in Spiritu sancto.

Contra obloquentes huic doctrinæ de prædestinatione.

QVI DEVM excusare volunt, ne videatur iniustus, si illud palam in populo doceatur; quod Esau, & Ismael, antequam nati essent, prædestinati sint ad ignominiam, Pharaonem non permissiue, sed secundum æternum DEI propositum veluti vas iræ, in quo DEVS gloriam suam reuelaret, induratum à DEO esse: hi pro vna excusatione, qua DEVM excusare volunt, mille blasphemias contra DEVM committunt. *1.* Mendacem faciunt DEVM. *2.* adulterant, detorquent, & excarnificant verbum DEI, & deprauant, & vim ei inferre tentant: dum à simplicitate verbi, ex prædestinatione promissionē tantum, & non ineuitabilem effectum statuere conantur. *3.* Sapientiores DEO videri volunt, dum aiunt: quod multi his offendantur, & recedant ab Euangelio. *4.* Qui recedent, recedant: electi manebunt: ob quorundam enim infidelitatem DEVS non desinet esse electis suis fidelis.

Sic Christus sæpe ad turbam concionando clamare solitus est: qui aures habet ad audiendum audiat. 5. Qui negant prædestinationem, negant CHRISTVM, & faciunt ex DEO idolum fortunæ: ac si DEVS inscius saluandorum hominum ex voluntate, & ordinatione, non autem homines ex eius prædestinatione saluarentur, & condemnarentur: vt ita DEVS non modo ignoret sua opera cum Ente Aristotelico: sed cogeretur, vellet, nollet, illos saluare, quæ voluntas hominum decreuerit. 6. Si hoc in opifice opus aliquod disponente, & fabricante, non laudatur: nec in figulo, si ignoret formam operis sui; si absurdum est, lutum figulo imperare; aut sese ipsum absq; figulo formare; aut formatum ad decus sibiipsi aliquid abscribere; aut formatum ad decus cum figulo contendere: multo minus certe in doctrina de prædestinatione homines id facere decet. 7. Collapsa hac doctrina de prædestinatione aut per illam sacrilegam, blasphemam, & diabolicam quorundã de permissione explicationem adulterata & in dubium vocata, corruet vera & sincera Euangelii prædicatio: concidet omnis consolatio, & fiducia nostra: incerti erimus nostræ salutis: extinguetur ardens Zelus erga DEVM: arguemus ipsum Spiritum Sanctum mendacii, quo obsignati sumus ad diem redemtionis nostræ.

8. Quare permissio DEI pro mera atque absoluta DEI, ab omni æternitate, immutabili prouidentia, & prædestinatione semper est accipienda: alias DEVM, & ignorantiæ, & impotentiæ arguimus. Ac absurdissimum esset, DEVM cui ab æterno omnia sua opera nota sunt, ea peragenda committere hominum arbitrio. 9. DEVS vt non auctor est peccati: ita nec creauit peccatum: imo peccatum iam in mundum ingressum, ad suam gloriam ordinat, & dirigit, atque ita bene eo vtitur. 10. Cur autem non impediuit ne Adã laberetur? quia DEVS agit liberrime: quare hic potius misericordia DEI celebranda; quod lapsum erexit hominem; quia propria voluntate lapsus, eadem deinceps consurgere non potuit.

LVTHERI DE HOC ARTICVLO CERTAmen, *& angustia.*

Fol. 238. EGo ipse, inquit Lutherus, non semel offensus sum, vsque ad profundum, & abyssum desperationis, in hoc scilicet articulo de prædestinatione: vt optarem, nunquam me creatum fuisse hominem; antequam scirem, quam salutaris esset illa desperatio, & quam gratiæ propinqua.

Ioh 3. 16. Amplector ergo vniuersales Christi promissiones, quæ sunt: OMNIS QVI CREDIT, SALVABITVR. Ego credo per verbum Christi reuelatum: ergo sal-

ſaluabor. Sed obiicit Diabolus, ſoli electi ſaluabuntur. Concedo, & approbo: & dico, ſoli electi credunt; Ego credo, ergo ſum electus.

Obiicit caro; peccator es, reſpondeo, ſoli electi hoc cognito morbo, ſolum Chriſtum medicum quærunt. Obiicit Satan: poſt regenerationem ſæpe lapſus es. Reſpondeo; At pœnitentiæ donum, & propoſitum non peccandi cum cordis contritione, & humilitate datum mihi eſt à DEO, id quod ſolis electis datur.

Concluſio Lutheri ad Eraſmum in tractatu de ſeruo arbitrio.

ORo autem DEVM, vt propediem te in hac doctrina ſuperiorem me faciat. Tu dicis, quod non aſſeruiſti, ſed contuliſti mecum. Ego vero hoc libro non contuli, ſed aſſerui, & ASSERO: ac penes nullum volo eſſe iudiciũ: ſed omnibus ſuadeo; vt præſtent obſequium. Dominus vero, cuius hæc cauſa eſt, illuminet te, & faciat vaſculum in honorem, & gloriam, Amen.

Hactenus Lutherus. Qui ſane vere diuinus tractatus, & veluti Cygneus cantus ante mortem eius decantatus, & publicatus, quantopere me, & Dominum Oratorem contra ſcandala tum Apoſtatarum, tum ſtupendæ illius potentiæ Turcicæ conſolatus ſit, dici non poteſt. Etenim ſacræ literæ mihi indies magis dulceſcere, & omnis ſapientia humana, totiuſque mundi gloria vileſcere cæpere. Acquieſcebat animus in DEI liberrima voluntate, & prouidentia, tum in ſaluandis hominibus, tum in regendo hoc vniuerſo Mundo. Condolebam Orienti: qui ob neglectum, & contemtum verbum DEI, pœnas dat ſub iſto horrendo horrendiſſimarum blaſphemiarum, & Tyrannidis Turcicæ iugo. Voluebam animo; Eccleſiam ſub veteri teſtamento circundatam vndiquaque gentibus: quam Eſaias vermiculum Ia- c.41.14.24
cob, & minimam portiunculam terræ nominat, fuiſſe typum præſentis Eccleſiæ Chriſtianorum: ideoque vt in illa Aſſuri, Babylonis regis ingens potentia, & in populo DEI ſub regibus Iuda, & Iſrael, diſſenſiones, & certamina & diuerſi reges cernebantur: ita ne hodie quidem talia, abſque prouidentia DEI fieri: ad nos hic in fide exercendos, & coram DEO humiliandos; & ad cantandum cum Dauide; beatus ille populus, quem Iehoua ſibi in Pſal.33.12
hæreditatem elegit. Item, ad celebrandam, & aſſidue prædicandam immenſam DEI miſericordiam erga vaſa miſericordiæ ſuæ, quæ in Chriſto ſibi elegit: & ad adoranda, non autem ſcrutanda iuſtiſſima DEI iudicia in condemnandis reprobis: neque ad litigandum cum DEO, hortante Apoſtolo; qui Rom.9.10 & 11
inquit, An non habet poteſtatem figulus in lutum, vt ex eadem maſſa faciat

aliud quidem vas ad decus, aliud vero ad dedecus. Quod si volens ostendere iram, & notam facere potentiam suam, pertulit multa lenitate vasa iræ coagmentata ad interitum: quo notas faceret diuitias gloriæ suæ erga vasa misericordiæ, quæ præparauit ad gloriam suam. Num igitur iniustus DEVS; num culpandus, quod Pharaonem excitauit, vt in eo gloriam suam reuelaret? Hactenus Apostolus. Sic nunc idem de Pharaone Turcico, & omnibus Tyrannis dicendum, & sentiendum, & firmissime credendum, & loco summæ consolationis habendum eiusdem Apostoli dictum: quos prænouit, etiam prædestinauit, conformandos imagini filii sui: quos vero prædestinauit, eos etiam elegit, & quos elegit, eos & vocauit: quos vocauit, hos etiam iustificauit: quos autem iustificauit, hos etiam glorificabit. Item fundamentum DEI stat firmum, habens hoc sigillum; nouit Dominus, qui sint sui: & discedat omnis ab omni iniquitate, qui inuocat nomen Domini Iesu.

Rom. 8.29 *2. Tim. 2.19*

Rom. 3.3 Item quod si qui increduli facti sunt, id est Apostatæ: num per horum incredulitatem, & apostasiam veritas DEI in nihilum redigetur? imo solus DEVS verax, & omnis homo mendax, &, vt S. Ioannes de Apostatis inquit; è nobis egressi sunt, sed non erant ex nobis: alias nobiscum mansissent. *1. Ioh. 2.19*

Hæc, inquam, Constantinopoli meditando, excitabar ad assiduas DEO gratias agendas: quod nos factos vasa misericordiæ suæ liberasset è potestate tenebrarum; & fecisset participes sortis sanctorum in luce, & transtulisset in regnum filii sui dilecti, in quo habemus redemtionem.

Atque hæc omnia contra apostatas ideo hic inserere placuit: vt conuersaturi aliquando CHRISTI fideles Constantinopoli cum Turcis, & præsertim cum apostatis, quorum ibi ingens numerus est, & indies pœne augetur, maxime ex Italis, qui tunc magna apud Turcarum Imperatorem obtinebant officia; nossent eorum Sadducaica, & atheistica ad seducendos homines argumenta: & quibus armis illis resistendum sit. Sed sufficiant hæc breuiter delineata de fabulis Mahometis & Apostatis. Quam vero æqui censores sint ii, qui Ecclesias Helueticas, Gallicas, Anglicas, Belgicas doctrinam cum Turcis conformem profiteri, ore maligno, & mendaci contra propriam conscientiam, vociferari non verentur: iudicent non modo pii, & in scriptura sacra exercitati viri, & qui bonæ conscientiæ sunt; sed &, quibus sensus communis, & iudicium naturale datum est. An non plusquam diabolica calumniandi libido est: de illustribus illis organis DEI, in istis regnis, & regionibus à DEO excitatis ita deblaterare; & canino morsu ea allatrare: quod nihil de sacra scriptura credant: quod rationem scripturæ præferant: quod DEVM auctorem peccati faciant; quod

De calumniatoribus scriptorum Orthodoxorum.

quod de sacrosancta Trinitate cum Arrianis sentiant, quod Iudaizent, quod Turcisent: quarum calumniarum ipsum Satanam pudere oportebat?

At quæso, quæ ecclesiæ Europææ contra hunc Gogum, & Magogum plus pugnarunt; quæ contra blasphemos Arrianos, ex quibus procreati sunt Mahometani, & contra horum genuin.m Sobolem Socinianos plura, & in verbo DEI magis fundata scripta ediderunt? quinam gladio, & igne magis eas persecuti sunt: quænam Euangelicarum plura martyria perpessæ sunt, quam Ecclesiæ Gallicæ & Belgicæ? Annon scripta harum, plena incredibilis Zeli diuini, omnia ad ædificationem summa cũ modestia, mansuetudine, & lenitate deducẽtia, collata cum polemicis istis quorundã pseudo-euangelicorũ scriptis, tantum differre videntur à scriptis orthodoxorum, quantum differt S. Sanctus viuificans, regenerans, alens, & stabiliens corda fidelium Christi, à mortua litera, & fide historica per impuros illos Philippenses præcones, & doctores contentionis causa absq; vera fide in Christum prædicata? Sed quid dico collata? siquidẽ nunc contra Socinianos illos Nearrianos, blasphemos æternæ Christi diuinitatis, & officii eius in redimendis electis suis, & sanctificatione pro peccatis eorũ derisores, parum aut nihil scribunt: adeo hos pene magis se tolerare velle quam orthodoxos palã innuunt. Ac licet calumnias illas orthodoxi ipso Sole meridiano clarius refutẽt: licet in articulo illo de sacrosancta Trinitate miseri isti homunciones paruuli scholastici esse possent in libris orthodoxorũ: tamẽ quicquid Caluinus, Zanchius, Iunius, Beza, & alii innumeri contra Arrianos, & nunc recentiores Socinianos scribunt, nihil ipsis prodest: sed alleg nt imperitioribus quos sciunt non lecturos controuersias, male excerpta nonnulla mutilata loca: perinde ac si quis calumniaturus S. Pauli scripta diceret; in epistolis Pauli hæc reperiuntur, faciamus mala vt eueniant bona: item edamus, & bibamus, cras moriemur. Hæc sane in Paulo extare verissimum est: sed quod isti sycophantæ omittant, quæ præcedunt, & quæ sequũtur; an ob hæc mutilate allegata dicta Paulum quis Epicureismi & Manicheismi arguet? Vnde credere non possum hos homines vera fide in Christum præditos esse: Sed sicuti Pharisæi, & Saducæi Moysis, & Prophetarum scripta legebant tantum ad contradicendum Moysi, & Prophetis: Sic & ab hisce calumniatoribus in libris orthodoxorum fit. Nam cum orthodoxi has calumnias diluunt, & ostendunt se non facere DEVM auctorem peccati: sed vbique docere, & profiteri DEVM esse perfecte iustum, perfecte misericordem, & in promissis constantissimum: Item de Sacrosancta Trinitate recte se sentire: tunc, more Ephesinorũ illorũ de Diana sũa conceptã opinionẽ clausis oculis, & obturatis auribus ad plebeculam clamant: vera sunt quę scribimus de Caluinianis, illos cum Iudęis, & Turcis de æterna Christi diuinitate sentire. O secula, o mores, o scelus supra scelus! Certe, qui talia contra hasce Eccle-

Differentia quorundam pseudo-euãgelicorũ ab orthodoxis, & veris Euangelicis.

Phil. 1. 15. 16

Ratio calumniandi.

Rom. 3. 8

Calumniatores quomodo scripta orthodoxorum legant?

Obstinatia calumniatorum.

Act. 9. 28 34

Malitia & mendacia.

sias CHRISTI veri DEI, & hominis, & nostri vnici Saluatoris scribere non verentur: ii aut ignorantiam suam in eo produnt, nescientes quid vtriq; doceant: aut mendacibus aliorum calumniis credendo, eadem apud alios spargunt: aut diabolica malitia acti auctoritati suæ, & suorum defendendæ, non veritati DEI immotæ propagandæ student. Quod sane ideo fit: siquidem verum est, quod dicitur: audacter calumniare; semper aliquid hæret: præsertim apud plebem, & eos, quibus scripta orthodoxorum exosa reddiderunt, ne ab illis legantur.

Imo, in Epistola Pauli ad Rom. cap. 8. 9. 10. & 11. tanquam scopulos aliquos instar nauigantium præternauigare ne illidant, iubet, aut teste Luthero mirifice detorquent, & excarnificant. Hoc, inquam, apud imperitos efficiunt calumniando. Verum doctiores, & qui Spiritu Christi reguntur, DEO gratias agunt: qui etiam illud malum ad veritatē suam promouendam, & eorum calumnias palam omnibus detegendas conuertere potest, teste S. Paulo ad Rom. 3. 3. Quod si iniustitia horum DEI iustitiam commendat: num iniustus erit DEVS: Sic si mendacia horum ad DEI gloriam redundant, an iusta DEI iudicia aufugient. Etenim multos noui, qui erant orthodoxis infestissimi, cum incidissent in nouas illas calumnias, quæ de illis sparguntur, cupientes agnoscere an tales sint, quo audacius de erroribus ipsorum aliis loqui possent: cum nihil horum in scriptis eorum reperissent: imo calumniatores illos falsos testes esse cognouissent, valedixisse eorum scriptis: ac orthodoxorum scripta incredibili Zelo & summa cum humilitate & gaudio Spiritus sancti amplexos esse. Atque ita, vti iam ex Paulo audiuimus, mendacia istorum Sycophantarum, in salutem electorum, & gloriam DEI redundarunt. Ego, etsi in nullius mortalis hominis verba iuraui: agnosco tamen Hussum, Lutherum, Caluinum, fuisse illustria DEI organa diuinitus nobis missa. Ac vtinam, vtinam discipuli horum ita bene inter sese in terris consentirent, & alii alios tolerarent & amarent: sicut inter hos tres viros in cœlis conuenit! Sed aiunt boni isti viri: quæ consensio potest esse in doctrina Hussi, & Lutheri cum Caluino, qui doctrinam de prædestinatione ad arguendum DEVM iniustitiæ docet: hoc enim & Turci, inquiunt boni illi viri, si diis placet, faciunt?

In calumniatores iusta DEI iudicia.

Calumniatores piis innotescunt.

At quæso, an in Alkorano, aut alibi inter Turcas aliquid eiusmodi doctrinæ reperitur: vt doceant de nostra in Christo electione, cum omnem sacram scripturam, & nostram in Christo salutem derideant, & blasphement? Imo in suo Alkorano c. 82. expresse Mahomet ait; Christianos fingere, quod DEVS aliquos ad salutem eligat, alios prætereat: cum tamen nemo sciat, an sit amore vel odio dignus. Dicemus ergo bonos illos viros cum Arrianis, & Turcis in hoc, & non Caluinum consentire. Ac cum Moyses, Dauid, Pro-

Calumniatores ea docent quæ alios docere mentiebantur.

uid, Prophetæ, Christus, Apostoli, Patres præcipui, & nostri seculi doctores, Hussus, & Lutherus hanc doctrinam constantissime sint tutati: num illi etiam Caluino-Turcismum profitebantur? Certe inter articulos, ob quos Hussus in concilio Constantiensi condemnatus fuit, vti testantur tomi magni Conciliorum à Romano Catholicis editi, primus fuit hic articulus: quod asseruerit, Ecclesiam CHRISTI esse cætum electorum DEI, ad vitam æternam prædestinatorum. Hanc eandem doctrinam Lutherus, vti iam audiuimus, contra Erasmum tutatus est: adeo, vt nemo Caluinistarum, quos illi vocant, quidquam neruosius, & magis aperte, atq; interdum satis duriter, de hoc fidei articulo scripserit. *De æterna nostra in Christo electione*

Quæ sane immota DEI doctrina vero DEI Zelo in oriente, & meridie prædicata Gogi, & Magogi illius cladem prædictam maturabit, & veros Christi milites contra illum armabit, & animabit. Ac mirum quod non etiam Moysen, Prophetas, & Apostolos ob hunc articulum tam dilucide traditum Caluinismi arguant!

Desinant ergo miseri isti scholiastæ: qui tamen aliorum Doctores, & ductores haberi volunt, organa CHRISTI cum fabulis Alkorani coniungere.

Desinant DEO, & eius immotæ veritati frustra obloqui, & contra DEVM cœlum versus spuere, siquidem non cœlum, sed se ipsos conspurcant.

Dent in solidum DEO gloriam: ne miser vermiculus, in cuius posse non erat seipsum creare, & gignere; aut aliquid virium ad id creatori, & parenti dare; id multo impudentius in electione, & regeneratione sua, suis viribus adscribat: ex quo vera humilitas, & gratitudo coram DEO, & charitas proximi non sequuntur: sed fastus, inflatio, falsa gloriatio, contemtus proximi: prout polemica ista scripta eorum, qui ad nullam pacem nullis Irenicis scriptis flecti possunt, liquido demonstrant. Vnde hoc? quia pace Christi non fruuntur. Det DEVS vt mature resipiscant: ne portionem suam cum hypocritis auferant: & audiant Christi illam vocem: prophetastis quidem in nomine meo, miracula fecistis, sed non noui vos. O quam triste erit, hosce aliis arcam Noæ ædificasse, & ipsos in illam ingressos non esse: aliis concionando in locis illustribus ventris, & gloriæ vanæ venandi causa præfuisse, & ipsosmet saluatos non fuisse. tales certe Philippenses præcones impuros, & Diotrephistas superbos præcedent in regno Christi publicani, & meretrices: præcedent suspirantes, apud Ezechielem, & coinquinati seducti Samaritani tales pseudoIsraelitas. *c.9.4*

Tolerabilius erit Tyro, & Sidoni in die illa magna Christi DEI illius in carne manifestati, & tunc in gloria conspiciendi: quam hisce turbu-

lentis & inquietis ingeniis: quæ ſane nulla confratrum in Chriſto Irenica ſcripta, nulla amica, imo & humilis, & ſubmiſſa admonitio, aut obteſtatio ad amorem flectere poteſt: vtut libertatem illis relinquat abundandi ſuo ſenſu: modo eandem libertatem confratribus ſuis in Chriſto quoque non inuideant: id eſt, non ſpargant de illis falſas calumnias, nec condemnent illos. Sed nimis forſan excurri.

COL-

COLLOQUIA CVM GRÆCIS, DE CEREMONIIS EORVM, PRÆTER, ET CONTRA DEI VERbum institutis.

ET

AN TVRCÆ ALIÆQVE GENTES TAM multis Ceremoniis eorum ad fidem Christianam conuerti queant, & an non potius hæ Ceremoniæ Turcis scandalo, & offendiculo sint: & ita per eos, qui Christiani veriq; cultores DEI *haberi volunt, nomen* DEI *potius blasphemetur, quam fides Christiana propagetur.*

ITEM

IOSEPHI ACOSTA IESVITÆ VIRI DOCTI ET peregrinationibus Americanis clarissimi insigne iudicium: nempe infideles gentes ad fidem non cogendas, neque ceremoniis, sed Euangelio Christi pure prædicato lucrandas.

NON OMNIS FERT OMNIA TELLVS.



Declaratio picturæ.

HAbes, benigne Lector, duos agros hic depictos, quorum prior labore fidelium agricolarum excultus, & simplici optimoq; semine siue hordei siue tritici consitus: vnde etiam absque omni zizania tribulis, & spinis, aliisque inutilibus floribus crescit, & fructum fert vberrimum. Alter vero ager degener, neglectus ab agricolis in arando, & excolendo, tantum ex reliquiis post messem è spicis ad terram prolapsis profert parum spicarum boni frumenti: siquidem zizania, tribulæ, & spinæ, atque omnis generis diuersorum colorum flores adhuc idipsum exiguum, quod superest boni frumenti, in hoc inculto, & sterili agro impediunt, imo penitus obruunt. Quia vero fucus iste colorum, in secundo hoc agro degenere, oculis externis magis placet puerorum, & iis, qui sano iudicio præditi non sunt; quam prior ille bene elaboratus, & bono simplicique semine consitus, ac multiplicem ferens fructum: en quid non fit! nempe degeneres agricolæ cum suo, & suorum damno, non modo, vt complaceant pueris, & illis similibus, præferunt hunc agrum sterilem, & malum agro fertili, & bono, sed insuper eidem inutili agro indies plus zizaniæ, tribularum, rosarum è spinis crescentium, & aliorum seminum, ex quibus varii generis flores inutiles progerminant, seminando addunt. Vnde tandem non panis bonus, & salutaris, vitam externi hominis confortans, alens, ac sustentans; sed mala quædam massa corpus totum inficiens, & consumens, conficitur. Idem etiamnum in oriente, apud Christianos Turcico iugo subiectos, (quod & apud Moscouitas, qui eadem ab ipsis mutuati sunt, apparet) conspici; breuiter in subsequenti tractatu annuetur. Sed dicet aliquis. Attamen & DEVS in veteri testamento plus ceremoniarum ordinauit. Respondeo factum hoc ex mandato DEI cui obediendum erat: nempe, vt lex Moysaica, veluti ministerium mortis, talibus ornamentis contegeretur: vtque per talia ornamenta externa nuditas nostra; per lumina & lampades cæcitas; per fumigationes, sordes; per ablutiones, immundities nostra animis nostris instillaretur ac infigeretur: idque vsque ad exortum Solem iustitiæ, nempe CHRISTVM DEVM illum in carne reuelatum, qui est iustitia nostra: qua sola, veluti omnium pulcherrimo pallio ac diademate regio ornamur, & gloriamur. At quia hæ cæremoniæ in oriente non ex mandato DEI, sed potius contra mandatum DEI ex traditionibus, & superstitionibus hominum excogitatæ, & conflatæ sunt: hinc fit; vt euangelium CHRISTI cæcum sit cæcis, & sordeat iis qui pereunt: & qui, non contenti ablutione sanguinis CHRISTI, nouas sibi ablutiones fingendo, à simplicitate illa multos, vti serpens ille primos parentes, teste S. Paulo 2. Corin. 11. v. 3.
abducunt: Qui certos dies, & menses & diuersitatem ciborum obseruant:

atque ita, elementis inutilibus huius mundi adhærendo, in seipsis demonstrant impuris esse omnia impura, adeo vt ipse Doctor ille gentium Apostolus de talibus metuerit, ne CHRISTVS iis frustra prædicaretur. Sed quid dicam de iconolatria horum? Audiant diuinum Psaltem: qui de talibus cultoribus; fiant, inquit, istis imaginibus similes: vt oculos, aures, os habendo non videant, non audiant, non loquantur, sed cæci, surdi, & muti sint, quæ sane execratio omnium horrendissima est.

Gal. c. 4. 11.

Psal. 115. 8

Ierem. 16. v. 19.

Ad te venient gentes è finibus terræ, ac dicent: vtiq; falsum possidebant maiores nostri, vanitatem, & inutilia.

Occasio & causa colloquiorum cum Græcis, & aliis nationibus.

CVm essem Constantinopoli; commutabam literas cum nonnullis doctis in Europa viris: inter quos Dauid Chytræus, & Martinus Crusius, missis ad me aliquot exemplaribus Græcis confessionis Augustanæ, petierunt se informari de præsenti tunc statu Orientalium inter gentes Ecclesiarum. Quod equidem feci, & aliquot exemplaria istius Confessionis Patriarchæ Constantinopolitano, & Georgianis exhibui: vti ex oratione Chytræi apparet, quam conscripsit de Europiacis, Asiaticis, & Affricanis Ecclesiis Christianorum: vbi quoque meum ad se responsum adiunxit.

Georgiani.

Sunt autem Georgiani gens potentissima, Græcæ religioni addicti, Iberiam incolentes ad mare Caspium: qui soli in Asia sub iugum Turcicum redacti non sunt: sed suos principes diuersos habent: licet nonnulli horum, qui suos principatus in confiniis Turcarum habent, tributum Turcarum Imperatori soluant. Atque horum duo, cum à Mustapha Bassa, expeditionem contra Persas suscipiente, finibus suis expulsi essent, venere Constantinopolin; & quidem cum splendido apparatu; conquesturi de iniuria, contra fidem datam sibi illata.

Cumque sollicitarentur ab aula Turcica ad defectionem; idque per apostatas, quorum colloquiorum, fraudum, & seductionum iam memini: missus fui ad eos salutandos à Domino Oratore Cæsareo, Domino Ioachimo à Sintzendorff/ oblato illis vno exemplari cõfessionis Augustanæ Græce impressæ; quam ad me Chytræus miserat. Eam benigne acceptam dicebant, se subito curaturos; vt in linguam suam transferatur: & se cum suis sacerdotibus mecum de ea collocuturos: quod & factum est. Quæ certe ab illorum sacerdotibus, & collaudata non sine admiratione fuit: & tantum

tum, solius DEI gratia, colloquia mea de veritate religionis Christianæ, & spurcissimis Alkorani fabulis, per interpretem, cum eis habita effecere: vt prolapso fratre Georgiani iuniore ad Mohometismũ, natu maior tamen, cui nomẽ erat Quarquare Atabak constans in fide Christiana permanserit. Isq; se habiturum dixit loco consolationis hunc libellum, serico rubro obductum; in quo se Dominus Orator manu propria subscripserat, precatus ei illuminationem à DEO, & constantiam in fide Christiana: quin, & cum suis Ecclesiis, aliisque principibus, Iberiam incolentibus, & suæ religioni addictis communicaturum promisit. Cumque quæreret de ritibus, & ceremoniis in nostris Ecclesiis, & vestitu sacerdotum, eaque omnia simplicissima, ad imitationem Apostolorum, ex me cognouisset: summopere collaudabat, dicens: tam infinitas ceremonias, quas Græci obseruant, non esse credibile tempore Apostolorum aut à veris successoribus ipsorum obseruatas fuisse. Cumque Imperator Turcarum iuniorem fratrem apostatam tam magnis honoribus non modo adfecisset: sed etiam potiorem partem principatus senioris, illi attribuisset: dimisit postea seniorem velut vasallum suum; cum ei iuramentum fidelitatis præstitisset. Cui discessuro Constantinopoli cum valedixissem, & eum ad portum Bosphori Thracici fuissem comitatus: idem ille, qui ante splendide Constantinopolim venerat, stipatus pene trecentis equis, iam vix decem homines in suo comitatu ex suis habuit: cęteri quippe iuniori fratri parere coacti fuerunt: hic, inquam, tam humilime, à Turcis contemptus cum discederet, valedixit Domino Oratori, & mihi; cum lachrymis gratias agens pro consolatione, qua ad perseuerandum in Christiana fide corroboratus esset. Se enim scire, Mahometanam religionem, quæ in solis tantum externis ritibus consistit, esse meras fabulas: & per quam homines tantum terrestria quærunt: se CHRISTO adhæsurum: seque, quæ hic sibi propter eum ablata essent, in cælis per eum longe maiora recuperaturum.

Fructus Augustanæ Confessionis Georgianis oblata.

Quam sane historiam cum doctis viris in Europa communicassem, indigitaui quoque de ea aliquid Domino Dauidi Chytræo: vti ex eius oratione, cuius antea memini patet; & eius mentionem ideo in proæmio huius materiæ præmittendam, veluti ei cõuenientem, duxi: vt constaret, homines in religione Christiana non ceremoniis, aut ritibus quibusdam; non auctoritate humana; sed verbo DEI; quod est potentia DEI ad salutem omni credenti, confirmari, corroborari, & ad perseuerandum deduci.

Imo, etiam patet; infideles gentes, quæ aliquando absque CHRISTO atque ita Athei, teste Sancto Paulo ad Ephesios, erant, non vnanimi in ritibus, & ceremoniis consensu, non auctoritate humana, non persuasione longæ successionis, aliter atque aliter docentium, non ma-

c. 2. 12. Gentes non ritibus, sed verbo Dei lucrandas.

gna ſequentium multitudine (quæ omnia non mouent, non illuminant, non roborant, non alunt conſcientiam) ductiſ factas Christo fuiſſe: quippe teste Apoſtolo, non perſuaſoriis humanæ ſapientiæ verbis CHRISTVS docendus; ne prædicatio crucis & Euangelii CHRISTI, quæ mundo eſt ſtultitia, & Iudæis offendiculum exinaniatur.

1. Cor. 2. 3. 4.

Græcorũ ingratitudo & negligentia verbi Euangeliũ ſua lingua conſcriptum habeant.

Quare cum Græcis multos de ea re ſermones habui: ſiquidem præ omnibus totius mundi gentibus hoc dono DEI donati ſint: cum ab ipſis Apoſtolis non modo lingua vernacula ſua græca euangelium ipſis prædicatum: ſed etiam nouum Teſtamentum eadem lingua conſcriptum ſit. Ea licet à vulgari aliquid differat, & quidem minus, quam Italica à Latina: tamen breui ſpacio eadem ab illis addiſci poteſt, ita vt fontes noui Teſtamenti pene omnes promiſcue legere, & ſe in fide Chriſtiana ædificare, roborare, & confirmare; & ſecus docentes refutare, & confundere, ſi velint queant. Verum tanta apud illos eſt ſegnities, imo ipſius verbi DEI contemtus: vt nullum ex Græcis viderim, nec audiuerim: qui in ſacris literis veteris, & noui Teſtamẽti bene verſatus, religionem ſuam inde tueri potuerit. Et quod magis dolendum: deprehendi, non habere eos conuerſa Biblia in ſuam vulgarem linguam: nec nouum Teſtamentum: vnde populus non eruditur in verbo DEI, & pauci ſacerdotum antiquam linguam Græcam callent: cum tamen abſque omni periculo etiam ſub hoc Turcico iugo libros ſuos imprimere libere poſſint. Solent traditionibus tantum Patrum ſuorum inniti: quæ maxima ex parte in externis multiplicibus ceremoniis conſiſtunt: quæ non modo non ædificant eccleſiam Chriſtianam; ſed Turcis & aliis infidelibus ludibrio exiſtunt: Accedit ad hæc: cum Patriarcha Conſtantinopolitanus multa adhuc millia redituum habeat, quod nullum tamen ſub eius iuriſdictione eſt gymnaſium: in quo adultiores ſcholaſtici in verbo DEI exerceantur; exceptis ſcholis illis, in quibus pueri legere, & ſcribere diſcunt. Hinc deſtituti armis verbi DEI, quomodo ſe contra Arrianos, & Apoſtatarum conflictus defendere, aut incredulos Turcas abſque verbo DEI lucrari queant? Verum fruſtra hæc à me omnia illis dicebantur: vtpote qui ſemper hoc vnicum obiiciebant; ſe longa ſucceſſione à tempore Apoſtolorum hos ritus, & has ceremonias accepiſſe.

Græcorum pertinacia in defendenda mala cõſuetudine.

Veri & antiquiſſimi Epiſcopi Græcorum Timotheus & Titus quare ab his eorum doctrinæ tum ratio diſcendi

Quibus ego reſpondi; Concedo, vos à temporibus Apoſtolorum, ſed non ab Apoſtolis, qui talia non docuerunt accepiſſe. Sanctus Paulus aliter inſtruxit in ſuis epiſtolis Timotheum Epiſcopum Epheſinum, & Titum Epiſcopum Cretenſem. Sic enim ad Timotheum ſcribit: ſi quis diuerſam docet doctrinam, ab ea, quam docuimus; neque accedit ſanis ſermonibus Domini noſtri IESV CHRISTI, & ei, quæ ſecundum pietatem eſt, doctrinæ; is turget nihil ſciens: ſed inſaniens circa quæſtiones & λογομαχίας. Item: Tu igitur, fili mi, corroborare per gratiam, quæ eſt

1. Tim. 6. 3. 4.
2. Tim. 2. 1. 2.

est in CHRISTO IESV, & quæ audisti à me, hæc committe fidis hominibus, qui sint idonei ad illos quoque docendos. Venturos enim postremis temporibus homines formam pietatis habentes, sed vim e- 2.Tim.3
ius abnegantes; semper discentes, sed nunquam ad cognitionem veritatis v.5.7
peruenientes. Tu autem maneto in his quæ didicisti: & quia à puero sacras v.14
literas nosti: hæ te sapientē reddere possunt ad salutem per fidem, quæ est in 15
CHRISTO IESV. Tota enim scriptura diuinitus est inspirata & vtilis ad 16
doctrinam, ad redargutionem, ad institutionem, quæ est in IVSTITIA; 17
vt perfectus sit homo DEI ad omne opus bonum perfecte instructus.

Prædica ergo sermonem illum, insta tempestiue, intempestiue; argue, c.4.2
exhortare, cum omni lætitia & doctrina. Nam erit tempus, cum sanam 3
doctrinam non tolerabunt, sed à veritate aures auertent, ad fabulas: & secundum carnis cupiditates sibi coaceruabunt doctores. Sic quoque ad Titum scribit; Tenax esto fidelis istius sermonis, qui ad doctrinam facit: vt pos- Cap.1.9
sis exhortari sana doctrina, & contradicentes conuincere: non attendens mandata hominum auersantium veritatem.

Atque hæc ad vestros Episcopos Græcos ab Apostolo scripta sunt; dicebam: quorum successione in doctrina, vos, & non iis, qui ab illis degenerarunt, gloriari oportet. Si antiquissimum quodque verissimum in religione Christiana, & vero DEI cultu: quid antiquius illo, quod Christus & eius Apostoli docuere, & scriptum nobis reliquere? Quomodo Christus ipsemet iubet scripturas scrutari, Moysi & Prophetis credere, & conferre suam doctrinam cum Moyse & Prophetis? At vobis dulcius est, non tam patres Græcos vestros, quam compendia quædam rituum vestrorum loco summæ religionis voluere, discere; & in iis salutem vestram collocare. Inuoluti estis tot ceremoniis: vt iis priscam Iudaicam ecclesiam superetis. Illi quidem hoc tunc in lege DEI præscriptum erat vsq; ad exhibitum Messiam: siquidē hæ ceremoniæ, veluti ornatus sacerdotum, candelæ, ablutiones conspersiones, suffitus, holocausta, oblationes, typi erant nostræ nuditatis, cæcitatis, immundiciei, sordiū; & totalis nostri interitus: dum sanguine innocuorum animalium, & inprimis agni paschalis; qui fuit typus Christi, agni illius ante iacta mundi fundamenta ad mactandum, teste S. Petro destinati. Verum cum hæc omnia non modo vmbræ, & typi fuerint; sed etiam onus grauissimum; quod neque patres nostri, neque Ecclesia Christiana ferre potest, teste eodem Apostolo; cur non eidem obeditis; abiicienda esse omnia imperanti, ac dicenti; nos sola gratia Dei per fidem in IESUM CHRI- 11
STVM seruari?

Degeneres Episcopi Græci. *Ioh.5.39* *Græcorum ceremoniæ nunc plures, quam olim Iudæorum.* *1.Pet.1.20* *Apoc.13.8.* *Act.15.10*

Ac, vt alias vestras infinitas ceremonias, & superstitiones omittam: in quibus vix cortex, nedum nucleus verbi Dei appareat; quia Christus sublatis infinitis illis veteris testamenti ceremoniis, veritatem omnium re-

Christus tantum duo simplicissima Sacramenta instituit.

rum, quas illæ figurabant, in ſeſe adimpletam nobis exhibuit: & duo tantum Sacramenta ſimpliciſſima, ita vt ab omnibus, & percipi, & obſeruari facile poſſint, inſtituit: cur ab illa ſimplicitate in baptiſmo & Cœna Domini receſſiſtis: vt catalogo ſingulari opus ſit ad conſignandas nouitates veſtras & ediſcendas? Cœnam vero Domini quæſo vt commutaſtis? Etenim accepto pane hordeaceo, medium panis exſcinditis, & accepto calice comminutum panem iniicitis in eum, ſuperinfuſo vino, & ita poſt conſecrationem, & multiplices ceremonias à Chriſto non præſcriptas, cochleari communicantibus diſtribuitis. Cæterum, illud panis, quod remanſit, diuiditur in fruſta paruula, & datur loco ſocietatis, veluti res non conſecrata, quibuſuis Chriſtianis: cumque & mihi deferretur, ſcitis me renuiſſe: ſed oſcula vobiſcum egreſſuris è templo commutaſſe: cum in Eccleſia Chriſti, tempore Apoſtolorum, ex Epiſtolis Paulinis, in vſu fuiſſe appareat. At Sacramenta in aliam formam tranſmutare, addendo illis, quàm periculoſum ſit, demonſtrat S. Paulus ad Galatas, qui ait; quod ſi ii priuantur hæreditate terreſtri, qui adulterant teſtamenta hominum, aliquid ex teſtamento ſuo illis legantium: quanto magis valeat illud in rebus diuinis?

Cœna Domini quomodo apud Græcos contaminata?

Rom. 16. 16
1 Cor. 16. 20
1. Pet. 5. 14
Galat. 3. 15

Græcorum vana excuſatio adulterata cœna Dominica.

Ad quæ Græci reſpondebant: quod ad Cœnam Domini attinet; ſe concordiæ cauſſa cum Romano Pontifice ineundæ hæc feciſſe: qui vt ſiſſet communionem ſub vna ſpecie panis, aſſentientibus illi nonnullis Græcis; aliis autem id facere renuentibus: ſiquidem expreſſe Chriſtus in Cœna Domini panem, & vinum diſtribuiſſet, & omnibus illis vtendum præcepiſſet. Vt ergo, & Romano Pontifici id vrgenti, & occidentis Imperatores contra ſeſe incitanti, & ipſis Græcis inter ſe diſſentientibus ſatisfacerent, & vnionem aliquam inirent: ideo omiſſa diſtributione primo panis, & deinde vini, miſcuiſſe panem cum vino: atque ita vna eademque vice ex calice vtramque ſpeciem exhibere communicantibus. At quæ ego reſpondi, Petrus dixit; plus Deo obtemperandū, quàm hominibus. Concordia, & pax cum Chriſto maiori cura vobis eſſe debuit; quàm cum hominibus: imo vita potius amittenda erat, quam ab Chriſti inſtitutione recedendum. At illi; maiores noſtri, etiam ipſi Imperatores, quotieſcunque aliquam reformationem inſtituere volebant, ſenſerunt contra ſe à Romanis Pontificibus concitatos Occidentis Imperatores. Sic Leo Imperator noſter imagines vbique è templis eiiciens, & palā adfirmans, has, & verbo Dei, veluti idololatricum cultum, prohibitas, & offendiculo gentibus eſſe, proſcriptus & anathemate perculſus eſt à Romano Pontifice: & concitato contra ipſum Carolo Magno, imperium Occidentis ei abſtulit, Carolo contulit. Inde potentia Græcorū indies labaſcente, & Turcarum creſcente, cum auxilia Chriſtianorum nos dereliquiſſent, aut interdum adiuuando, ſolennibus illis Hieroſolymam verſus expeditionibus plus pene deuaſtaſſent, quàm ædificaſſent: ſub hoc grati-

Act. 4. 19.

Græci omnium malorum cauſam in Romanam Eccleſiam transferūt.

grauiſſimum Turcarum iugum redacti ſumus. Quibus ego; At nunc nemo vos impedit; etiam ſub hoc iugo Turcico; cur ergo diligentiores in legendo verbo DEI non exiſtitis? cur ad ſimplicitatem baptiſmi, & Cænæ Dominicæ, provt à CHRISTI inſtituta ſunt, non reuertimini, & ſequimini primos veſtros patres græcos: qui tempore Apoſtolorum vixere? cur in templiis lãpades, & candelas de die veluti Iudæi, & Turcæ accenditis? cur ablutionib. cõſperſionib. aquæ, fumigationib. vtimini? cur ieiunia in diuerſitate ciborũ collocatis? Ac dũ Romano Catholicos deridetis; ꝙ ieiunia ſua celebrantes, non edant carnes, ſed piſces: dicitis, piſcem quoque eſſe carnem, ſi quidem in eo ſit ſanguis: vos autem ab omni re viuente, in qua ſanguis eſt, inter ieiunandum abſtinere. Cui ieiunio veſtro cum non ſemel intereſſem; ſcitis quã lauta fercula præparata ex cancris, oſtreis, & diuerſi generis conchis marinis, & optime aromatibus condita, propinato quoq; vino græco generoſiſſimo, mihi non modo ad ſatietatem, ſed interdum ad abundantiam exhibueritis. Recordor & ieiunii Armeniorum: cui quoq; interfui. Hi enim deridentes tum Romano Catholicos, qui piſces edentes, negant ſe carnes edere, tum vos Græcos, qui animalcula viua, quales ſunt cancri, oſtreæ, conchæ variæ, licet ſanguine carentia, ſed vitam habentia, carnes ſe quoq; edere negant: Armenii, inquam, vt ſeſe quoq; in ieiunando ſuperiores his vtriſq; demonſtrarent: me itidem ad ſua ieiunia inuitarunt: ibiq; fercula ex diuerſis leguminibus, ficubus, placentis, vuis paſſis, malis citri, pomogranis, oleribus diuerſi generis, quibus omnibus oriens mirifice abundat; & præcipue Conſtantinopolis, & quæ leui precio comparantur, præpararunt; adhibitis quoque generoſiſſimis vinis, quæ pene omnia Maluaticis aſſimilantur.

Græcinunc fruſtra omnem cauſam errorũ ſuorum in Romanam Ecleſiam trãſferunt.

Græcorũ moderna religio corruptiſſima.

Ieiunia Græcorum ſunt lautiſſima conuiuia.

Armenii in ieiuniis Romanos & Græcos deridentes, ipſimet ridiculi ſunt.

Hinc me non i eiuniis tam apud Græcos, quam apud Armenios ſed lautiſſimis conuiuiis interfuiſſe; & ſæpe cum ieiunantibus nos omnes vino oneratos à tali ieiunio, quod illi in diuerſitate ciborum, non autem in ſobrietate, & temperantia collocant, diſceſſiſſe memini. Certe hæc ratio ieiunandi commutata illa ratione victus, poſſet loco magni conuiuii etiam regi alicui Europæo eſſe: qui hæc conſequi non poteſt; etiam ſi multa impenderet.

Hanc rationem, inquam, ieiunandi, vel potius in ieiuniis DEO illudendi, vbi ex ſcriptura ſacra didiciſtis? Iudæi, & Turcæ vobis videntur ſuperiores: qui ieiunantes toto die, non edunt, nec bibunt: quanquam deinde totam noctem helluando conſumant. Nonne CHRISTVS, inquit; ea quæ in os ingrediuntur, non coinquinare hominem; ſed quæ ex ore egrediuntur? Nonne Sanctus Paulus ſcribens ad veſtrum anteceſſorem Timotheum Epiſcopum Epheſinum prædixit Pſeudoapoſtolos, qui cibos, & coniugia eſſent interdicturi, & ob id Satanæ doctrinam tradituri: quod audire, nõ autẽ

Iudæorũ & Turcarum ieiunia.

Matt. 15. 11.

Vera ieiunia à Christo & Apoſtolis præſcripta.

1. Tim. 4. 3.

mutare horrendum est? Abstinent multi vestrum, qui sacerdotes estis, à coniugio: ne priuemini officio vestro, ac reditibus: interea indulgendo scortationibus, pollutis corpora vestra; quæ deberent esse viua templa Spiritus Sancti. *Missa Græcorum.* Sacra vestra lingua docta Græca; sed quæ nunc à vulgari differt, & quam populus non intelligit, peragitis. *Peregrinationes Hierosolymam versus.* Peregrinationes Hierosolymam versus, plenas superstitionibus suscipitis: ibique ad sepulchrum CHRISTI in sacellis à vobis exstructis mercaturam cum Turcis exercetis, *Mercatura Græcorũ ex sepulchro Christi.* neminem Christianorum è nostris terris eo euntem intromittentes, nisi & Turcis & vobis grandem pecuniam exposuerit: cum tamen salutarius esset, vt Christum, qui non locis alligatus est, in spiritu, & veritate quilibet domi suæ adoraret; *Vera peregrinatio qualis.* & peregrinationem ad peragrandum legendo vetus, & nouum Testamentum susciperet: vbi pulcherrima monumenta non modo CHRISTI sepulti, sed & sedentis ad dexteram DEI, & suis fidelibus secundum diuinitatem vbique præsentis, & eos spiritu sancto regentis, conspiciuntur: vbi prædictiones cum euentibus conferuntur, & ex his certitudo de futuris euentibus in verbo DEI prædictis, certa spe expectatur: vbi admirabili illa harmonia Spiritus Sancti in veteri, & nouo Testamento corda fidelium CHRISTI inenarrabili gaudio, lætitia, & pace, quæ omnem intellectũ humanum superat, gestiunt. Hæc, inquam, monumenta in verbo DEI, vobis peregrinantibus ad ruinas lapidum, peregrina sunt; *Vera monumenta.* cum domestica, & notissima esse deberent. Fateor & hoc iucundum esse, cernere illa loca Orientis; in quibus Adam homo ille primus terrestris creatus, lapsus, & erectus: vbi tanta miracula in populo Israel facta: vbi secundus ille Adam, cœlestis, ipse Dominus è cœlo, verus DEVS manifestatus est in carne: grata hæc sunt inquam, spectatu. *D. August. votum.* Nam & D. Augustinus optabat vidisse Romã in flore, CHRISTVM in carne, & Paulum concionantem: cum tamen & CHRISTVM, & Paulũ melius in Euangelio CHRISTI internis oculis conspexerit, *Internis nũc oculis Christum & eius monumenta videre magis expedite quàm externis.* q̃ ii, qui externe eos viderunt & nõ crediderũt. Ac cũ hodiernæ peregrinationes plenæ sint apud multos abusuũ, & superstitionũ: ideo earũ abusus hic taxatur. Dum enim ruinas illas lapideas tanquam monumenta iræ DEI cernimus: monemur & deducimur ad timorem DEI: si hoc in viridi factum, quid in sicco non metuendum? Cernuntur enim Babylonis adhuc ruinæ, item Troiæ, & Carthaginis, quæ nunc Tunis appellatur.

Carthago olim cur nũc Tunis dicta. Ac vt digrediar paulo: cum mihi permissum esset à Turcis, sed iis præsentibus, Regem Tunetanum, qui à tempore captæ Tunis captiuus Constantinopoli detinebatur inuisere: quærenti mihi ex eo, an vbi nunc Tunis est, ibi Carthago illa æmula Romani Imperii fuisset; Respodit esse in hoc loco: sed ideo Tunis appellari, q̃, cũ ab antecessorib. suis ruinæ illius reparatæ essent, & nomine nouæ Carthaginis appellaretur, Romani dixerint: Tu nõ es Carthago amplius, hinc dictã esse Tunis. Verũ se credere idẽ aliquñ futurũ cum

Roma; quæ tot reges, & regna euerterit vt ea quoque euersa, dicant prætereuntes; Tu non es amplius Roma. Sed reuertor ad Græcos. Nonnulli eorum Hierosolymam versus peregrinationem nudis pedibus suscipiunt: hoc idem nonnulli Turcæ Mecham peregrinantes faciunt: imo coram hominibus nonnulli Turcæ sese flagellant: nonnulli cultris se scindunt; nonnulli sese castrant; nonnulli candenti ferro oculos ad cæcitatem adurunt; ne conspecta semel Mecha, & sepulchro Mahometis, vanitates mundi deinde cernãt. O iusta DEI iudicia, vt quibus crux, & lux Euangelii CHRISTI pro stultitia est, ii in sua cruce, stultitia & cæcitate pereant! *Græcorum & Turcarũ superstitiosa peregrinationes & voluntaria insania.*

In summa religio Græca, sicut & Moschouitarum, qui eandem se profiteri dictitant, cortice tantum Christianismi; neglecto nucleo gratiæ Christi, quæ nobis in Euangelio Christi exhibetur, tecta est. Vnde hoc? nisi ex contemtu verbi DEI: in quo de nostra coram DEO gratuita per fidem in Christum iustificatione docemur; quæ ex æterna DEI prædestinatione & electione manat. Qua cognita facile superstitiosas ceremonias extra & contra verbum DEI confictas reiicerent: maior in illis esset ardor scrutandæ sacræ scripturæ; maior Zelus in gratiis agendis DEO, qui illos vasa misericordiæ suæ fecit. Hinc quoque maior humilitas erga DEVM, & homines sequeretur: maius studium exardesceret ad se mutuo ædificandos, & confirmandos in gratia DEI, & quidem viua potius voce Euangelii & à populo intellecta, quam multis mortuis, & surdis ceremoniis, quæ mutos, surdos, & spiritualiter mortuos decent. Hinc etiam maior contemtus esset Turcarum, & omnis illorum stupendæ & tremendæ maiestatis, & potentiæ: cum potentior sit Christus in nobis, quam vniuersus mundus. *Moschouitæ Græcis similes.* *Sana & vera Euangelii doctrina.* *Cæremoniæ mutos, surdos, & incredulos decent*

Sed desino de his plura narrare. Etenim testes sunt harum omnium superstitionum Græcarum omnes, qui eo commeant, & cum eis verba conferunt: licet interdum aliter ad nostros viros doctos Græci scribant; vti id ipsum ex oratione Chytræi, cui literæ eorum adiunctæ sunt, apparet. Ego saltem hoc de Orientalibus, dolens eorum vicem, & suspirans, addam; me hoc conspexisse: vbi DEVS neglectum verbi sui punire vult; eum talia loca, & regiones veluti agros steriles, non seminato in iis verbo suo, relinquere. Sic enim S. Paulus inquit; vos ager DEI estis, nos agricolæ: & S. Petrus ait; nos semine incorruptibili verbi DEI progenitos ad hæreditatem immarcescibilem, incorruptibilem, quæ nobis in cœlis adseruatur: & ad quã nos sola DEI potentia custodimur. Vbi ergo nõ conseruntur agri Christiani spiritualesq; puro verbo DEI, sed mixtura variorũ leguminũ: ibi non modo zizania nasci, sed omnis generis inutiles herbas produci necesse est: ex quibus panis ille verbi DEI, quo electi DEI magis, quã externo pane aluntur, nõ cõficitur. Atq; hanc sterilitatẽ etiã videre licet apud nos Europæ *Iusta DEI iudicia in contemtores Euangelii Christi.* *1. Cor. 3. 9* *1. Pet. 1. 3. 4*

os in multis regnis, & prouinciis: vbi sterilis terra natura sua, ob maledictionē ipsi à DEO impressam, producit tribulas, & spinas. Sic & in spiritualibus aufert quoq; DEVS eiusmodi verbi sui contemtoribus, studium in scholas, & Academias Christianas excurrendi: in quibus non Græcum, non Moschouitam, non Georgianum, non Presbyterianum videbis: cur hoc? quia omnes hi præferūt verbo DEI maiorum suorum traditiones. Moschouitæ nouis reuelationibus Nicolai Apostoli, diuersis à doctrina aliorum Apostolorum, falso gloriantur. Presbyteriani in Affrica cum quibus quoq; Cōstantinopoli contuli, librum quendam habent: quem Manda & Abetilis vocant. Hunc ab omnibus Apostolis maioribus suis traditum asserunt: & omnibus Sacris scripturis veteris, & noui Testamenti præferunt. Hinc magis nomine quam re Christiani sunt. Religio horum infinitis obruta est ceremoniis, lampadibus, candelis, ablutionibus, processionibus: circumciduntur, & baptizātur, & aliqui in facie stigmata in nomine sacrosanctæ Trinitatis, loco baptismi adurunt suis infantibus. Polygamia, & Diuortia, sunt illis licita. Hæc ideo breuiter annuo vt appareat: quo non delitiorum aberret miser homuncio, spreto DEI verbo. In summa; translata est Græcia, Asia, & Affrica in occidentales Europæ partes: Dona DEI, quæ in Oriente, & Meridie claruere, transmigrarunt ab ingratis Orientalibus ad Occidentales, & Septemtrionales: modo ne & ob nostram ingratitudinem occasum minentur, & à nobis etiam ad vltimos Indos transmigrent. Vide de Americanis Ecclesiis Hieronymi Benzonis, & Ioannis Lerii tractatus breues: qui loca illa peragrarunt, & martyrio Christianos ab Hispanis affectos ibidem aiunt; coniicientes ex hoc semine sanguinis, fore, vt aliquando Indis purius, quam nunc Euangelium Christi prædicetur.

IOSEPHI ACOSTA IESVITÆ VIRI *Docti, iudicium de procuranda infidelium salute.*

INnuit hoc quoq; doctus Vir Iosephus Acosta Iesuita, Americanis peregrinationibus clarissimus, in tractatu suo; cui titulus est, DE NATVRA NOVI ORBIS, ET DE PROMVLGATIONE EVANGELII, APVD BARBAROS, ET DE PROCVRANDA INDORVM SALVTE: qui liber Coloniæ Agrippinæ cum gratia, & priuilegio Sacræ Cæsareæ Maiestatis Anno *1596.* impressus est; dignus sane, qui ab omnibus legatur.

Et quia ad sensum huius mei tractatus, quo tum causas ruinæ Orientis commemoro: tum quomodo cuperem Orienti prospectum esse, si DEVS

Chri-

Christiano magistratui aliquid imperii in eo concederet, multa vtilia Iosephus Acosta iis, qui Indos nunc docent, & qui illis imperant, præscribit: volui quædam hic ex eo breuiter excerpere, addito numero folii, vbi illa, quæ breuiter consignaui, à lectore eiusdem auctoris quæri, & prolixius legi poterunt.

Et quidem de Euangelio Indis prædicando ita disserit: fol. 169. Ac mihi sane, inquit, persuasum est; neque inde possum reuocare sententiam, etsi aliquando serius, & laboriosius, & parcius fortasse pro initiis; tamen aliquando Spiritus sancti benignitate, Indorum gentes fore; vt in Euangelii gratia multum locupletentur, & vberes coram Domino Zabaoth fructus ferant. Neque vero alias ego difficultates perpendo, aut timeo, quam operariorum fidelium, & prudentium in Christo magnam inopiam: cum magna profecto copia mercenariorum, & eorum, qui sua quærunt, non quæ IESV CHRISTI. Igitur si Dominus veros operarios miserit in messem suam; operarios, inquam, inconfusibiles, recte tractantes verbum veritatis; quos hæc natio hominum non sua quærere, sed se perspiciat; qui libenter filiis thezaurizent, insuper & se ipsos impendere pro animarum salute promtissimi sint: quibus adeo chari sint filii spirituales: vt non solum Euangelium Christi, sed ipsa quoque viscera tradere ament; qui probati à DEO ita loquantur, vt non quærant hominibus placere, sed DEO, qui probat corda: quorum sermo non sit in specie adulationis, neque in occasione auaritiæ: deniq; qui non suam sed DEI gloriam sincerissime quærant: tunc plane manipuli pleni in area Christi colligentur: tunc consumta sterilitate, lætissimæ segetes surgent, & congregabuntur in vitam æternam. Patientia interim opus est, & fideli ad DEVM oratione, vt mittat operarios. Neque leuiter, & temere pronunciata quisquam putet: ipsa rei experientia locuples testis est. Sunt homines DEI rari illi quidem: sed sunt certe: qui exemplo suo comprobauerunt, Indorum perniciem non ex ipsis esse: qui nacti fideles, strenuos, ac prudentes sacerdotes, ac duces; sentiunt plane doctrinæ diuinæ vim, & vita ipsa respondent; paulatim quidem vt solent omnia, sed tamen a cip unt semen; & vltro fructificant primum quidem herbam, id est externum religionis cultum, deinde spicam intelligentiæ, & adfectus qualiscunque: postremo plenum frumentum in spica, hoc est fidem iam plene per dilectionem, & operationem digne DEO. Neque enim summa incrementa exigenda sunt vno statim die.

Euangelii Christi gratia Indi locupletius prædicabitur.

Descriptio verorum operariorũ

Fructus talium operariorum.

Initia & progressus in instruendis Indis.

Hactenus Iosephi Acosta, & votum, & vaticinium de Euangelio plenius Indis prædicando.

Eadem & Græcis totique Orienti, imo, & Occidenti, sicubi in tenebris est, à DEO precor: vt vota hæc nostra fata DEI comitentur. Ac pulcherrimum est, quod ex Ambrosio fol. 137. de mẽsura fidei allegat idem Iosephus.

De mensura fidei pulcherrimum Ambrosii dictũ.

Adhibita semper est, inquit, vniuersis hominibus quædam superna mensura doctrinæ; quæ etsi parcioris; occultiorisque gratię fuit: sufficit tamē, sicut Dominus iudicauit, quibusdam remedium omnibus ad testimonium.

De prædestinatione & electione DEI Iosephi Acostæ ad sertio. Ex S. Augustino. Et fol. 134. Cur occulto iudicio DEVS quosdam in tenebris relinquat, non modo quosdam homines, sed etiam gentes, regnaque: cur Sol iustitiæ Christi non omnibus oriatur; cur hos DEVS elegit, hos præterit; id, inquit Acosta, nemo melius D. Augustino explicat, qui in hanc quæstionem diu, ac sæpe à se versatam incidens, in Epistola ad Optatum Episcopum ita scribit: Cur autem vocentur etiam illi; quos creator præsciuit; ad damnationem, non ad gratiam pertinere; beatus Apostolus tanto succinctiore breuitate, quanto maiore auctoritate commemorat.

DEVM enim, dixit, volentem ostendere iram, & demonstrare potentiam suam: pertulisse in multa patientia vasa iræ, quæ præparata sunt in perditionem, & vt notas faceret diuitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ. Et mox; merito autem videretur iniustum, quod fiunt vasa iræ ad perditionem; si non esset ipsa vniuersa in Adamo massa damnata. Quod ergo fiunt nascendo vasa iræ, pertinet ad debitam pœnam; quod autem fiunt renascendo vasa misericordiæ, pertinet ad indebitam gratiam. Ostendit ergo DEVS iram suam, id est iustam fixamque vindictam, quæ de stirpe inobedientiæ ducitur propago peccati, atque supplicii: ostendit & potentiam suam, *DEVS malis ad bonum vtitur.* qua bene vtitur etiam malis; multa illis naturalia, & temporalia bona largiens, eorumque malitiam ad exercendos, & comparatione admonendos bonos accomodans: vt in eis discāt agere gratias DEO; quod ab eis non suis meritis, qui in eadem massa pares fuerāt, sed illius miseratione discreti sunt.

Item fol. 144. inquit Iosephus Acosta, firmissimum stat DEI fundamentum, nouit Dominus, qui sint sui.

Et vlterius idem Acosta fol. 171. describit ciuitatem electorum DEI; quę *Ciuitas electorū DEI.* non multitudine hominum, sed veritate metienda est, his verbis: Ipse tamen Dominus dicit multos esse vocatos, paucos vero electos; multos ad Euāgelium, & nuptias inuitatos, paucos dignos se cōuiuio præbuisse. Quod sapiēter refutans Paulus sibi quoq; ipsi timet: & non cōtentus tam raræ vocationis suæ gratia, corpus adhuc castigat, & domat; ne prædicans aliis, reprobus ipse efficiatur: neq; hoc cōsilii electionis nostræ in Christo ullo modo igno- *Mensa Domini spiritualis. Electorum raritas.* rare patitur. Vt cum antiquos Patres tot, ac tātis beneficiis cumulatos videamus, & baptismo figuratiuo lotos, & mensa Domini Spirituali communicatos, & tamen ex tot millibus hominum vix vnum atq; alterū placuisse coram Domino: quibus iratus iurauit, si introibunt in requiem meam; nos quoque timeamus, neq; nobis ipsis de accepta iam gratia placeamus, & dum ad correctionem nostram scripta illa omnia intelligimus, qui nobis videmur stare in gratia ista Euangelii, omnibus modis caueamus, ne inde excidamus.

Nam

Nam & semen recipi, & exoriri parum prodest; quando vel Solis iniuria, vel spinarum improbitate corrumpitur.. Pauci sunt reuera, qui saluantur: neque semper multiplicata gente magnificatur statim lætitia. Sed si fuerit multitudo filiorum Israel, vt arena maris, reliquiæ saluæ fient.

Tota enim electorum ciuitas magna quidem ipsa per se: sed cum numerositate filiorum seculi huius comparata, exigua est: vt verissime à Sanctis Prophetis, reliquiæ saluæ esse dicantur: veluti ex magno aliquo aceruo, aut copioso conuiuio. Hæc eo pertinent omnia: vt inanis quorundam opinio refellatur, qui iustitiam DEI ignorantes, & suam volentes statuere, iustitiæ DEI non sunt subiecti. Hi tum demum messem vberem, & fructum copiosum sibi cogitant: cum ad votum succedunt omnia, atque hominum myriades lucro suo vix sufficere putant: quorum vt est laudanda voluntas: ita corrigenda sententia: ne, si gloriam Apostolicam æmulentur, & primitias Euangelii, quicquid inferius est, aut minus amplum, sterilitatem, & inopiam arbitrentur. Contentus certe esse debet operarius: si in vineæ labore, & fructu, Domini, atque hæredis voluntati satis factum sit.

Ecclesia electorũ Christi respectu mũdi paruula.

Contra Pelagianos, & illis similes: & qui multitudine hominum Ecclesiã Christi metiuntur.

Hactenus Acosta.

His positis à Iosepho Acosta fundamentis; nimirum de æterna DEI prædestinatione, tum in saluandis suis electis, tum in reprobis, iusto suo iudicio puniendis ad demonstrandam gloriam suam erga vasa misericordiæ: iam progreditur ad fidem, siquidem vera fides tantum sit electorum DEI: ideo homines ad fidem cogendos non esse, fol. *188*.

Homines ad fidem non cogendos.

Etenim neminem credere posse coactum, nisi volentem: cæterum multa hominem facere posse etiam nolentem fol. *165*. Fidei ostium nec ferro nec mendacio aperiendum esse fol. *191*. Solum enim DEVM, iudicem conscientiarum esse: quo aperiente quis claudet? quo claudente, quis aperiet? fol. *192*.

Solus Deus conscientiarum iudex & ianitor.

Item homines instar agri DEI, in quo nec plantans, nec rigans est aliquid; sed DEVS qui dat incrementa fol. *182*.

Quare incredulos verbo DEI docendos: apostatas vero tanquam putridum membrum, à sanis in corpore membris resecandos fol. *195*. Dominatum vero fidei hominum omnino fugiendum; multo minus competere spiritualibus: vt moribus secularibus imperent: ad id probandum citat ex secundo libro Bernardi de consecratione quæ ille ad Eugenium Pontificem scribit his verbis fol. *193*. Diuine quoque Bernardus Eugenium admonet: Vicario Christi non dominatum in Orbem, sed apostolatum conuenire. Item fol. *196*. inquit, Pontifici non competere ius refor-

Apostatæ resecãdi à viuo membro.

Spiritualibus non cõpetere dominatũ in Ecclesia, neque

mundanis se immiscere rebus, vnde nec Romano Pontifici.

mandi eos, qui foris sunt. Etsi autem Iosephus Acosta id tantum intelligere vult de incredulis gentibus, Christum ignorantibus; siue quod citius crediderim, dogmata vera Ecclesiæ Romanę tradere cupit; & suæ sectę homines ad id deducendo alio pallio veritatē illam contegit: tamē ego cum Bernardo simpliciter de omnibus dictum esse, intelligo, & præsertim interpretante id Gregorio Magno, contra Ioannem Patriarcham Constantinopolitanum, qui primatum in Ecclesia ambiebat: vbi Gregorius Magnus ait; quemlibet Episcopum contentum esse debere in regendis animabus territorio suo: & extra illud in alienam messem non euagari.

Gregorii Magni certamen cōtra primatum in Ecclesia.

Quod vtinam obseruatum fuisset tum in Oriente, tum in Occidente: certe Turcæ non tantos progressus fecissent, vti fecere! Item fol. 103. ait Acosta; qui fidem armis propugnant, cum ea sit donum DEI, sua propria, & non salutem hominum quærere. Sic & fol. *192.* fidem non esse cogendam, sed desertores fidei esse cohercendos: & homines verbo DEI docendos fol. *241.* & *246.* Item veritati verbi DEI, & vitæ sanctimoniæ plus fidendum, quam miraculis: sat enim miraculorum esse; vbi pie iuxta verbum DEI viuitur fol. *225.* & *509.* Neque enim, inquit, illustriora miracula ad Euangelii commendationem adhiberi possunt: quam vt sacerdotes neque auaritiæ occasione, neque libidinum sinistro rumore doctrinam Euangelii dedecorent. Item, religionem ex veritate, & non ex hominum opinione metiendam fol. *247.* Item non claudicandum cum Baalitis fol. 150. Item fol. 454. magnæ insaniæ esse mysterium Ecclesiæ velle opponere mysterio Christi; id est fidem implicitam, de qua nonnulli in Ecclesia gloriantur, velle præponere explicitæ fidei in verbo DEI reuelatæ. Item fol. 530. Ecclesiam ius Diuinum tollere, aut immutare non posse. Item fol. *161.* de sacra vendentibus ita inquit. Nam quæ fieri potest fidei prædicatio; quæ morum institutio speranda sit, si, iuxta prophetam, sacerdotes non solum mercede doceamus, sed mercedem etiam potissimum requiramus? Reuera verendum est; ne venale putent barbari esse Euangelium, venalia Sacramenta; neque animas nobis curæ esse, sed nummum. Item fol. *158.* De Proselytis, quibus multi secundum carnem tantum gloriantur; quidam, inquit, teste Paulo non syncere Christum annūciant, quidam autem ex bona voluntate. Item fol. 159. De nobis autem, id est de ministris Ecclesiasticis fortassis non sit minor querela: atque vtinam minime ad nos pertineant illa prophetica; Principes eius in medio quasi lupi rapientes prædam ad effundendum sanguinem, & ad perdendas animas, & auare sectanda lucra. Prophetæ autem eius liniebant eos absque temperamento; videntes vana, diuinantes eis mendacium; populi terræ calumniabantur calumniam, & rapiebant violantes egenum; & pauperem affligebant, & aduenam opprimebant

Fides armis non docēda, sed verbo DEI.

Vera miracula pia vita iuxta verbū DEI.

Non claudicandum cū Baalitis.

Fides implicita nō præponenda explicitæ.

Ius diuinum ab Ecclesia mutari non posse.

Contra sacra vendentes:

Hypocritæ plerunque multitudine proselytarū gloriantur.

Descriptio degeneris Ecclesiæ:

bant calumnia absque iudicio, sine temperamento hi liniunt, qui peruersis ausis colorem vndecunque quærunt, etiamsi nulla vera ratione subsistat.

Sed illud, & formidandum, & dolendum; quod adiungit sermo diuinus. Et quæsiui de eis virum, qui interponeret sepem, & staret oppositus contra me pro terra, ne dissiparem eam, & non inueni: & effudi super eos indignationem meam. In igne enim iræ meæ consumpsi eos; viam eorum in caput eorum reddidi, ait DOMINVS DEVS. Nec dissimilis Micheas est; Principes eius in muneribus iudicabant, & Sacerdotes eius in mercedem docebant, & super Dominum requiescebant dicentes; Numquid non Dominus in medio nostrum? Non venient super nos mala. Propter hoc causa vestri Sion quasi ager arabitur, & Ierusalem quasi aceruus lapidum erit, & mons templi in excelso syluarum. Sophonias quoque inclamat, ac post multa concludit; Desolatæ sunt ciuitates eorum non remanente viro, neque vllo habitatore. Quæ prolixe recitata sunt oracula Prophetica: quod similia, quadam ex parte, hisce quoque temporibus accidisse cernamus. Item contra auaritiam fol. 164. Quemadmodum impudicitiæ fœditas despicabilem reddit prædicatorem: ita auaritiæ sordes faciunt odiosum. Atque haud scio, an quicquam aliud magis audientium animos à verbo DEI auertat, & alienet: dum pietatem quæstum putant; & sicut scriptum est, vitæ conuersationem compositam esse ad lucrum. Quam professionis Euangelicæ pestem, Christus Dominus à prædicaturis discipulis amolitur. Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in Zonis vestris, non peram in via, neque duas tunicas, neque calceamenta, neq; virgam: dignus est operarius cibo suo; Gratis accepistis, gratis date.

Pœnæ prædicta in degenerem Ecclesiam.

Cōtra auaritiam sacerdotum.

Quam expresse, quam diligenter, quam etiam minutim inculcatum? Cibum solum Euangelistæ suo Dominus permittit, & quidem vt prædicationis non sit causa, sed fructus. Quærite primum regnum DEI, & iustitiam eius, & hæc omnia adiicientur vobis. Sed ne ipsum quidem cibum Paulus, excellentissimus prædicator, admittit: sed laborat manibus suis: ne quem grauet; vt sine sumptu ponat Euangelium: & gloriæ ducit, quod nemini onerosus sit; cum possit oneri esse, vt Christi Apostolus. Animaduertebat optimus architectus, & sapiens, fabricam Euangelii magnopere, quauis commodi specie, etiam iusti, etiam necessarii, vel impediri, vel certe retardari: ob eam rem eligebat potius mori, quam vt gloriam hanc suam, id est fructum Euangelii copiosum perderet. Quamobrem præ omnibus Apostolis non solum amplius laborauit, sed multo etiam vberius fructificauit.

S. Paulus manibus laborabat.

Fructus non auari Pastoris.

Ingenerat reuera explicatio hæc Euangelica animis hominum admirabilem quandam vim amoris: vt quem tuis commodis insudantem videas, oblitum sui, rem propriam negligentem; hunc totis visceribus complectaris, tanquam syncere & paterne tua curantem! Quare cupiditatem omnem, & turpe lucrum principes Apostolorum Petrus, & Paulus in Ecclesiæ ministris sæpe, & grauissime detestantur: si qua ergo plaga dolenda est in hac causa, auaritia est. Quid enim non agat mali, auri sacra fames? De purgatorio ita annuit fol. 173. Illud firmum est diuinæ legis oraculum: in vltimo agone vitæ de tota causa pronunciari: vt quem mors iustificatum inueniat; huic non admodum obsit vitæ prioris iniquitas. Item fol. 531. & 532. multa de spirituali manducatione corporis, & sanguinis Christi differit, inquiens; *Spiritualis Christi manducatio etiam veteribus Patribus communis fuit*; vt Apostolus confirmat, inquiens; Omnes in mari & in nube baptizatos esse: & omnes eandem escam spiritualem manducasse.

Iosephus Acosta de purgatorio ait, condemnandos hic condemnari, & iustificandos hic iustificari.

Spiritualem corporis & sanguinis Christi perceptionē niti auctoritate verbi Dei, Patrū, & Catholicæ Ecclesiæ consensu.

Quare & nunc Christiani ipsum Christum sacramentaliter sumere debent ad vitam spiritualem conseruandam; id quod Catholicæ Ecclesiæ consensus constantissime confirmat testimoniis illis ex 6. cap. Ioannis allatis. Item fol. 353. inuehitur in quendam, vt ille ait, insigniter doctum virum, & qui pro religioso inter Christianos habitus est: eum multis & prolixis commentariis apud Indos docuisse: sibi reuelatum esse ab ipso S. Paulo: vt crederent homines implicitè tantum, quæ credit & seruat Romana Ecclesia.

De Pseudo quodam doctore apud Indos.

Cæterùm, Sanctam Trinitatem, & Christum hominum Saluatorem profiteri, docere: & credere; sicuti non sit necessarium ad salutem: ita difficile ad docendos alios, & ad credendum huic doctrinæ, sufficere hominibus ad salutem vnius Dei creatoris cognitionem, moralem disciplinam absque prædicatione Euangelii: quem blasphemum nebulonem Iosephus Acosta merito dæmonis reuelationem habuisse ait, docens; extra Christum nullam esse salutem.

Næui Iosephi Acostæ.

Næui Iosephi Acostæ adeo vt pene non cōstet, adulet ur ne suis, an vero Nicodemum agat: quo sub auctoritate Romani Pō-

Hæc omnia quam pie, & orthodoxe à Iosepho Acosta scripta sint; quis non videt in verbo DEI, vel mediocriter versatus? Verum idem Acosta suos næuos prodidit: dum ex tam insuperabilibus præmissis, ex quibus Syllogismus necessario conformis, & correspondens iis, quæ præmissa, & loco immobilis fundamenti posita erant sequi debuit, plane alio deflectit.

Etenim

Etenim antea constanter ita maiorem Syllogismi doctrinæ sanæ ex verbo Dei, & orthodoxorum Patrum consensu desumptam, contra secus docentes formauerat:

Ecclesia, cum sit ciuitas Electorum Dei prædestinatorum ad vitam æternam: in qua fundamentum stat firmum, (nouit Dominus, qui sint sui) cuius fides non est hominis, sed solius Dei opus: hanc ad fidem non cogendam, sed verbo Dei erudiendam: non imperandum conscientiis pro libitu; si quidem Deus est solus legum lator, & conscientiarum iudex: religionem non ex opinione, aut multitudine hominum, sed ex veritate in verbo Dei patefacta, metiendam: non fingendas nouas reuelationes extra verbum Dei, vti ille in India Pseudo-apostolus, de quo supra dictum est; siquidem ipsa Ecclesia ius diuinum tollere aut immutare non potest: verbo Dei, in quo Seruator Christus patefactus est, inhærendum, & non claudicandum cum *Baalitis*. Atque hæc maior esto huius Syllogismi.

tificis, veritatem DEI immotã de æterna DEI electione etiam Romano Catholicis tradat, & tum ex verbo DEI tum ex Patribus confirmet.

Minorem ita ponemus ex eodem Iosepho Acosta; Huic sanæ doctrinæ, & cui contradici non potest: quia nouus ille Pseudopropheta contradicit, fingens, se nouis reuelationibus à S. Paulo ad tradendam hanc doctrinã informatum; rudioribus non esse necessarium, credere; Christum esse hominũ Saluatorem: cum tamen nouæ reuelationes in verbo DEI, teste S. Paulo adeo sint prohibitæ: adeo vt si non modo ipse Paulus contra suum Euangelium à se prædicatum, aliquid noui: sed etiam ipse Angelus è cœlo aliquid aliud huic Euangelio contrarium adferret; esset anathema: cum ne Ecclesia quidem ipsa habeat ius immutandi, multo minus tollendi aliquid de iure diuino.

Conclusio.

Quod cum hic Pseudo-Apostolus Indicus, & quicunque alii, faciunt: itaque blasphema eorum dogmata ab ipsa Satanæ reuelatione profecta, execranda, fugienda, & anathemate verbi DEI ferienda, & à pio magistratu Christiano coercenda: vt tales impostores DEVM blasphemare desinant.

Atque hæc conclusio Syllogismi in hunc Pseudo-apostolum ex præmissis, nimirum maiore, & minore necessario & ineuitabili modo sequitur.

Iam ipsemet Iosephus Acosta oblitus eorum, quæ antea firmiter asseuerauerat fol. 247. religionem non ex hominum opinione, sed ex verbo DEI

metiendam, item fol. 530. Ecclesiam ius diuinum tollere aut immutare non posse. Item fol. 150. In rebus diuinis non claudicandum: ecce quo non contra sanam doctrinam prius à se affirmatam prolabitur! dum ita libellum suum concludit fol. 537. Ecclesia potuit plebem vtraq; specie communicare: & mox idipsum lege vetare. Nam vbique illa quidem in dispensatione sacramentorum potestatem maximam habet diuinitus datam: sed nusquam ita illustrem atque perspicuam, atq; in hoc omnium diuinissimo Sacramento, quod profectò præclare docent Tridentini Patres, illis verbis: præterea declarat, hanc potestatem perpetuo in Ecclesia fuisse: vt in Sacramentorum dispensatione, salua illorum substantia ea statueret, vel mutaret; quæ suscipientium vtilitati seu ipsorum Sacramentorum venerationi, pro rerum, temporum, & locorum varietate magis expedire iudicaret.

Hactenus Iosephus Acosta: cui annon etiam ita Syllogismus ex ipsius propriis adsertionibus construi potest.

Iosephus Acosta docuit; non audiendos eos, qui veritatem ex hominum opinione metiuntur: & qui se aiunt ius diuinum tollere, aut immutare posse: & in veritate DEI non claudicandum. Quod cum ipsemet faciat in Eucharistia Cœnæ Dominicæ; tribuendo Concilio Tridentino tantam potestatem; vt contra expressam CHRISTI institutionem in cœna Domini statuere, dispensare, & immutare queat: Ergo in dispensatione Sacramentorum Iosephum Acostam; vt qui non modo verbo DEI, sed iis quæ ipsemet antea docuerat, contrarìa nunc adfert, præferendo hominum auctoritatem veritati immotæ diuinæ, & claudicando cum hominibus; non audiendum esse sequitur.

Quæ sanè syllogismi conclusio, quin ex ipsis fundamentis à Iosepho Acosta positis, ineuitabiliter sequatur necesse est. Ah nonne huic Acostæ viro docto dici posset, quod ad iuuenem illum Christus dixit; non longe ab-
c.3.1. es à vita æterna. Item quod Paulus ad Galatas inquit; Bene cucurristis:
v.3 quis vos fascinauit, ne obtemperetis veritati? Item, Spiritu incepistis, car-
c.1.10. ne absoluistis. Item, Si hominibus placerem, non essem Christi apostolus. Hocne est, seductos illos Indos à pseudo illo propheta, à nouis reuelationibus abducere, & in immota immutabilique, in verbo Dei patefacta veritate confirmare? Hoc enim vnico concesso (quod procul à fidelibus Christi absit) homines posse contra verbum Dei dispensare, innouare, mutare pro temporum & locorum varietate (ita enim verba Acostæ in loco allegato de Testamēto Christi sonant) quid indè aliud sequetur, quàm quod stabilientur omnia illa fundamenta, quæ apostatæ illi, in colloquiis meis cum il-

cum illis Constantinopoli, ad tutandam suam apostasiam, proferebant? Dubitatione enim concepta de verbo Dei; quòd illud mutari pro libitu hominum queat: quid obstat, quin cœca hominum mens, nouitatum auida, quamuis religionem amplectatur: in qua illi bene sit, & quam multitudo hominum, & externi rituum in errore consensus, illis comprobauerint? Certè Apostatæ Constantinopolitani sæpe nobis istas dispensationes obiiciebant, vti supra dixi: nostrum Euangelium, aut incertũ aut imperfectum esse oportere, cum de eo dispensare queamus. At quia certum esse adfirmamus, & à Christo nobis exhibitum; in quo salus nostra consistit, gloriamur: ergo mutando illud superiores ipso Christo esse volumus. Hoc ab illis non fit in Alkorano; de quo nemo palam contraria dispensare potest, nisi quid de facto clam fiat. *Ioh.1.18.*

Et hæc quidem sufficiant, me ex Iosepho Acosta viro docto, hic quoq;, tum ad confutanda Apostatarum in Turcia argumẽta; tum ad næuos quoque eiusdem Acostæ aperiendos attulisse. Ego Deum ardenter precor, vt hunc Iosephum Acostam Iesuitam, si adhuc in viuis est, qui tam pia & orthodoxa in saluandis hominibus, & regendis conscientiis ipsorum, & ad adhærendum soli Dei verbo, fundamenta posuit, vlterius illum net: quo ex istis fundamentis non modò syllogismum conuenientem præmissis, faciat; sed etiam ad id faciendum, & immotæ veritati Dei adhærendum alios ducat, doceat: & exemplo ipse sit, non claudicans modò in vnam, modo in alteram, modo in vtramque partem. Si enim hominibus non licet hominis testamentum, teste Paulo ad Galatas, immutare, & ex eo aliquid detrahendo, aut ei addendo, crimen falsi committere, & ita se hæreditate illa priuare: quanto minus licebit hoc in vltimo Christi testamento tentare, quod à Christo institutum, ab Euangelistis consignatum, & ipsi Sancto Paulo in tertium cœlum rapto, ab ipso Christo in Concilio Sacrosanctæ Trinitatis, cuius maior est, quam Tridentini concilii auctoritas, repetitum est: nisi, & nos ipsos, & alios hæreditate cœlesti priuare velimus? *c.3.15.* *2.Cor.12.2.*

Hæc, hæc sunt certè illa offendicula, quibus multi à fide Christiana deficiunt; argumentantes ita: Si vltimum Christi Testamentum pro libitu hominum mutari potest: quo gloriantur Christiani, sibi promissa Christi obsignari: Ergo omnes promissiones Euangelicæ mutari ab hominibus possunt: modò titulum Ecclesiæ in multitudine hominum obtineant: atque ita; cum hoc idem factum sit in Alkorano Mahometis; ergo doctrinæ huius itidem, & magis credendum, quàm Christianorum Euangelio.

Quæ omnia ideo hic copiosius à me, etiam testimonio aliorum adducto, commemorantur: non vt in odium eorum, qui Sacrosanctam Tri-

nitatem, verum illum vnicum DEVM, extra quem nullus fuit, est, aut erit DEVS, corde credunt, ore profitentur, & eam in spiritu, & veritate adorant, quicquam dicere velim: quin potius condoleo imperfectionibus, & næuis nostrorum omnium: qui fructus dignos tanta, in verbo DEI nobis reuelata, indebita gratia DEI, ex mera misericordia Dei in Christo Theanthropo exhibita, non ferimus. Demonstrare tantùm conor: impossibile esse, non modò gentes, & seductos Christianos absque verbo Dei, externa illa hominum auctoritate, & ceremoniarum obseruatione (exceptis proselytis illis hypocritis filiis gehennæ, quorum etiam Iosephus Acosta meminit) non lucrifieri: sed nequidem Christianos puriores in agnita veritate Christiana ad perseuerandum in ea confirmari: nisi fidelis anima Christi deducta fuerit ad solum Dei verbum, quod est potentia Dei ad salutem omni credenti, & imas medullas fidelium Christi penetrat: & vt soli Deo fidat, in eo quiescat, & pro Christo mundum contemnat, & mortem subire pro eo, sub spe vitæ æternæ consequendæ, non subterfugiat. Ac sicut lampades absque oleo durare, & lucere; nec oculi, quamuis perlucidi, absque luce videre possunt: sic nec durare, nec videre homo absque verbo Dei potest. Quare excusatam habeat doctus ille vir (si adhuc viuit) Iosephus Acosta meam censuram; quæque in illo non laudo, &, quæ laudo. Quanquam non mea hæc censura, sed verbi Dei est. Imò hæc omnia ex ipsis fundamentis, quæ ipsemet Iosephus Acosta in medium ex verbo Dei, & perpetuo Patrum & Ecclesiæ veræ consensu attulit; licet inde alio deflexerit, profero.

Ac certè ex animo optarem: si cum tanto viro, qui tanta, & tam immota salutis nostræ in Christo, & regendæ eius Ecclesiæ fundamenta posuit, colloqui; & cum eo in spiritu mansuetudinis, & vinculo charitatis Christianę conferre possem. Forsan est vnus ex illis suspirantibus Ezech. cap. 9. Quod si viuit, redamet me; cum & ego ipsum amem, & nęuis eius potius condoleam; quàm vt illum pro inimico habeam. Certè, nisi pro conclusione sui tractatus, (licet id quàm breuissimè tantum, & obiter quasi fiat) liberrimę potestatis Ecclesiæ Romanæ in dispensando, quod ad Sacramenta attinet, mentionem fecisset; fuisset pro summo Hussita, Lutherano, & Caluinista declaratus; forsan quoq; condemnatus. Sed cum
2.Reg.5.18. Naamo sancto, vti puto, petiit sibi concedi à Propheta Elisęo, vt ingres-
19. suro sibi templum Domini sui, liceat quoque cum Domino suo flectere genua, & brachium Domino suo prębere. Ad quæ quid ei responderit Propheta, notum est.

In summa sub hoc pallio potestatis Romanæ Ecclesiæ in dispensando de Sacramentis, videtur mihi eidem insinuare: vt relicta missa, qua

non


non ædificantur gentes, & cuius nullibi meminit, de Cœna Domini ritè administranda dispenset; & ne sæuiat in eos, qui eam ritè celebrant: qui iustitiam suam in solo Christo, & æterna nostra in eo electione fundant; spirituali manducatione corporis, & sanguinis Christi per fidem veram, vtuntur. Etenim hæc omnia Iosephus Acosta, vti supra demonstratum est, liberrimè asserit. Dominus Iesus Christus, vnicus mundi Saluator, verus Deus, & homo, conseruet nos in veritate sua: ne claudicando, à veritate deflectamus. VERBVM enim EIVS EST VERITAS, & omnis homo mendax. Rom. 3. 4.

Iſai.*29*.v.*11*.

Omnis viſio Prophetarum, eſt illis inſtar literarum obſignatarum.

2.Cor.3.14.

Habent Iudæi in lectione Vet.Teſt. obductum velamen cordi ſuo, quod per Chriſtum tollitur.



Iudæi, quibus verbum Dei pro lucerna cum Dauide, Pſal.*19*.v.*105*. non eſt, ſed ipſorum Thalmud; in quo, pleno fabularum & tenebrarum, dum lucem per tenebras in tenebris quærunt, licet externis lampadibus & facibus ſibi luceant: tamen verè Iſaias de illis vaticinatus eſt, c.*59*.v.10. Palpamus velut cœci parietem, velut defecti oculis, offendimus ipſo meridie tanquam intempeſta nocte.

DE IVDÆIS CONSTANTINOPOLITANIS, ET ALIIS PASSIM OMNIBVS IVDÆIS, QVORVM ALII Thalmudo, alii Mosaicæ legi sese adhærere gloriantur, & de Proselytis, qui ex iis ad fidem Christianam conuertuntur.



IN vrbe Constantinopolitana sunt duplices Iudæi, cum quibus sæpe collocutus fui: & quidem ex omnibus Europæ nationibus eò confluentes: & quorum alii, & pene omnes Thalmudi fabulas sequuntur; alii, iique paucissimi spreto Thalmudo aiunt, se scriptis Moysis, & Prophetarum adhærere, & iis regi: verùm apud vtrosque vix vmbram eorum, quæ veteri populo Israelitico à Deo per Moysen præscripta fuere, reperies. Plures tamen superstitiones, & fabulæ reperiuntur apud Thalmudistas, ex summa in Moyse, & Prophetis legendis negligentia: dum externis, & contra legem Moysis, ceremoniis contenti, Moysen, & Prophetas non scrutantur. Alii verò illi, qui Mosaici, & puriores esse volunt, licet minus superstitionum habeant, & diligentiores in legendo Moyse, & Prophetis sint: tamen vtrique omnes promissiones illas, quas in medium protulere Prophetæ de Messia, & semine Dauidis orituro, & æternum in throno Dauidis cessuro, & de restauranda Politia Iudaica, & de ædificanda Hierosolyma, omnibusque gentibus ab vno pastore regendis carnaliter, interpretantur. Imò eò dementiæ peruenere, vt affirmare mihi veriti non sint; decem tribus illas à Salmanassare abductas, adseruari in quodam remotissimo Asiæ loco: quem locum vndiquaque mare arenosum cingat, perpetuo motu instar vndarum sese agitantem, & commouentem; vt nulli hominum eò aditus pateat: nec patere possit, vsque ad aduentum Messiæ ipsorum.

Sunt inter eos miræ, & pene incredibiles fabulæ de duobus Messiis, quos venturos expectant: quorum priorem Ben Ioseph, alterum Ben Dauid nominant. Illum quidem aiunt post aliquot magnas victorias à Christianis, & aliis incredulis reportatas tandem in prælio casurum: hunc verò vniuersum orbem terrarum suo imperio armis, ferroque subacturum, & regnum Hierosolymæ erecturum: vbi ossa, & cineres omnium Iudæorum per loca subterranea, singulari Dei potentia, ex vniuerso orbe terrarum transferentur in terram sanctam: & ibi resurgent, regnatum cum

ſuo Meſſia Ben Dauide: qui illis ludos, & certamina magnorum animalium, magnitudine aliquot centurias miliarium æquantium, inter ſe certantium, ſeſeque mutuò dilaniantium exhibiturus ſit: præparato quoque ex iiſdem illis conuiuio. Atque ita Iudæos longo tempore cum ſuo Meſsia in ſummis gaudiis, deliciis, & abſque omnibus morbis, victuros: & tamen iterum morituros, & cum eodem ad vitam æternam reſurrecturos.

Quæ ſanè fabulæ, certè ipſas Alkorani ſuperantes, cum ſint in cõpendia à viris noſtri ſeculi piis, & doctiſsimis ex Thalmudo redactæ: eò lectorē remitto: nempe ad librum Germanico idiomate Baſileæ editum, cuius titulus eſt; Synagoga Iudaica, auctore M. Ioanne Buxdorfio, Hebraicæ linguæ ibidem Profeſſore. Item Chriſtophori Heluici Profeſſoris Hebreæ linguæ Gieſſæ tractatum Germanice ſcriptum, & editum anno 1612. qui inſcribitur Iudaica Hiſtoria Thalmudi, & Rabinorum fabularum, quas Iudæi pro veris credunt, eaſque diebus Sabbati, & aliis feſtis legunt. Conſule etiam Chriſtophori Gerſoni nati Iudæi, ſed ad Chriſtianiſmum conuerſi librum, quem inſcripſit, CHELEC, id eſt, Talmudi theſaurum, Germanicè Helmſtadii impreſſum anno 1614. Vide & Hebræo-Maſtygem Latinè editum ante annos ducentos à Iudæo ad fidem Chriſti conuerſo, impreſſum Francofurti anno 1602. Quibus addatur libellus Ioannis Druſii de tribus ſectis Iudæorum, Francofurti impreſſus Anno 1605. Commendo quoque recens ſcriptum Conradi Graſeri Regiomontani Franci, olim miniſtri Eccleſiæ Turonienſis, in viſione Danielis: vbi ex fontibus Hebraicis Chriſtum Meſsiam Theantropon demonſtrans fabulas Iudæorum præclarè refutat.

Sed ſicuti fabulæ Alkorani ſunt inſtar cloacæ fœtidiſsimæ fundo carentis, quæque nouis quotidie excrementis augetur: ita ſunt etiam fabulæ Iudæorum: qui extra Thalmudum mare quoddam fabularum habent, è quibus indies naſcuntur nouæ.

Idem apud Græcos, & alios quoſdam Chriſtianos, in quibuſdā fabellis, quæ Legendæ appellantur, apparet; dum ſingulares Sanctos ſibi fingūt: deq; Chriſti martyribus pluſquam ridiculas, & ſępe Iudaicis & Mahometanicis haud abſimiles fabellas confingunt: quæ inter anus, & ſuperſtitioſam plebem relatæ nutriuntur, & incrementa ſumunt.

Hinc videre eſt; ecquò non deliriorum, & abominationū, blaſphemiarumq; contra Deum miſer homuncio aberret, ſpreto verbo Dei, & relictus ſuis ſpeculationibus! Quòd ſi gentes in ſuis ratiocinationib. ex libro naturę, cordibus ſuis inſcripto, contēplando opera Dei in hoc cœli terræq; Alphabeto, ſtulti facti ſunt; cōmutantes Dei immotam veritatem in mendacium: pro qualibus quęſo habendi illi, qui & libro naturę adiuti, & codice vtriuſq; teſtamenti inſtructi, vtrumq; ſpernunt: imò obloquuntur vtriq;, adulterant.

idem,

idē,ſiniſtre contra ſenſum cōmunem,&rationem,nedū contra conſciētiā ipſamque diuinam veritatem, quod longe grauiſſimum, interpretantur: & tandem in ridiculas fabulas, quales inter nullas gentes à condito mundo fuere commutant: ceremoniis nouis & à DEO non inſtitutis ſeſe onerant, in iis ſeruandis (licet omnes illas ſeruare homini ſit impoſſibile) ſalutem collocant ſuam? Quaſi non ſufficerent adhuc Iudæis infinitæ illæ ceremoniæ à DEO per Moyſen inſtitutæ: nempe, diuerſæ ablutiones; quibus noſtra ſordities: lampades, & lumina, quibus noſtra cæcitas; ornatus, & veſtitus ſacerdotalis, quo noſtra nuditas fæditaſque; oblationes, & holocauſta, quibus noſtrorum peccatorum remiſſio: fumigationes, quibus, noſtræ ad DEVM preces, quas fundimus, figurabantur. Quæ omnia ceſſare debuerunt, aduenıente Meſſia, SOLE illo IVSTITIÆ noſtræ, agno illo immaculato, ad mactandum pro peccatis noſtris ante mundi fundamenta prædeſtinato, & iam mactato; factaque per hanc vnicam purificationem, & hoſtiam ſatisfactione pro peccatis omnium credentium in illum, id eſt, in illo electorum. Itaque conſpicitur nunc apud Iudæos non modo velamen illud cordi ipſorum obductum; quod per ſolum CHRISTVM tollitur; ſed iuſta etiam pœna DEI apud ipſos animaduertitur, teſte S. Paulo ad Romanos dicente; ſicut illis nō eſt viſum, DEVM in notitia retinere, ita tradidit eos DEVS in mentem omnis iudicii expertem: vt facerent quæ non conueniunt, veritatem DEI in mendacia commutando. Hinc fabulæ contra verbum DEI commentitiæ, hinc ceremoniæ in lampadibus, ablutionibus, conſperſionibus, fumigationibus, ornatu diuerſo ab illis excogitatæ: quibus ſuo ipſorum iudicio conuincuntur ſe adhuc cæcos, coinquinatos, ſordidos, nudos, & mendaces eſſe, atque ita abominabiles coram DEO, imo atheos: eo, quod humanis ſuis figmentis, & non diuinis adſtringuntur. c.1.25.28.

Excuſabiliores enim viderentur: ſi Moſaycis vterentur traditionibus, digniores etiam eſſent commiſeratione.

Verum illæ, quas hodie in ſacris ſuis frequentant, ceremoniæ, à Moſaicis illis tantum differunt, quantum à cœlo terra: vt de fabulis nihil dicam, ſed remitto lectorem ad auctores paulo ante à me citatos: quarum ſane fabularum ipſum certe Mendacium, ſi res foret aliqua in rerum natura ſubſiſtens, oporteret pudere; ne dum homines ratione prǽditos. Superant enim Alkorani fabulas: quas ſupra etiam breuibus tantum perſtrinxi. Ac ita opinor: ſi nouæ illæ Iudæorum fabellæ poſt editum iam Thalmudum, collectæ recenſendæ eſſent: fore: vt alterum efficiant Thalmudum: perinde vt Turcicæ illæ nouæ nouum Alkoranum. Vt ſummatim dicam, mundus pene integer non ſufficeret conſcribendis omnibus Iudæorum ſuperſtitionibus extra, & contra DEI verbum confictis.

Ac hiſce Iudæis quidem ſimiles ſunt omnes, qui fabulas extra, & contra DEI verbum comminiſcuntur: quique nouis ſe ceremoniis, quibus neque patres noſtri portandis fuerunt pares, onerant; imo conſpurcant: & per quas nomen DEI inter gentes blaſphematur.

Vbi enim verbum DEI non præſcribit fines certos de DEO, & eius veritate loquendi, ad adhærendum mandatis DEI: ibi neceſſe eſt: vt mens humana in infinitas præceps agatur ſpeculationes. Etenim ſi in publicatione legis Moſaicæ moriendum erat homini, & animali cuiuis; ſi ad montem illũ vltra poſitos limites appropinquare præſumeret: quanto maiori pœna dignus erit is: qui in Eccleſia CHRISTI hic militante, veluti in paradiſo aliquo collocatus, & certis finibus verbi DEI circumſcriptus, & quidem ſub æternæ mortis pœna, ne illos excedat, inobediens verbo DEI alio tranſilit & vagatur, auſcultans magis proprio ſuo iudicio, voluntati, ac appetitui, & Satanæ ſeductioni, vti primis Parentibus accidebat, quam verbo DEI: quod tamen ei debeat eſſe norma, non modo præcepta faciendi, & loquendi, ſed & cogitandi.

Sane populus Iudaicus, quo magis omnibus gentibus fabulæ, & ludibrio eſt: ita maior illius Zelus eſſe debebat ſcrutandi Moyſen, & Prophetas: & inſeruiendi DEO in humilitate, pulchro aliquo decentique ordine, ſecundum legem Moyſis. Verum in Synagogis eorum, quas mihi, & apud Chriſtianos, & apud Turcas videre contigit, nihil aliud reperi in orationibus, & ſacris eorum peragendis: quam homines inſanos, & furioſos, comædiam aliquam peragentes: in qua multæ geſticulationes, cantus inordinati, & qui modo murmurando, modo vociferando peraguntur. Preces quoque humiles, & vnanimes nullæ: demurmurante quolibet illas ſibi: conciones pluſquam ridiculę, & nulla in illis audiendis attentio, & deuotio. Ex quibus omnibus patet id, quod Apoſtolus inquit: legi quidem ab illis M yſen, ſed velamen obductum eſſe cordi eorum: quod per ſolum Chriſtum tolletur: cum plenitudo gentium introierit. (2.Cor.3.15.)

Hæc ideo commemoranda duxi, vt demonſtratem: quod ſemper inculco: vbicunque DEVS populum aliquem deſerit: ibi euidentiſſima documenta iſtius deſertionis eſſe, negligentiam hominum in verbo DEI legendo, meditando; contra ingens ſtudium cum ſuperſtitione coniunctum in nouis erigendis contra DEI præſcriptum figmentis. Non poſſum tamen non condolere Iudæis: tantum abeſt, vt odio aliquo crudeli contra eos ferar: tum quod aliquando populus DEI erant: tum quod documenta iræ DEI ſunt: tum quod ceu tutores ad conſeruandum vetus Teſtamentum à DEO conſtituti ſunt: tum quod DEVS inchoatum in Iudæis circulum operum ſuorum, vti firmiter credo, clauſurus in iiſdem ſit. Hoc

tum

tum arbitror futurum, cum cognito Christo suo Messia, in colendo illo, si non superaturi sunt ingenti Zelo constantissimos quosque cultores, qui fuerunt, & adhuc sunt, attamen æquaturi: & quasuis persecutiones Christi causa subituri: & ad illam veram promissam cœlestem terram, nouam Hierosolymam adspiraturi: idque ante vltimam illam mundi ἀπιστίαν, vbi scilicet Iudæorum ἀπείθεια, id est, contumacia cessauerit, & velum Moysis lucente illis CHRISTO, Sole illo iustitiæ, à cordibus illorum remotum fuerit. Ac quærebam Constantinopoli à Græcis: an aliquos Iudæorum ad fidem Christianam conuerterent? qui respondebant, id nunquam factum: quia inquiunt, non est hic aula, vt promoueantur; sed ad Turcas multi deficiunt. Quibus respondi; me nihil mirari: quod Iudæis è scriptis Moysis, & Prophetarum, Christum nostrum promissum illum Messiam esse, demonstrare nequeant: sed hoc magis mirandum quod ipsi Græci in tanta verbi DEI ignorantia adhuc in fide Christiana, per solas pene ceremonias illas externas, & patrum suorum traditiones consistere, confirmari, & aliqueant: si quidem fides ex auditu, & auditus per verbum DEI; per quod fides in cordibus electorum Christi, & plantatur, & incrementa sumit, & alitur.

Adeo vt hoc verissimum sit; quod sæpe collocutus cum Græcis, diligenter illis inculcabam: nempe firmissimum esse illud axioma: impossibile esse; vt Iudæi, Turcæ & quæuis gentes externis ritibus, & ceremoniis, & commemoratione perpetuę successionis in iis seruandis, conuertantur, & CHRISTO lucrifiant. Quin potius hæc omnia illis scandalo, & offendiculo sunt: &, vt liberius cum Apostolo dicam, talia sunt; per quæ Rom. 2:24.
nomen DEI blasphematur inter gentes: id est omnia beneficia CHRISTI, quæ ad internum hominem erudiendum, & fidem in eius corde per verbum DEI, formandum pertinent: ea, inquam, omnia à Græcis in spectacula, & quasi in quandam Comœdiam transmutantur: id quod videre licet coram altari eorum in peragendis sacris suis; deinde in conspersionibus, lampadibus, deambulationibus: sacra sua, & reliquias Sanctorum populo demonstrando, cunas Christo infanti apparando: eundem sepeliendo. Quid quæso illud aliud est: quam omnia beneficia Christi Iudæis, & Turcis ludibrio, instar fabellæ alicuius, exponere? adeo vt me aliquoties spectante, Iudæi, & Turcæ etiam ex remotissimis Asiæ locis, dum talia spectacula ab illis peragerentur, filios suos pueros, ad illa spectanda adducerent, inculcantes eis: vt discerent Goros, id est, infideles, qui Deos sibi fabricant, & eos colunt: contra quos quoque eo ardentius tanquam contra idololatras, & gentem omnis iudicii expertem, pugnandum esset. Cumque Græci responderent mihi: plures ceremonias apud nos Chri-

ſtianos reperiri: id quod in Monaſterio illo Conſtantinopoli, in quo Monachi ſunt, & alibi ſub iuriſdictione Turcarum appareat: reſpondi illis: Nos qui Auguſtanę confeſſioni addicti ſumus, & quam Græcis exhibuimus, ea non laudare; multo minus obſeruare: ſed inniti ſimplicitati Chriſti, ab ipſo Chriſto, & Apoſtolis eius nobis traditæ: nec nobis plures eſſe ceremonias, quam duo Sacramenta; Baptiſmum ſcilicet, & Cœnam Domini: vbi Baptiſmus ſola aqua in nomine ſanctę Trinitatis peragatur: & in cœna Domini panis, & vinum conſecratum, fidelibus Chriſti ad edendum, & bibendum exhibeatur. Extra has ceremonias, nullas alias nos noſſe, nec recipere velle.

Quare Iudæos illos, qui à noſtris Chriſto lucrifiunt, deduci ad fontes veteris Teſtamenti; & eis monſtrari in CHRISTO noſtro θεανθρώπῳ omnia illa impleta eſſe, quæ à Moyſe & Prophetis de illo prædicta ſunt: & nos Chriſtianos liberatos eſſe ab omnibus ceremoniis, quæ olimt typi erant venturi Chriſti: & quas neque nos neque patres noſtri portare poterant. Atque in talibus Iudæis proſelytis, à noſtris paſtoribus lucrifactis, conſpici veræ fidei radices in cordibus eorum agentis, documenta, & incrementa: qualis fuit noſtro ſeculo inſignis eruditionis & pietatis vir Immanuel Tremellius Iudæus, ad fidem Chriſti conuerſus, qui Biblia Hebraica ex fontibus Hebraicis in linguam Latinam quam feliciſſime tranſtulit. Tales, inquam, proſelytas verbo DEI viuo lucrifactos, eſſe quoque viua membra Chriſti, & quaſi prodromos aliquos conuerſionis Iudæorum ad Chriſtum: vbi plenitudo gentium impleta fuerit. At proſelytæ illi, qui externis ceremoniis à vobis vel à quocunque tandem extra verbum DEI lucrifiunt: quia in corda eorum ſemen verbi DEI ſatum non eſt: ideo nullos fructus fidei Chriſtianæ producunt: aut rurſus à Chriſtiana religione cito deficiũt; aut ſi ſpe emergendi & inanis gloriæ cauſa, Chriſtianiſmum ore profitentur; certe reperies tales proſelytas hypocritas, & atheiſtas, atq; filios gehennæ eſſe.

Maneat ergo firmiſſimum axioma meum: impoſſibile eſſe, incredulos Iudæos, & Turcas, & alias gentes ad fidem Chriſtianam externis ceremoniis, & vnanimi multorum per longam ſucceſſionem in iis conſenſu, & vſu errantium Chriſto lucrifieri: potius illis ipſis nomen DEI blaſphemari inter gentes. Et certe niſi lux Euangelii in Hungaria accenſa fuiſſet: non tot milites ſtrenuos vtroque gladio contra Arrianos, & Turcas, pugnantes, & victorias claras de iis obtinentes produxiſſet. Atque vtinam ſanctus ille Zelus docendi homines fidem Chriſtianam ex verbo DEI, non ex ceremoniis ab iis conſeruetur, & augeatur. In ſumma, Chriſtiani Orientales dant pœnas: quod à ſimplicitate Chriſti degenerarint: & ex omnibus

mnibus eius beneficiis ſpectacula ridicula, & theatrales comœdias ſibi finxerint; peragente nunc quoque DEO cum eis iuſtis ſuis iudiciis Tragœdiam pœnarum ſub grauiſſimo Turcarum iugo. O ne idem Occidenti fiat, vergente mundo ad ſuum occaſum; aſſidue DEVS orandus:

Veſpera iam venit, nobiſcum Chriſte maneto:
Extingui lucem ne patiare tuam.

Veni DOMINE IESV, veni.
Ergo

Hæreſis, & Turcæ creſcant, fremat orbis & orcus:
Tu tamen inſertos nos tibi, Chriſte, geris.

Et hæc quidem occaſione data in confutando Alkorano, cum dolerem vices Orientalium Chriſtianorum, de ipſorum næuis ſat dicta ſunto.

Cernis, vt hic, cælum fædo qui conſpuit ore;
Non cælum immo ſuos conſpuit ipſe ſinus.
Et tu cælorum Domini contemptor; in illum
Nam quot verba iacis, tot tibi probra iacis.

T. B.






Peccatum in Spiritum ſanctum non remittetur, Marc. 3. v. 28.

Fruſtra conſpuis ſurſum

Si Satan in angelũ lucis ſeſe transformare poteſt, quid mirum, ſi & eius miniſtri. 2. Cor. 11. v. 13. 14.



ARRIANI & vera Mahometanorũ Euangelicorũ miniſtrorum tecti.

SOCINIANI progenies pallio

Act. 20. v. 28. 29. 30. Attendite vobis, & toti gregi, in quo vos SPIRITVS S. conſtituit Epiſcopos, quia ex vobis ipſis exorientur lupi rapaces, qui non parcent gregi.

Cauete canes, cauete falſos operarios. Phil. 3. v. 2. E nobis egreſsi ſunt, ſed non erant ex nobis Ioh. 2. v. 19.

DE

GENEALOGIA SOCINIANORVM, QVA DOCETVR,

SOCINIANOS EX SPELVNCIS, ET SCHOLA ANABAPTISTARVM PRODEVNTES, SVCCESSISSE ARRIO, MAHOMETI, SERVETO, Dauidi Hollando, aliisq; monstrosis, & blasphemis nostri seculi furiis, & gigantibus, bellum æterno DEI filio Theanthropo, ad deturbandum eum si fieri posset, è suo solio, & officio, inferentibus.

Et ob id

A Christiano magistratu, verum illum DEVM essentia vnum, & tribus personis distinctum colente, non tolerandos; sed procul, uti falsos Prophetas, pellendos.

EPISTOLA

WENCESLAI BVDOWECZ BARONIS A BVDOWA,

Scripta ad

Adamum Budowecz filium suum.

Anno M. DC. XII.

2.Cor.2.v.11. Non ignoramus machinationes Satanæ.

Coloſſ.2.cap.v.4.

Videte, ne quis vos falſo ratiocinando fallat πειθανολογίᾳ, nempe ſermonis probabilitate.

verſ. 8. Ne quis vos deprædetur per philoſophiam, & inanem deceptionem.

verſ.18. Nemo vos ſeducat, ἐν ταπεινοφροσύνῃ, turgens carnis ſuæ ſenſu, neque obtinens caput, quod eſt CHRISTVS, ex quo totum corpus Eccleſiæ augeſcit DEI augmento.

verſ. 3. In Chriſto enim omnes Theſauri cognitionis, & ſapientiæ abſconditi ſunt.

c.1.v.16.17. Et ipſe eſt ante omnia, & omnia per eum conſiſtunt, & omnia per eum condita ſunt, quæ in cœlis, & in terra ſunt viſibilia, & inuiſibilia.

c.2.v.9. Nam in eo habitat omnis plenitudo diuinitatis σωματικῶς corporaliter.

Rom.9.v.5. Eſt benedictus DEVS in ſecula.

1.Tim.3. v.16. Eſt manifeſtatus in carne DEVS.

1.Io.5.v.20. Eſt VERVS DEVS, & vita æterna.

1.Cor.c.1. v.30. Chriſtus factus eſt nobis Sapientia, Iuſtitia, & Redemptio.

1.Tim.2. v.6. Chriſtus λύτρον pro nobis ſoluit.

Col.2.v.14. Ipſe deleto contra nos dogmatum chirographo, & cruci adfixo, triumphauit de eo.

Ad Philipp. 3.v.2.18.19. & c.1.v.15.16. Cauete canes, cauete malos operarios, qui Chriſtum per contentionem impure docent: quorum finis eſt interitus, & gloria eorum cum confuſione, & quorum DEVS venter eſt.

2.Pet.2.v.1. Cauete Pſeudoprophetas venturos, qui abnegabunt Chriſtum, qui nos redemit.

WEN-

WENCESLAI BVDOWECZ BARONIS A BVDOWA EPISTOLA

ad

Adamum Budowecz filium suum, Cæsareæ Maiestatis Pocillatorem Anno 1612.

CVm præter omnem spem meam incidissem in libros Socinianorum; quibus hæc noua Arrii, & Mahometis progenies, prodiens ex speluncis Anabaptisticis, etiam in Polonia in scholis docẽs, non vnum aliquẽ articulum, sed vniuersum corpus doctrinæ Christianæ tum apertè, tum per cuniculos ad euertendam arcem fidei Christianæ oppugnare; & nouum aliquod monstrosum, & blasphemum commentum, ad imitationem Alkorani, ad illudendum Deo, & verbo eius diuino fabricare nititur: exhorrui, talia & tam blasphema monstra in orbe Christiano nunc reperiri: multò verò magis à Christianis tum Romano-Catholicis, tum Euangelicis in Polonia (at vtinam ne malo eius omine!) tolerari: quæ certe non modò ex ea pellenda essent, sed, si fieri posset, ex ipsa rerum natura (nisi resipiscant) exstirpanda. Noluit S. Ioannes ingredi balneum, in quo erat Cerinthus; diuinitatẽ æterni Filii Dei blasphemans. *Euseb.* Noluit Alexander Episcopus Constantinopolitanus conuersationem cum Arrio pati: *Idem.* sed tandem innotuit ei tragicus illius exitus: cum is sedens in latrina vna cum excrementis effudit iecur, blasphemamq; suam animam. S. Paulus Hymenæum, & Alexandrum, *1. Tim. 1, 20* eò quod resurrectionem iam factam esse dicebant, Satanæ tradidit: vt blasphemare dediscerent. At hi vniuersum corpus euertunt. Idem Paulus iussit cauere canes & pseudoprophetas, *Phil. 3. 2.* imò ipse Christus: *Mat. 7. 15.* Moyses verò ex mandato edixit; eos lapidandos esse. *Leu. 24. 14.*

Quòd si anathema, & maranatha dicendus is est: qui non amat Dominũ Iesum; *1. Cor. 16. 22.* quantò verò magis, qui ei expresse maledicit, & omnia eius præstita humano generi beneficia solis sophisticis syllogismis, tacite mendacii Spiritum S. arguit, cauillatur, deridet: & ipsum Christum tanquã gigas aliquis e solio eius deturbare nititur: certe Sociniani sunt Turcis longe deteriores.

Etenim cum ipsum Alkoranum Constantinopoli legissem, vtpote fabellis apertis repletum: & quæ risum non modò ratione præditis; sed etiam pueris, & stultis, ipsique diabolo mouere possent: non tam exhorrui: cùm aperte omnem sacram Scripturam Mahometes neget: quàm legens Socini blasphemias, quas ille verbo Dei fucare, & venenum istud aspidis

melle illinire, ipſo Arrio impudentius, & ipſo Mahomete ad decipiendos incautos Chriſtianos, periculoſius nititur.

Exhorrui, inquam, & totus ad imas vſq; medullas cõtremui: maluiſſemq; bonas illas horas aliis melioribus rebus meditãdis conſumere, & hęc omnia miſſa facere. Verùm quia à milite Chriſtiano in caſtris Chriſti militante id omnino requiritur: ſi vel in caſtris, vel extra caſtra alicubi proditio vel pericula imminẽt, cognitis iis, ea non tegere ſilentio, ſed ſubito palàm facere; ita & mihi, quamuis minimo Chriſti militi (ſed qui me fidelẽ ſibi duxit, & gratia atq; robore armauit) faciendũ viſum, hoſce externos & internos hoſtes tibi vt detegerem. Suadet hoc mea Chriſto, & caſtris eius fides data; ſuadet amor erga te meus; ſuadet forſan, & vtilitas aliorum, ſi quando hæc mea cum iis communicabis.

Pro externis itaq; & internis hoſtibus habeo Socinianos: vtpote quos indignos eſſe cenſeo, qui Chriſtiani appellẽtur. Atq; hi vti Turcæ, inſidias noſtris caſtris ſtruentes, ſæpe ſimilibus armis noſtris armati, & habitu noſtro ſimili induti, factis ſignis & vexillis, noſtris ſimilibus, nos incautos interdum decipiunt: ita & hi per blaſphemam ſuam philoſophiam, prædones, dum edunt libros ſuos, infelices fœtus, ornãt ſpecioſis titulis, de ſaluatore Chriſto, de vera corã Deo iuſtificatione: atq; ita habitu quaſi & armis noſtris induti, ſub vexillis noſtris caſtra noſtra inuadere, & ſummas blaſphemias ſub his ſpecioſis titulis contra Chriſtum & eius doctrinam, euomere, & aſpidis venenum melle illinitum incautioribus propinare tentant: quod ſanè malum iam vt plurimum ex Polonia per certos emiſſarios, hinc inde ſerpere cœpit.

Etſi autem iam nõnulli pii orthodoxiq; viri contra hoſce impoſtores, ſenſu carnis ſuæ & philoſophica per ſyllogiſmos ratiocinatione, imò cõtra propriam conſcientiã turgentes, & Deo Iſraelis, ceu Goliathes ille, illudentes, ipſumq; æternũ noſtrum Dauidem Chriſtum ad pugnã & duellũ prouocantes; etſi, inquam, nonnulli contra hæc portenta ſcripſerint: tamen noſtri Ottonis Caſmanni ſanctæ illius animæ perbreuẽ tractatum præ cæteris tibi cõmendo, eumq; hic dono mitto. Scis n. omnia Caſmanni ſcripta nõ modo orthodoxa eſſe, ſed manſueta & placida, & ardentibus precationib. & ſoliloquiis cum Deo (quibus mihi & Auguſtinum & multos alios ſuperare videtur) condita; vt merito omni poſteritate digna ſint. Ac quia non conſueuit polemicis ſcriptis, ſed didaſcalicis certare: itaq; etiã cũ hiſce impoſtoribus, qui duriore calamo indigent, verè in ſpiritu manſuetudinis agit. Is enim monſtraturus hoc peſtis contagium, primò breui compendiolo veritatem Dei immotam de Chriſto Theanthropo, & eius prophetico, ſacerdotali & regio munere, atq; vnica ſufficientiſſima eius pro peccatis noſtris ſatisfactione, qui gratia Dei in eum credimus, exponit. Atque ita præſeruatiua atque antidota contra hanc peſtem lectori præparat; deinde ad ſingula argu-

Col. 2.

Ottonis Caſmanni laus.

argumenta reſpondet. Fecit hoc & Iacobus ad Portum Bernas, & Sibrãdus Lubbertus itidem modeſtè: quanquam dubito; an hi Thraſones & Goliathi ſuperbiſſimè omnes Chriſtianos ſuis blaſphemiis ad certamen prouocantes digni fuerint; cum quibus poſt tot & tam inſuperabiles blaſphemiarum eorum refutationes, in ſpiritu manſuetudinis agi debuiſſet.

Quare ego tibi tum de ipſa origine horum, ex qua cloaca, & latrina, ex qua Satanæ abyſſo, & per quã ſucceſſionẽ prodierint, quæ illorũ cum quibus communio, quibus ſubterraneis cuniculis ad euertendã vniuerſam religionis Chriſtianæ arcem vtantur, & quò tendant, prolixius, te ita expetente declarabo. Neq; enim propter meas, vti ſcis, tum publicas, tum priuatas occupationes, ſingula excutere licet: neq; etiam neceſſitas poſtulat; neque officii mei eſt, cum id iam alii fecerint: ſed tãtum, cum hæc genuina Mahometis progenies ſit; eam tibi rudiuſculo penicillo delineabo: ſiquidem poſt longas meas in Europa peregrinationes, etiam inter Turcas cum Oratore Cæſareo Anno *1577*. pene per quadiennium Conſtantinopoli commoratus, in ſimile hominum genus, quales moderni Sociniani ſunt, incidi; compluresq; conflictus cum eis, aſſiſtente mihi gratia æterni Ducis mei, vnici redemtoris & Saluatoris noſtri Chriſti, qui me ſibi fidelem eſſe duxit, ex immutabili eius verbo ſuſtinui: quod ſanè verbum diuinum, cum ex eo conuincerentur, illis tandem inſtar Alkorani erat.

Itaque te quoq; de occultis horum inſidiis veluti nodis Gordiis, qui vno ictu gladii verbi Dei reſecandi ſunt, melius quàm ex aliis nonnulli, informare poſſum. Etenim ſicuti contra negantes principia diſputandum nõ eſt: ita cum hæc Satanæ organa omnem ſacram Scripturam ad ſua ſophiſmata, etiã contra ipſam ſanam rationẽ, cui aperte illudunt, detorqueant: imò eam hoc pacto & dubiam reddere, & ex rerum natura ſublatam eſſe, quantum in ſe eſt, cupiant: denique cum verum Deum eſſentia vnum, & tribus perſonis diſtinctum blaſphement; & de Chriſto cum Mahometanis conſentiant; quòd tantum homo fuerit, quòd nos non redemerit, imò quòd neque redemtione opus fuerit: quid quæſo opus iam eſt, deliria eorum de perſona Chriſti & per imputatam eius iuſtitiam peccatorum remiſſione, ſtylo perſequi. Perinde eſt, atque ſi cum Mahometanis agatur: ſi quidem certè ipſis Mahometanis, vti infrà dicetur, deteriores ſunt: imò vitanda & è medio per pium Magiſtratum tollenda eiuſmodi peſtis, ne ipſa rerum natura illa polluatur.

Etenim hic vnicus hiſce blaſphemis ſcopus eſt, ad quem per cuniculos collimant: vt ſcilicet omnem ſacram Scripturam, vti Mahometes, ludibrio omnibus exponant: dum etiam manifeſtiſſimis Sacræ ſcripturæ teſtimoniis, ſi quæ illis non placent, credere nolunt: hic, inquam, ſcopus eſt, ad quem tendunt: vt Sacram ſcripturam normam fidei eſſe negent: imò non

esse sacram Scripturam à DEO profectam, hominibus insinuent. Verùm, quia idipsum eis inter Christianos, negato penitus veteri & nouo Testamento (exemplo antecessoris horum Dauidis, Messiam se fingentis) nõ succederet: sicut successit Turcis armatis humana potentia, qui apertè reiecto verbo Dei, religionem sibi ex Iudaica, Christiana & omnium gentium cõmixtam, cum licentia carnis, politici tantum ordinis & lucrãdi quosuis homines causa, conflarũt: ideo Sociniani sub specie profitendæ Christi doctrinæ penitus à Christo homines abducere, & ad suas blasphemias & atheismum adducere sibi proposuerunt.

Sic Mahometes ne Christianos offenderet, fatetur; Christum ex Maria virgine natum, & ex Spiritu S. cõceptum, & esse Dei virtutem, fuisseq; magnum Prophetam; nõ tamen Deum: eò quòd Deus socium nõ patitur: nec passus sit; nec opus eius passione fuerit; cum Deus solus nos saluet absq; aliorum adiumento. Ita quoq; de Christi passione ait: commentum hoc esse magnũ: nec Deum permisisse, tam sanctum suum Prophetã Christum, tam ignominiosa morte crucis adfici: sed Iudæos quendam latronẽ loco Christi crucifixisse: qui nũc ab imperitis Christianis adoratur pro Deo & redemtore. Addunt quoq; vetus Testamentũ à Iudæis, nouum à Christianis corruptum: & in Alkorano vtrumq; vicissim à Deo, Mahometo in quintum cœlũ, sed verius dicendum, in infernum, rapto dictatum. Messiam verò aiunt ex semine Ismaelis, in quo omnes gentes benedicendæ erant, promissum esse: atq; hoc in Mahomete impletũ; qui ex semine Ismaelis, & legitima vxore Abrahami, Agar dicta, non autẽ ex concubina Sara natus est: & quidẽ ex luce quadam, quæ apud Deum fuit ante mundi creationẽ: & semper in posteris Ismaelis vsq; ad Mahometẽ luxit; quo nato ipse sol à luce Mahometis splendẽte obtenebratus fuit: prout iam tibi hæ fabulæ notæ sunt. Socinus verò hæc paulò subtilius euomit: dum ait; in vet. Test. nullibi à Deo promissũ esse: ꝙ Messias verus DEVS & verus HOMO sit futurus: & in nouo Test. nullibi Christum appellari Deum. Cuius sanè impudentissimè mendacis blasphemiæ ipsum Satanam, per os eius loquentem, pudere posset. Nonne ex Prophetis Emmanuel, DEVS fortis, Pater futuri seculi, DEVS iustitia nostra, cuius exitus ante secula; nonne testimonio Apostolorum DEVS in carne manifestatus, & DEVS in secula benedictus, verus DEVS & vita æterna expresse agnoscitur, inuocatur, adoratur, vti verus DEVS: qui ante omnia est, per quem omnia condita sunt, & subsistũt omnia? Alia innumera loca Scripturæ hic allegare supersedeo. Progrediuntur vlterius isti Sophistæ, argumentando: si Christus ob id, quod redemtor appellatur, ideò satisfecisse dicitur pro peccatis hominum; ergo & de Moyse, qui quoque redemisse Israelem ex seruitute Ægyptiaca dicitur, dicendum erit; quòd pro nostris peccatis satisfecerit. Deniq; nulla redemtione opus fuisse per Christum: cum per Adæ

lapsum

lapſum in innocentes poſteros pœna deriuari nõ potuerit: inde nec Chriſtũ innocentẽ pro nobis paſſum, ſed tantum exemplum patiẽtiæ nobis dediſſe. Chriſtum verò ſatisfeciſſe pro peccatis noſtris,& nos ſoluto pro nobis λύτρῳ, à morte æterna redemiſſe, id aiunt eſſe blaſphemum cõmentum. At vniuerſa ſcriptura hoc adfirmat & docet. Ergo S. ſcripturam blaſphemã, illa Satanæ organa nominant. Vltimò aiunt: ſi Chriſtus pro peccatis credentiũ ſatiſfeciſſet: omnem vitæ ſanctimoniam inter Chriſtianos tolli. O ſceleratiſſimum hypocritã, ſub larua paupertatis & vitæ ſanctimoniæ, cum ſimulatione τῆς αὐταρκείας, bonorum cõmunione ſeſe prodentem: Nonne ille omnẽ vitæ ſanctimoniam tollere nititur; dum miſeriam noſtram, in quam poſt lapſum priorũ parentum deuenimus, graphicè vbiq; in S. ſcriptura, & in primis à S. Paulo ad Rom. & Corint. deſcriptam negat, & deridet: dum Chriſtum liberatorẽ ex ea noſtrum negat, & legatũ Dei tantum eſſe docet: dum primos parentes, mortales creatos & lapſu ſuo poſteros non feciſſe obnoxios peccato, nec ideo puniendos; atq; ſatis virium homini datum eſſe, vt abſq; aliena & Chriſti ficta ſatisfactione ſaluentur? Nonne hoc eſt ex diametro contraria S. ſcripturæ, illudendo ipſi Spiritui S. à quo verbum veteris & noui Teſt. dictatum eſt, exſtruere: atq; ita verbum Dei, inſiſtendo veſtigiis Mahometis, in nihilũ redigere velle? Atq; eò temulentiæ progreſſi ſunt: cùm lucem tenebras, & tenebras lucẽ nominare non audent; ne fortaſſe à pueris etiam & ſtultis deriderentur: cum non poſsit negari, quæ Apoſtoli de lapſu primorũ parentum & propagatione peccati ad omne genus humanũ ſcribunt, & de noſtra per Chriſtum Theantropon redemtione: iam expreſſe aiunt; ſcripta Apoſtolica & Euangelium S. Ioannis deprauatum eſſe: & poſſe Eccleſiam illis carere.

Ad Rom. c. 3
2. ad Corint.

Quod autẽ aliquid ex illis citant, id fit tantum ad contradicendũ, & plus quàm impudentiſsimè cauillandum. Nam vt negent Chriſtum pro nobis paſſum; cauſantur Deum ipſum teſtari: non pœnas daturum patrẽ pro filio, & filium pro patre. Nonne hoc eſt illudere Spiritui S. qui per Eſaiam de Chriſto inquit: Ipſe portauit iniquitates noſtras, & eius liuore ſanati ſumus. *c. 53. 5*
Item ad Rom. Chriſtus mortuus eſt pro peccatis noſtris & reſurrexit propter iuſtificationem noſtri. Item quòd ipſe Chriſtus de ſe inquit; ſic Deus dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret: vt omnis qui credit in eum, non pereat, ſed habeat vitam æternam.

c. 4. 25
Ioh. 3. 16

Magiſtratum quoq; politicum contemnunt; anabaptiſmum defendunt; vocationẽ & ordinem miniſtrorum nõ neceſſariam eſſe tradunt; affirmantes, quemuis in docendo, adminiſtrandis Sacramentis ſibi ipſi & aliis inſeruire poſſe. Et tamen quidam in ſuo Apologetico nõ veretur dicere, ſe verã vitæ ſanctimoniam à Socinianis didiciſſe: cuius deliria, quæ etiam de Deo ſpargit, cum ſint à verè Magno magnæ Britanniæ rege, quo in doctrina vera

Gg

rex eruditior sapientiorq; visus nō est, & ab aliis doctis viris satis refutata, cō te remitto: inter quos Georgius Ecclisemmius Scotus non omittendus. Det ipsi DEVS spiritum resipiscentiæ: ne cum Hymenæo & Alexandro ex Ecclesia DEI reiectus, partem suam cum doctis hypocritis accipiat. Sed redeo ad genealogiam Socinianorum.

Michael Gittichius. Socino successit in hisce blasphemiis nūc in Polonia Mich. Gittichius, cui manipulus quidā cum illo blasphemantiū & ex angulo Sarmatico blasphemias cōtra Filium Dei euomentiū adhæret: qui quoq; doctrinā de satisfactione Christi blasphemā & execrandā, & ad vitæ sanctimoniā perniciosissimam, & ad damnationē æternam, ducentē, verè diabolo ipso ex eo loquēte, spargere non veretur; dictitans, eos verè verā vitæ sanctimoniā sequi, qui cōmentitiam Christi satisfactionem non credunt. Quem blasphemū Lud. Lucius breui libello Basileę impresso refutauit. Talis vitę sanctimonia, eādē doctrinā cum Gittichio profitēs, visa est in Mich. Serueto Arriano: qui etiā *Michael Seruetus.* diabolis vltimò diuinitatē asserere nō veritus est: quò saltem Christū, si fieri posset, diuinitate spoliaret. Idem verbo Dei maledixit; Moysem impostorē appellauit: sacros. Trinitatem, Tricerberū Satanam (id quod pia mens audire abhorret) ausus est nominare: qui etiam Geneuæ crematus est. Sed audi; *Adam. Neusserus.* mea memoria Adami Neuseri præcursoris Socini vitæ sanctimoniā. Hic videns socium suum Syluanū à Friderico III. Elect. Palatino ob Arrianismū & cōmissa falsa capite plexum; cōfugit in Poloniam, inde in Transyluaniā, vltimò Constantinopolim: vbi amisso Christo redemtore, cum nihil cōsolationis in fabellis Alcorani inuenisset, atheismū palàm profitebatur (non n. inter Turcas nocet, quiduis credere; modò ne Mahometē contemnat) hic, inquam, ex Arrianismo hanc vitę sanctimoniā consecutus est: vt ex libidinibus contracto morbo, & scatens vermibus; cum homines præ fœtore illū accedere recusarēt, maledixerit Deo & omnib. religionibus: ob quod à Turcis Saetā ogli, id est Satanæ filius nominatus est; referentib. mihi Constantinopoli paulo post obitū eius degēti, ipsis Turcis: q̄ nullius hominū tam horrēdum exitū cum furore & mugitu audierint. Atq; ad talē sanctimoniam Socinus, negato Christo, ducit. Et hic fuit pene exitus omnium Arrianorū in *Exitus Arrianorum in Oriente.* Oriente, referente quoque mihi Constantinopoli Patriarcha Græco: quòd abnegato Christo redemtore Athei facti, ad Mahometismum defecerint. Quos ego iam non iudico dignos esse refutatione, sed seuera, veluti in blasphemos corruptores verbi Dei, animaduersione. Certe tolerabiliores mihi videntur Mahometani: vt qui de vniuerso verbo Dei gloriantur: & tamen expresse eidem contradicunt, & illud blasphemant.

Ac cùm fidelibus Christi nō sint ignotę machinationes diaboli: certe mihi in Domino persuadeo: hosce furiosos canes contra Filiū Dei latrantes, *Sociniani quales?* nihil quod S. scriptura dictet credere: vt qui non ex imbecillitate aliqua; vti nonnullis hæreticis accidit, labuntur: sed syllogismis suis, ad illudendum

Deo,confictis. Vbicunq; ergo aliquid in Scripturis, etiam contra propriam conſcientiam, reperiunt, quod quadrare videtur ad ſuam blaſphemiam; id ipſum allegant,& ſic contra Spiritum S. illudentes ei,peccant. Sic Iulianus Apoſtata allegando Scripturas cōtra Chriſtianos,perſequebatur eos, & auferebat illis bona,inquiens; ſe illis ad cœlum paraturum aditus: ſiquidē ſcriptum ſit:Beati,cum vos perſequuntur; Beati pauperes; quoniam veſtrū eſt regnum cœlorū. Sic Satan tentans Chriſtum, allegando ſcripturam, ſuadet Chriſto,vt ſe præcipitet de templo. Nonne perinde Socinus & eius diſcipuli argumētantur: vt relicto homine ſecuro, & cōtemta ad cœlū ducente ſcala, Chriſto, ſe & ſuos ſequaces in gehennā præcipitent? dum argumētantur: Si verum eſt, Deum ſeſe obligaſſe: nō punitum iri filiū pro patre,& patrē pro filio: Ergo nec poſteros Adæ, propter eius lapſum, neq; Chriſtū innocentē pro nocentib. puniuit; ſed Chriſtus patiendo exemplū tantū patientiæ nobis dedit. Item: ſi verum eſt; Deum omnipotentē & miſericordē eſſe; quorſum opus fuiſſet,vt nos Chriſtus redimeret,& pro nobis ſatisfaceret: id n. derogaret omnipotentiæ & miſericordiæ Dei aiunt. Atq; huius farinæ ſunt omnia ipſorum argumenta, nō obſtante tota S. ſcriptura; vbiq; de propagato in nos peccato per lapſum Adæ,& redemtione noſtra per cœleſtē Adamū facta, qui eſt ipſe Dominus è cœlo; clariſſimis verbis, ipſo Sole lucidioribus, loquētе.

Matth. 5. 11.
Matth. 4. 6.
Ezech. 18. 20.
Argumenta Socinianorū ridicula.

Hoc modo quilibet atheus, reiecto verbo Dei, ſequens ducē rationē ſuā, argumētari poſſet: cur Deus nondū completis ſex millib. annorū in cōdendo mundo,& creando homine, atq; angelis tam ſerò (id quod ſpaciū minus eſt, quàm nihil reſpectu æternitatis) ſeſe tū in potentia ſua patefecit? Cur nō ſolā lucē, relictis tenebris, creauit; cur Solē ſinat oriri ſuper bonos & malos; cur blaſphemantes ſeſe, vti Socinianos, ſubitò nō punit; cur vaſa iræ præparata ad interitū longa patientia, teſte Paulo, tolerat, ad demonſtrandā gloriā erga vaſa miſericordiæ ſuæ, quæ ſibi in Chriſto elegit? cur victū & amictum hominibus & creaturis, aliaq; omnia media ad eas ſuſtentandas ordinauit? cur victimas in veteri Teſt. & varias ablutiones & ceremonias inſtituit? cur per verbum ſuū ad vitam æternā ſuos electos docere vult? cur ergo, inquam, hæc omnia nō eludit item Socinus, & cur nō more ſuo argumentatur? Siquidem omnia hæc derogant omnipotentiæ & miſericordiæ Dei: ergo nō credēda: nempe mundū demum tam ſerò conditū, & Deum abſq; his mediis homines ſeruare & ſaluare nō potuiſſe? Quaſi verò impoſtores iſti Sociniani hoc ignorarēt: non agi hic de omnipotētia, ſed de volūtate Dei, & quibus mediis electos ſuos ſaluare decreuerit & ordinauerit. Verùm quia in illis eſt ſpiritus ille mendax & blaſphemus; qui Mahometē rexit, & ad atheiſmū duxit & ſeduxit; nō mirum eſt, quod idem tam monſtroſis argumētis ſe prodit. Ex his eorū hypothesib. infinita argumentationū portenta naſci poſſent: ſi quis abſq; Dei verbo ducē rationis, vel potius, vti hic apparet, expreſſum ac voluntarium contradicendi & maledicendi Deo ſtudium ſequi inſtitueret.

Rom. 9. 22.

Ac cum tantopere argumentis similibus vrget: Christum, ne derogetur omnipotentiæ & misericordiæ DEI, nō ad nos redimendos, & iustitia sua satisfaciendum pro nobis, sed ad exemplum iustitię sectandæ missum esse: cur non etiam ex eodem blasphemiæ syllogismo sese ipsum iugulet, & vlteriorē blasphemiā euomat: nempe neq; exemplo Christi, neq; ipso Christo quicquam opus fuisse: cum hæc omnia ad imminuendam Dei potentiam & misericordiā spectent: quasi Deus absq; Christo homines saluare nō potuerit?

Cuniculi Socinianorum. Et certè hoc agit tacitè hic Satan per Socinū: qui reiiceret penitus Christum & verbum eius, si auderet: sed metuit, ne amisso pallio quo vtitur, verbo Dei, ad suas blasphemias tegendas, inculcare doctrinā incautioribus difficile foret. Quare hæc vera, & incarnata progenies Satanæ in nullo Christianorū hæreticorum ex imbecillitate errantiū, numero est habēda: & frustra cum talibus disputationes instituuntur; cùm præsertim tam placidis ac mansuetis errorum illorum per Ottonem Casmannum & Sibrandum atq; Lucium, refutationib. non quiescant à rabie sua: sed ense, igne, si fieri posset, e rerum natura tollendi sunt. *Sociniani Mahometanis deteriores.* Certe millies Mahometanis deteriores sunt: hos enim cum sciamus vetus & nouum Test. in suas fabellas cōmutasse, facile contemnimus: illi verò gloriando se vtriq; volumini S. Scripturæ adhærere: tamē ex eo suas blasphemias, vti dixi, sicut Iulianus Apostata, & diabolus contra Deum & nostrū redemtorem Christum, euomunt. Nemo enim per Spiritum S. loquens, potest maledicere Domino Iesu, inquit S. Paulus. *1. Cor. 12. 3.* Cum a. hoc blasphemum genus hominum expresse purum hominē fuisse Christum doceat, & nostrā in eo redemtionem & satisfactionem asserat esse execrabile & blasphemum contra Deum, eiusq; omnipotentiam & misericordiam commentum; nonne maledicunt Christo? Atq; ita nō modò Spiritum Dei non habent, sed peccatum contra Spiritum sanctum committunt, & à Satana sese agitari palam produnt.

Nidus Socinianorum. Ex hoc Anabaptistico nido & antro, ex quo nūc prodeunt Sociniani, an. 1556. prodiit monstrum illud blasphemum, Dauid Hollādus: cuius vita Basileæ typis excusa est. Is collecto magno thesauro inter suos Anabaptistas tādem Basileam venit, simulans se religionē orthodoxam amplexurū: quod & externa hypocrisi fecit, frequentādo cōciones, & accedendo ad cōmunionem cœnæ Dominicæ, cū tota familia, quam numerosam habuit; exhibendo eleemosynas; visitando ægrotos: in summa, externa illa ex simulatione vitæ sanctimonia, quam honesta facies & prudēs in rebus omnibus cōuersatio cōfirmabat, omnes superare visus est. Sed quàm nō vnus Satan, transformans se in angelum lucis, sed legio aliqua dæmonū in illo latitauit! Dum Moysis & Prophetarum, ipsiusq; Christi & Apostolorū incertam & inutilem doctrinam; dum se Messiam promissum esse, & iudicem mundi futurū clā inter suos docebat: & in suo nomine omnib. in se credētibus remissionē

pecca-

peccatorum dari; exceptis iis, qui Dauidi non crederẽt. Hoc enim eſſe illud peccatum in Spiritum ſanctum, quod in æternum non remittatur: ſe enim maiorem Chriſto eſſe.

Homines non alligari ad ducendam vnam vxorem: licitum quoq; eſſe cum alterius vxore, volente illa & permittente marito, augendæ ſobolis cauſa coire: hęc enim credentibus in Dauidem omnia ſanctificari.

En progeniem Mahometis, eandem vitæ ſanctimoniam docentis; en Socinianorum, qui eiuſmodi monſtris ſucceſſerunt, amiſſo Chriſto & verbo eius, per hypocriſin Sanctimoniam! Cætera me referre tædet: quæ mortuo illo, & corpore ipſius demum tertio poſt ſepulturam anno cremato, reperta ſunt in libris eius tum manu ſcriptis tum impreſſis: quæ cum ſuis Anabaptiſticulis, in ſpeluncis communitatum ſuarum latitantibus, ad congregandã aliquam colluuiem Satanæ, communicauit: forte ad imitationem Thomæ Munzeri, Ioannis à Leiden Hollandi, & Kniperdolingii, Regulorum Anabaptiſticorum; qui anno 1536. iuſtiſſimo & ſingulari ſupplicio puniti fuere. Imo niſi vita huius Dauidis Baſileę ab hominibus fide dignis deſcripta fuiſſet; vix his fides adhiberi poſſet.

Sed non miror; nam idem Spiritus mẽdax blaſphemus ex eo locutus eſt; qui ex Mahomete in Alkorano, ad conſarcinãdam efficaciã deceptionis in iis, qui oblatæ veritati non obtẽperant, operabatur. Idem Spiritus in Serueto, idẽ in Socinianis contra Spiritũ ſanctum ſciẽter nunc loquitur; quanquã ſubtilius; ſed ſi ſpectas propoſitũ eorum, dum negãt, Chriſtum verũ DEVM, & ſuorum fidelium redemptorẽ eſſe: quid aliud agunt, quam vt Chriſtum, quantũ in ſe eſt, penitus tollãt; & ex ſua colluuie Anabaptiſtica nouũ aliquẽ monſtroſum Meſſiam, ad imitationem Mahometis, ſub vltima mũdi ἀπισίᾳ producant? Faxit DEVS, ne aliquãdo Polonia ad exemplum Orientis, nunc à Mahometanis occupati, pœnas det: quod talib. monſtris hoſpitia prębeat; qui ibidẽ carnales homines, ducem rationem, vel potius efficaciã deceptionũ ſequẽtes, à Chriſto & expreſſo eius verbo, veraq; vitæ ſanctimonia auocent ad Mahometiſmũ, & atheiſmum. Quod ſi Imperator, reges, Principes ſeuere puniunt: qui contra eos crimen lęſæ maieſtatis committunt: quanto magis puniendi ſunt: qui ſummam illam venerandam & tremendam DEI maieſtatem, DEVM eſſentia vnum & trib. perſonis diſtinctum blaſphemãt: quẽ verũ DEVM omnes Romano-Catholici & Euangelici profitemur? Itaq; ab omnib. vnanimi cõſenſu hæc mõſtra exſtirpãda, & è medio tollẽda eſſẽt: ſi veri Zelotæ, in defendenda maieſtate veri DEI & redemptoris noſtri Ieſu Chriſti, eſſe vellemus. In ſumma, nihil aliud reſtat Socinianis, qui tacite ad Mahometiſmum ducunt, quam vt palam cum Turcis blaſphemias ſuas cõiungant & euomant: ſiquidẽ Turcarũ Imperator, hoc anno denuncians Sereniſſimo Regi Polonię bellum, inter cæteras inſolentiſſimas inuictæ potẽ-

Adhortatio ad Imperatorem, Reges, & Principes.

tiæ ſuæ gloriationes, quales nullæ apud omnes Ethnicorum Rabſaces repe-riuntur, addit: ſe etiam crucifixum illum DEVM Chriſtianorum exturbaturum. Vnde quoq; certo concludo, hunc Sennacheribum, hunc Gogum, & Magogum, ante illuſtrem Chriſti aduentum in montibus Iſraelis caſurũ, & prædã omnibus gentibus futurum. Interea quod DEVS clementer auertat, ſi nunc ea loca Turcæ, vbi hæc progenies Arrianorum eſt occuparẽt: primi eſſent Sociniani; qui Chriſtianos perſequi iuuarent. Viſum id in Oriẽte: vti omnes hiſtoriæ Græcæ, quibus legendis non parum temporis Conſtantinopoli impendi, teſtantur: & ipſi Græci, Patriarchæ Conſtantinopolitano adhærentes, id ipſum veluti per manus à maioribus ſuis acceptum mihi referebant. Idẽ Romano Catholici Monachi Conſtantinopoli degentes, qui iuriſdictioni Romani Põtificis hodieq; ſubiecti ſunt, cum quib. de his rebus contuli, in eorum annalibus conſignatum habent. An ergo Chriſtiano magiſtratui cõuenit, tales angues & viperas, veluti in ſinu ſuo tolerare & alere, & ſumma cum ignominia DEI, & cum ſummo ſuo periculo? Sunt enim re vera prodromi vltimę illius ἀπιςίας à Chriſto & Apoſtolis prędictæ: ſunt Mahometanis & omnib. aliis gentib. deteriores: quia vero DEO Iſraelis & verbo eius patefacto illudunt, conuitiis & blaſphemiis per ſua ſophiſtica argumenta, DEVM & verbum eius petunt, laceſſunt, proſcindunt.

Qualia ſophiſmata cum ipſis pene pueris nota ſint; quod ad illudendum DEI verbo conficta ſunt: quibus neque Satan in Alkorano vtitur; cum palpabilia mẽdacia contra verbum DEI excogitata ad ſtabiliẽdum atheiſmum eructet colluuieſ iſta: proinde ſe manifeſtum hoſtem ſacræ ſcripturæ eſſe demonſtrat; negando, vetus & nouum Teſtamentum eſſe ſacram ſcripturam à DEO profectã. Equidẽ hæc, diaboli organa ſubtilius iſta per ſua ſophiſmata agunt: ſic tamen, vt ſe Satan Satanam, & eos Satanæ organa eſſe; nolit, velit, ex illorũ ſophiſmatis fateatur. Quare tũ à Romano Catholicis, tum ab Euangelicis in talia tã horrenda, & nullis ſeculis viſa mõſtra ſeuere animaduertendũ; præcipue in duces & ſeductores huius ſectæ: qui omnes procul ad vltimos Indos vel Anthropophagos relegãdi, & ni obedire velint, eadẽ pœna, qua blaſphemus Seruetus, & alii eius aſſeclæ affecti fuerũt, afficiẽdi ſunt.

Martinus Bellius. Cæterum prodiit quidam liber, auctore Martino Bellio: qui licet ex magnorũ virorum ſcriptis quædã præclare excerpit: an & quomodo ſint puniendi hęretici: & quę ego veluti pia & cum verbo DEI cõſentientia agnoſco: ſed ita, quatenus ad ſolos illos Chriſtianos, qui verũ illũ DEVM eſſentia vnũ & tribus perſonis diſtinctum, *Patrem, Filium, & Spiritum S.* in cuius nomen baptizati ſumus, quẽ in ſymbolo Apoſtolico profitẽtur, hæc ſeſe tantũ extẽdunt: non a. ad Arrianos aut Socinianos: qui in Eccleſiis Chriſtianis DEVM illum verũ, quem colimus & adoramus, blaſphemant. Ac quia in hoc bono viro, ſtudenti erigere inter omnes Chriſtianos, imo omnes alias religiones

concor-

concordiã, minus dextre à nonnullis quædã intelligi possent: itaq; breuiter à me examinãda & declarãda sunt. Scribit, multos disputare non de via, qua ad Christũ itur: sed de Christi statu & officio, de Trinitate, de libero arbitrio, de prædestinatione, de DEO, de Angelis, de statu animarũ post hãc vitã, quæ ignoranti neq; noceãt, neq; sciẽti prosint. Hactenus Bellius. Quod si de curiosis extra verbũ DEI articulis & quæstionib. hoc sentit; Recte agit: sed si de rebus cognitu homini Christiano necessariis (vt non puto) diceret: olerent ista Arrianismũ: vt qui adsertionẽ ex verbo DEI de sacrosancta Trinitate & de persona Christi atq; officio eius magis fugiunt, quã noctuę lucem. Itẽ fol. 23. inquit Bellius; Fuit olim in omnib. fere gentib. opinio, multos esse DEOS. Hunc errorẽ sustulit aduentu suo Christus; vt iã neq; Turcę neq; alię nationes dubitẽt: quin sit vnus DEVS, atq; in hoc cõsentiũt omnes cũ Christianis.

Si quis DEVM negat, is impius & atheus est; & omniũ iudicio merito abominandus. Hoc et habent Turcæ, quod credunt in vnum DEVM, de quo Moyses scripsit: in quo & cum Iudęis & cũ Christianis conueniunt sine cõtrouersia: huc vsq; cõmunis est harũ trium nationũ fides. Nam Christo multum tribuunt & Turcę, in quo Iudęos superant: & hoc quod Christo tribuunt, habent cõmune cum Christianis. At Christiani in hoc omnes alios excedunt: quod credũt Iesum Christum esse DEI filium & mundi Dominum atq; iudicem: atq; hoc est omniũ Christianorum cõmune. Sed quemadmodum de Christo in summa dissentiunt à Christianis Turcæ, & ab vtrisq; Iudęi, & alii alios damnant ac pro hęreticis habent, & persequuntur longe deterius, quam Turcę Christianos, ne damnemus alii alios: sed si doctiores sumus: simus etiã meliores & misericordiores. Hactenus Bellius. Pro hac cõmuni & externa religionis Christianę sola & sufficienti larua, sub qua blasphemię erga DEVM latent imo aperte patẽt, citat exemplum Iosephus Acosta, dę quodã Americano Pseudoapostolo, cuius supra memini: & eũ quoq; ait docuisse, sufficere ad salutẽ, cognominari saltẽ Christianũ & ritus externos à Christianis pręscriptos obseruare, & ita in vnione erecta permanere. Cęterum docet; homines de sacrosancta Trinitate & de Saluatore Christo instituere, sicut difficile plebeis & præcipue Indis foret tradere: ita non necessariũ esse: sed sufficere, eos scire DEVM esse: qui bonis bene, malis male facit: atq; hęc sibi per reuelationẽ à S. Paulo reuelata esse, Pseudoapostolus dicebat. Quẽ cacodæmonẽ Iosephus Acosta nominans pulcherrime refutat: docẽs extra Christum mundi Seruatorẽ, verũ DEVM & hominẽ, nullã esse salutem. Sed redeo ad Bellium. Is sua illa nõ dubito, quin bono animo scripserit: sed quę ego non assequor: Turcas & alias nationes in vno DEO cum Christianis consentire: & eum tantum atheum esse, qui DEVM negat: siquidem expresse Paulus ad Ephesеos ait; Eos, cum ante Christi cognitionem essent, atheos fuisse. Item Turcæ non credunt in vnum DEVM, de quo Moyses scripsit: siquidem omnia Moysis scripta blasphemiis inuerterunt. Ephes. 2. 2.

Item quod ait Bellius, Turcas Christo multum tribuere, & in hoc Iudæos superare, & hoc habere cõmune cum Christianis: ego non video, in quibus Iudæos superẽt, & quid commune cum Christianis habeant. Etenim Iudæi promissiones & prædictiones in Moyse & Prophetis de Christo factas, licet eas non intelligant, velamine Moysis adhuc in cordibus eorum durante: tamen non corruperunt promissiones illas de Christo, vti Mahomet, qui ait: promissionem illam DEI in benedicẽdis omnibus gentibus in Ismaele impletã. Ergo superiores sunt in sua religione Iudæi & chariores esse nobis debent: quod impleta plenitudine gentium vocabuntur ad Christi agnitionẽ. Turcæ vero, qui vetus & nouum Testamentũ impudentissimis fabulis irrident, absit, vt quicquam cõmune cum Christianis habeant: nisi Christianos intelligere velimus Arrianos & Socinianos, qui sunt vera Turcarum soboles. Turcæ enim aiunt; ideo Christum non esse verum DEVM, quia DEVS socium non patitur. Turcæ aiunt, Christum non passum esse, multo minus satisfecisse pro peccatis hominum: quia derogaret hoc Maiestati, omnipotentiæ & misericordiæ DEI: ac si DEVS absque Christo omnes credentes in vnum tantũ DEVM, saluare non posset. Hoc idem Sociniani per sua diabolica sophismata Christo & verbo DEI illudentes, docent. Quare Mahometanos & tales Pseudo-Christianos, qui in nullum numerũ Christianorũ ponendi sunt, habere cõmunionem in fide nobiscũ, quid aliud esset dicere, quã illorũ se blasphemiarũ participem facere? Quæ enim communio fideli

2. Cor. 6. 15. cum infideli & Christo cũ Belial, inquit Paulus? Item quod ait concludẽdo Bellius fol. 24. ne damnent Iudæi aut Turcæ Christianos: rursumq; ne condemnẽt Christiani Turcas aut Iudæos: sed potius doceant, & pietate alliciant: hoc quoq; non assequor, esse prohibitum, cum Christo aperte & audacter illud asseuerare; quod discipulis suis, sacro baptismate fideles Ecclesiæ

Marc. 16 16. inserturis, in nomine sacrosanctæ Trinitatis, dixit & edixit; qui nõ crediderit, iam condemnatus est. Atq; si Turcæ & increduli & horũ progenies absque læsione consciẽtiæ condemnari non possint: nec mihi forsan licuit tam grauiter in ipsorum blasphemias inuehi. At nõ modo licuit, sed officii est omnium fidelium Christi; maiestatem eius contra eiusmodi blasphema mõstra Turcarum & Socinianorum defendere, & eos pro atheis, imo pro cõuictis criminis læsæ maiestatis diuinæ, tenere: siquidem inter errantes ex imbecillitate hęreticos, & aperte DEO per fabulas & sophismata illudentes & eum blasphemantes, magna est differentia. Tenendum quoq; discrimẽ inter eos, qui fidem Christianam aut nunquam susceperunt, aut susceptam, vti Mahometani, repudiarunt: cum quibus fateor politicam in conuersando, si fieri posset, ad eos Christo lucrandos, conuersationem instituendam; id quod & ego Constantinopoli feci, &, dixerim sine gloriolæ ostentatione vnum natum Turcam Christo, gratia eius adspirante, lucratus sum.

Ac

Ac quomodo subiectæ gentes, & CHRISTO & euangelio eius incredulæ à magistratu sint tractãdæ, & ad fidem non cogendæ: de eo certe præclare, erudite & pie Iosephus Acosta differit. Sed aliud est cum iis, qui se Christianos esse, & in nostris castris nobiscum pro Christi gloria & Euangelio eius contra hostes pugnare dicunt: cum tamen clandestinam conspirationem cum hostibus ad nos opprimendos inierint. Sic exempli gratia, non habentur pro infidelibus Imperatori, regi aut alicui principi subditi eius: qui non intelligentes dextre omnia iura & statuta eius, de nonnullis inter se contẽdunt: vti & causidicis moris est. Verum si quis in Imperatorem & magistratum suum dira euomere; eum sua maiestate, honore & auctoritate priuare, & suppositítias leges sub titulo Imperatoris, aliis ad obseruandum obtrudere conaretur: an non hic non modo pro infideli habendus, sed iusto supplicio puniendus? Et annon etiam ii subditi puniendi essent? qui dum in numero fidelium esse volunt, tamen pro tuenda principis sui maiestate, auctoritate & legibus ipsius atq; priuilegiis sibi datis, ad pellendos procul, imo funditus eradicandos eiusmodi impostores, vitam & fortunas suas in periculum ponere nolint? Forsan Bellius ita quoq; mecum sentit. Pro conclusione ait Bellius; nec nos Christiani alii alios condemnemus: sed inter nos toleremus; & alii alios ex verbo DEI doceamus. Faxit hoc DEVS pro sua immensa misericordia; vt nos Christiani, qui in sacrosancta Trinitate, in vnico & vero DEO colendo, DEI gratia constanter consentimus: alii quoque aliorum imperfectiones toleremus: vtq; contenti reges & principes & Episcopi sua quilibet iurisdictione placide ex verbo DEI alios doceant. Contra vero talia Socinianorum monstra omnes reges & principes & respublicæ vnanimi consensu conspirare deberent, ad occludẽdum illis blasphemum eorum os: & eos procul ex orbe Christiano pellendos; non obstante firmissimo illo axiomate; ad fidem nullum cogendum. Æquum enim est, depelli ab ouili Christi tales lupos: qui nisi discedere velint ex ouili: merito baculo ciuilis magistratus feriendi sunt; ne tales lupi alios Orientis lupos nempe Mahometanos, cum quibus in blasphemando Christo & officio eius consentiunt, huc ad nos attrahant; & nos alios Christianos opprimant. Talis concordia si erigi inter Christianos posset; ô quanti progressus, diuina fauẽte gratia, fierent ad diligendos nos mutuo: & non modo ad resistendũ Turcis; sed ad propagandos longe lateq; fines Christianos, & pellendos ex Occidente atq; Oriente Turcas. Quod vt faciat is, qui solus potens est, verus ille DEVS noster Pater, Filius & spiritus sanctus: assidue ab omnibus fidelib. suis exorandus est. Bene vale. Datæ Monachogræcii cis Iseram. 1. Nouembris: Anno M. DC. XII.

Pſ.117. Matt.21. 1.Pet.2.

CHRISTVS, verus ille lapis à Daniele cap. 2. prædictus, contriturus Regna Mundi, & renouaturus per ſuam igneam Alchimiam cœlum terramq;, ſeparando purum ab impuro, atque ita æterna aurea ſecula tum in cœlis, tum in renouata terra erecturus.


CHRS

Verus ille lapis Philoſophicus, vera aurea ſecula daturus. Dan. 2. v. 44. & 34. Pſ. 118. v. 22. 1. Pet. 2. v. 4. Matt. 21. v. 42.





Coloſſ. 3. v. 2.
Superna quæ rite, non terreſtria.
Matt. 6. v. 21.
Vbi theſaurus, ibi & cor.



Cacochymiſta.



Aurea dum quæro Vulcanus ſecula terris,
Decipiorque ipſus, decipioq; alios.



DE CACOCHYMICIS, QVI NON CONTENTI VERE ADMIRABILI ET DIVINA ILLA, LEgitimaque ad vsum medicinæ arte Chymica, nouas reuelationes extra & contra DEI verbum ex phantaſmatum ſuorum Alembico deſtillare, atque inde aurea ſecula in terris & metamorphoſin quandam rerum omnium in primis hominum incautioribus & ſui ſimilibus perſuadere nituntur. Vnde à veris Chymicis, ne in odium inducatur tam excellens ars, non tolerandos, ſed palam refutandos eſſe requiritur.

DICTVRO mihi aliquid de Cacochymicis, extra & contra DEI verbum nouas reuelationes quærentibus, & ita per ſua phantaſmata homines à rebus cœleſtibus ad terreſtres deducentibus; præfandum breuiter duxi, me nihil quicquam in odium excellentiſſimæ, & ſanæ artis chymicæ dicturum. Hæc enim non modo curandis morbis & ſanitati retinendæ & quidem breuiori compendio, quam priſci medici tradidere, inſeruit: ſed ēt myſteria reuelat multa tum naturæ, tum operum DEI, imo familiaritatem quandam & connexionem elementorum & corporum cœleſtium, cum noſtris humanis tradit: quorum tamen operatio non tam in qualitate eorū, quam DEO omnia diſponente & pro liberrimo ſuo arbitrio, per eiuſmodi media omnia moderante, conſiſtit.

Etſi autem in libris Theophraſti, vt ipſemet vidi, reperiuntur quædam extra & contra DEI verbum euagantia, ſuperſtitioſa & nonnulla etiam Magica, quæ tractare Chriſtianos non decet: tamen hæc ſaniores Theophraſtei moderni, viri docti & orthodoxi & pii aiunt; aut ſuppoſititia eſſe, aut à Theophraſto in erroribus adhuc hærente, conſcripta: de quibus ipſe Theophraſtus non ſemel conqueſtus fuerit. Ac vtinam idem Theophraſtus, & nunc ſaniores eius diſcipuli cum Epheſinis libros nigromanticos coram S.
Act. 19. 19. Paulo comburentibus, ſuos quoque libros tales in ignes conieciſſent & in cineres redegiſſent. Vnde impreſſio quoq; talium tractatuum merito nunc interdici deberet.

Hac ergo præmiſſa præfatione, puto me apud ſanos & pios Theophraſteos atque chymicos excuſatum iri; ſi quid dixero contra cacochymicos, qui non contenti arte Chymica, ad medendum hominibus, & ſeſe & alios ad inſaniendum abducunt; mira phantaſmata ſibi fingentes, & vt comici verbis vtar, pene cum ratione inſanientes, & ex ſtultis inſanos facientes:

Conqueritur de hoc etiam bonæ & piæ memoriæ doctiſſimus vir Oſwaldus Crollius: qui in hac arte Chymica noſtro ſeculo valde excelluit, vti ex operibus eius apparet. Is in præfatione operis ſui, cui titulus eſt, Baſilica chymica, ad illuſtriſſimum Principem Chriſtianum Anhaltinum (qui certe noſtri ſeculi eſt ſingulare orbis Chriſtiani ornamentum) multa de cacochymicis iſtis, veluti ſpurea Theopraſti progenie diſſerit: ad quæ ego lectorem remitto. Quin & perplacet mihi illud Plinii in Panegyrico: qui inquit: ſinguli decipere & decipi poſſunt: nemo omnes decepit, neminem omnes fefellerunt.

Sed pergo ad cacochymiſtas: non quod de chymicis, in quibus me nunquam exercui, aliquid diſſerere velim: ſed tantum vt nouos illos ſpeculatores verbo DEI confundam: & vt adhæreant eidem ſoli verbo diuino; (id quod cum meum in hac tota opella mea circuli huius fundamentū, ſcopus & meta eſt, ad q̄ ſolimo) fideles Chriſti d..cam, & extrau gantes, qui aliquid

n..uis

nouis istis cacochymicorum reuelationibus & phantasmatis tribuunt, in bonam viam, in verbo DEI reuelatam, reducam. Constantinopoli quidem inter Turcas nulli reperiuntur chymici. Sed aurifabri quidam transformaturi metalla in aurum, licet id se apud Turcarum Imperatorem effecturos promiserint: tamen manus Turcarum cum sint oculatæ tantum, & credant, quod vident; cum chymici isti Turcis spem pretio venderent, & acceptis ab illis sumtibus ad conficiendum aurum, nihil effecissent; grauiter à Turcis excepti sunt: vt nonnulli eorum, quod non habebant in ære, vita luere coacti sint.

Hinc nulli chymici meo tempore cum Constantinopoli essem, amplius visi, imo ne de illis quidquam auditum fuit.

Venio itaque ad phantasmata pseudochymicorum. Etenim reuerso mihi Constantinopoli; cum diuina gratia datum esset, Mahometismi, Arrianismi & Apostatarum blasphemias ex verbo DEI refutare: incidi persæpe in hoc genus hominum, fingentium, se ex schola Theophrasti prodiisse: qui constanter adfirmabant: postquam verus lapis Philosophicus (cuius iam prodromi & gustus in transformandis metallis in aurum, aliquoties prodiere) confectus fuerit: ibi homines tactu istius lapidis ad eam corporis & animi integritatem & perfectionem adductum iri: qualem primi parentes Adam & Eua ante lapsum habuere: ibi futura vera illa aurea secula: & per mille annos ex prædictione Apocalypseos, duratura: ibi futurum vnum ouile & vnum pastorem, qui Constantinopolim & Romam sit euersurus: tum homines nullis morbis obnoxios futuros, sed completo dierum suorum numero placide morituros. Diuidunt etiam hominem in tres partes, nempe in corpus, spiritum & animam: atque præstantiorem animam esse fingunt: dum spiritui post mortem hominis, locum in cœlis in ipso DEI conspectu, animæ vero in cœlo quodam aereo, adscribunt. Equidem allegant Christum in cruce moriturum dixisse; Pater in manus tuas depono Spiritum meum: quasi vero Spiritus quiddā aliud sit diuersum ab anima. Sic Pauli illud allegāt; 1. Thess. 5. v. 23. vbi Apostolus illis precatur: vt DEVS pacis sanctificet eos, quo integer illorum spiritus & anima & corpus inculpate seruentur vsque ad aduentum Domini nostri Iesu Christi. Ac vere quidem. Nam Apostolus distinguens functiones & qualitates animæ in homine, non ponit duas animas aut tres partes hominis, sed vnam animam in corpore humano. Si enim nobis mortuis diuersas substantias esse Spiritum & animam & corpus, aliam rationem spiritus, aliam animæ imaginaremur; quæso in quos cogitationum fluctus & labyrinthos non prolaberemur? Quas nugas impias cum verbo DEI tueri non possent, nouis reuelationibus gloriabantur.

Inter quos quoque fuisse dicitur magni nominis vir & doctus Anglus, cui nomen erat Doctori DE: qui Pragam ad Imperatorem Rudolphum II.

veniens, initio illi charus fuit: verum cum mirabilem quandam in orbe Christiano reformationem breui subsecuturam; & ruinam non modo Constantinopolitanæ vrbi; sed etiam Romæ prædicere, & prædictiones illas in vulgus spargere non cessasset: cum Nuncius Pragæ Romani Pontificis Imperatorem de his monuisset; Anglus accepto mane ab Imperatore mandato; coactus est, ante Solis occasum, cum vxore & tota familia sua Praga discedere. Ego tamen certo existimo: hunc virum doctum Anglum, cum quo etiam collocutus fueram, longe iniuriosius, vti fit in aulis, delatum esse; quam probare aduersarii potuerint, de quibus accusabatur.

Sed in alium incidi durantibus comitiis Pragæ, religionis causa I. V. D. qui Helmstadii, postea Witebergæ vixit: vir quoque aspectu satis grauis & honestæ conuersationis: sed qui talia phantasmata hominibus non modo in verbo DEI versatis, sed sola ratione humana præditis insinuare, & pro certis persuadere volebat: vt, qui docenti credere voluissent, certe vna cum docente plusquam, vt Comicus ait, cum ratione insaniuissent. Non verebatur enim quamuis derisus à doctis & piis viris, & ex verbo DEI melius edoctus, absque omni pudore, constanter adseuerare; antiquum illum dierum, cuius Daniel Propheta meminit, adhuc viuere; seque illum nosse: qui breui sit orbem terrarum reformaturus, & Constantinopolim Romamque euersurus: atque inter Euangelicos, vnanimem consensum erecturus; & eum breui vnum ex aulicis suis ad me missurum. Venit ergo elapsis aliquot diebus idem Horstius ad me cum quodam Anglo Alchymista, auro sericoque nitente, & me nomine istius antiqui dierum salutante, & gratiam eius mihi deferente. Quo homine, qui eximii nobilis aulici & hominis non insipientis faciem præ se ferebat, conspecto; dici non potest, quantopere & Horstium & illum miratus sim. Verum dimissis tum illis alia occasione captata præsentibus bonis viris, conferendi cum illis & confundendi eos, cognoui Anglum illum Cacochymistam; qui tantam spem Imperatori conficiendi auri fecerat, deinde in custodiam coniectum fuisse. Cuius qualis deinde exitus fuerit, mihi non constat. Cæterum hominem illum, quem Horstius dicebat esse antiquum dierum, iam mortuum esse, à nonnullis audiui: spemque Horstii euanuisse. Quæ ideo commemoro: vt notum sit; quo non deliriorum prolabatur miser homuncio, qui extra verbum DEI, suis phantasmatis regitur: & quasi voluntarie & scienter sese & alios decipere, excitandæ forsan alicuius nouæ sectæ caussa, cum sua perditione, nititur. Et hæc quidem de Horstio.

Dan. 7. 13

Fama fraternitatis Roseæ crucis.

Nunc vero prodiit quidam tractatus, cui titulus est, Fama fraternitatis Roseæ Crucis. Eius autores aiunt, ordinis sui antesignanum in Arabia apud

Arabes

Arabes prima principia tantorum myſteriorum didiciſſe; inde in Affricam profectum, in vrbe FESSA veros progreſſus in Theologia fecisse, etiam in Magia; quæ non in omnibus contemnenda. Inde progreſſum in Hiſpaniam, in Monaſteriis diuerſos fratres ſuæ doctrinæ repeiriſſe: ac ſibi quendam locum ad habitandum, cui nomen eſt Spiritui Sancto, ædificaſſe: quo vitam ſuam, nulli vnquam obnoxius morbo, centum & viginti annos viuens, & omnes omnium languores & morbos ſanans, finierit: neminemque aiunt ex ipſius fratribus vnquam morbo laboraſſe; ſed in præfixo à DEO termino placide mortuos. Deinde quæ reperta ſint in eius monumento, mira recenſentur: quomodo perpetuus ignis ibi ardeat: in alio vero monumento, quo Sol quidem non penetret; tamen Sol in centro monumenti ad imitationem Solis luceat: quoſdam tractatus ibidem, eoſque mirificis notatos characteribus inuenerint. Vnde tota eorum fraternitas per certos Characteres notatur; & aiunt, ſe magicis characteribus & lingua vti, vſque ad tempus reuelationis in Germania ſuæ doctrinæ. Ac tum infantem quendam naſciturum, qui ſit futurus orbis Chriſtiani reformator: & fore, vt ianua quædam cuiuſdam loci ſua ſponte aperiatur & reperiatur: per quam ad abdita iſta myſteria in lucem proferenda, via patebit, ad euertendum Mahometiſmum, Papiſmum & alias ſectas. Ac, quod ad aurum conficiendum attinet, hanc artem apud ſe omnium facilimam & pene nullius pretii eſſe: cum ſuperabundent auro & argento, & omnes his ditare poſſint: vtpote qui myſteria illa ſibi reuelata, pluris æſtiment, quam aurum & argentum: & quæ myſteria ad conſulendum hominibus, tum conſeruandæ ſanitatis eorum, tum adipiſcendæ vitæ æternæ cauſa, pluris metiantur, quam vniuerſos mundi Theſauros: Siquidem auri & argenti theſaurus illis nunquam ſit defuturus; eo quod axiomata ipſorum ſint in omnem æternitatem valitura: vtpote, quæ ex vnanimi doctiſſimorum Arabum conſenſu auctor ſui ordinis didicerit: quæ certo tempore reuelabuntur; & quidem cito, ſiquidem ætas huius mundi in apice Trigoni ignei conſiſtat; vnde mundi incendium & repurgatio neceſſario expectanda ſit. Vltimo addunt: ſi quis ad ordinem ſuum acceſſurus magis deſiderio conficiēdi auri (quod apud illos ſit omnium facilimum & viliſſimum) quam cōſequendæ ſalutis ſuæ tenebitur; eum & opum, & ipſius animæ iacturā facturum.

Verum prodituram tum in rerum natura, tum in cognitione Chriſti abſolutiſſimam doctrinam, quam & Theophraſtus ex parte docuerit: præ qua omnia prædeceſſorum ſcripta nihil erunt. Se quoque fidei ſuæ confeſſionem breui edituros promittunt.

Interea palam omnibus faciunt, ſe profiteri Trinum DEVM, & ſentire cum Eccleſiis reformatis in Germania, & vti duobus Sacramentis; ea ſimplicitate: qua tradita ſunt. Hæc qualia ſint non aſſequor. Nonnulla

quidem videntur non contemnenda, quæ ad maiorem naturæ cognitionem indagandam pertinent.

Verum ex Arabum & Cabaliſtarum ſcriptis, aliquid ſolidius in Theologicis adferre, quam nunc DEI beneficio orthodoxa Eccleſia per vniuerſam Europam docet; boni illi viri videant, & in eo ſint, ne ſe ſuſpectos periculoſiſſimi Enthuſiaſmi, ſuis nouis reuelationibus, veluti à verbo DEI homines abducturi & vniuerſam Orthodoxam Eccleſiam reformaturi, faciant. Ac quæſo, vnde in Arabum ſcriptis tanta doctrina: vnde iſti Arabes tam docti ad cognoſcendum Chriſtum & indagandam mundi naturam? Cum Chriſtus nunc ipſis fabula ſit, & in ingenuis artibus & Philoſophia nihil ipſis ineptius & hebetius ſit: imo ipſum nomen Philoſophiæ ignorent: vti cum iis ipſemet non ſemel contuli: & quidem cum iis Arabibus, qui in aula Turcica præ cæteris omnibus excellere volunt: Poſtquam enim iuſtis DEI iudiciis Oriens ob ſpretum Euangelium Chriſti, amplectens blaſphemias & fabuloſiſſimas Mahometi reuelationes, concidit in eo tum amor indagandæ ſuæ ſalutis, tum ſtudium bonarum artium periit: tantum abeſt, vt aurum conficere ſciant, vel diſcant: vt ob eam rem nos Chriſtianos ſummopere derideant. Rei Mathematicæ & Aſtronomicæ, Geographicæque nulla illis cognitio: imo nec ſeriem temporum à mundo condito, vti in Anti-Alkorano demonſtratum eſt, norunt. Quid vero illud, quod fratres iſti crucis roſatæ affirmant; neminem ſui ordinis, aut alios ſibi cohabitantes, auxiliumque
Act. 20.10 à ſe expetentes morbo laboraſſe? Non hoc ipſi S. Paulo, qui mortuos exci-
2. Cor. 4.16 1. Tim. 5.23 tabat, datum: ſiquidem de die in diem in exteriori homine corrumpebatur. Non datum Timotheo laboranti ex imbecillitate ventriculi. Bonum eſt indagare vires naturæ in rebus creatis: in qua cognitione Phyſicæ, Salomon omnes homines, qui à condito mundo fuere, & vſque ad conſummationem mundi futuri ſunt, ſuperauit. Verum ita huic arti nunc incumbendum, ne in ſcrutandis illis à DEO creatore, Redemtore & Sanctificatore noſtro aberremus aut diſcedamus.

Videndum omnino, ne nobis idem quod Salomoni, accidat; qui exiſtens σοφὸς σοφώτερων in libro naturæ: ad eam illuminationem ac ſublimitatem vti Pater ſuus, non peruenit. Quare? quia Dauidi cæleſtia myſteria in verbo DEI reuelata dulciora erant, quam nimium ſtudium ſcrutandi librum naturæ: licet illam ſcientiam, vel potius admirationem operum DEI in mundo vniuerſo; & rebus creatis, imo & in ſe formato, non intermiſerit,
Pſal. 19 vti in Pſalmis eius apparet; & in primis in illo Pſalmo: Cœli enarrant gloriam DEI; in quo tamen ſubito recurrit ad commendationem legis diuinæ;
v. 8. 11 quod ex ea plus ſapientiæ, quam ex rebus creatis hauriat; quod hanc Sapi-
2. Cor. 12. 2 entiam DEI omni auro puriſſimo præferat. S. Paulus quoque in tertium cœlum raptus, potuiſſet de diſpoſitione cælorum doctor omnium hominum eſſe:

esse: qui à mundo condito erant: siquidem nemini hoc datum, vt conspectis cœlis iterum cum hominibus in terris conuersaretur: attamen ait: sibi mundum, & se mundo crucifixum esse: seque omnia pro stercoribus ducere: vt Christũ saltem lucrifaciat. Et quanquã potuit ægrotos sanare; qui etiam mortuos excitabat; attamen apud Timotheum, quem filii loco summopere amabat, id præstare non potuit: ne ægrotaret ex imbecillitate ventriculi. Gal. 6. 14 Phil. 3. 8

Isaias quoque prædicens cap. 33. v. 17. gloriam ac Regis nostri Christi, in vita cœlesti reuelandam ait, tum demum neminem fidelium eius ibidem ægrotaturũ. Vnde ergo hisce fratribus tanta priuilegia cõseruandi se in perpetua sanitate, & omnes eos hic in terris, qui ipsorum auxilia sint imploraturi? Nonne hoc est aurea secula in terris fingere? Ac licet non spernam, quod aiunt, mundum in apice Trigoni ignei nunc constitutum esse, ideoq; breui mundi incendium & repurgationem subsecuturam: tamen inde non est concludendum, futuram tantam & tam perfectam naturæ, rerum creatarum cognitionem, quæ ipsam Salomonis doctrinam superet: multo minus perfectiorem aliquam Theologiam per nouas reuelationes prodituram, præter eam, quæ nunc in Orthodoxis Ecclesiis ex Dei verbo docetur. Trigon igneus.

Ac cuius religionis sint isti fratres non assequor. Nam licet Mahometismum & Papismum condemnent & Triunum Devm se profiteri & cum Ecclesiis in Germania reformatis sentire & duo Sacramenta tantum agnoscere se dicant: tamen quæ sint illæ Ecclesiæ, non nominant. Etenim in Germania inter reformatas Ecclesias volunt annumerari Anabaptistæ, Arriani & Sociniani, nunc omnium deterrimi, qui scelerato & blasphemo ore Christum & omnia eius beneficia blasphemant. Proferant ergo hi fratres crucis rosatæ suam confessionem, quam promittunt: quæ si orthodoxa erit, facilius tolerabimus eos in inquirendo libro naturæ: modo sani sint in fide iuxta verbum Dei reuelatum. Hoc nisi mature fecerint, non poterunt nobis succensere: si sese ipsos apud omnes pios & doctos viros, verbo DEI cum Ecclesiis Christi Orthodoxis adhærentes, suspectos nouarum extra verbum Dei reuelationum, reddant. Interea non desinemus illis optima quæque à Deo Patre luminum, precari: vt eorum mentes cordaque, imo nostrorum omnium ad vere illa aurea & æternum in cælis, duratura secula, conuertat: & assidue regat, dirigat & stabiliat: vbi rerum omnium restitutio per verum illum lapidem Philosophicum, Christum Theanthropon, erit: vbi per illius cœlestem Alchimiam nouos cœlos, nouam terram & admirabilia Dei opera in illis conspecturi simus. Atque etiam illud implebitur, quod Devs Abrahæ de terra Canaan promisit: se daturum eam illi & semini eius in æternum ad habitandum. Esa. 67. 22 2. Pet. 3. 10 Ebr. 1. 12 Matt. 24 35 Gen. 13. 15 Esaia 60. 21

Fuerunt certe fidelibus Christi, quod ad internum hominem attinet, omnibus temporibus etiam sub cruce quauis & mirabilibus mundi tem- Aurea secula fidelibus CHRI-

Semper fuere, sunt & erunt. peſtatibus aurea ſecula : ſunt & adhuc, eruntque vſque ad conſummationem ſeculi. Erant aurea ſecula etiam Patriarchis, veluti Abrahamo, Iſaaco & Iacobo, qui licet in typica terra ſibi promiſſa, oberrando & peregrinando nihil in ea obtinuerint : attamen promiſſio illa illuſtris Adamo & Euæ de conculcando capite ſerpentis illis repetita fuit : qui & in ſpecie hominum Sacroſanctam Trinitatem conuiuio exceperunt, & dulciſſimas illas conſolationes de benedicendis omnibus gentibus in CHRISTO Theanthropo audierant : ad quos DEVS per crebra oracula locutus eſt. Erat aureum ſeculum Iſraelitis eductis ex ſeruitute Ægyptica, & ſpectantibus magnalia DEI opera, tum in Pharaone, tum in promulganda lege DEI in deſerto : dumque ſpirituali CHRISTI cibo & potu vſi ſunt, bibendo ex Petra, quæ erat CHRISTVS; id eſt, quæ fuit typus ſpiritualis in CHRISTO cibi & potus : vt typis ſaltem & non re Sacramenta veteris Teſtamenti à Sacramentis noui Teſtamenti diuerſa fuerint. Fuit tempore Dauidis ſplendidius & vero auro ſtratum ſolium & ſeculum eius longius latiuſque, quam tempore Salomonis : quo in plateis argentum & aurum abſque omni chymica arte & lapide Philoſophico inſtar lapidum, conſpiciebatur, & Solium Salomonis auro tantum ſtratum erat; contemtibili exiſtente argento. At ſub Dauide longe præſtantiora auro ſecula erant: dum ſolemnis illa promiſſio de Chriſto per Nathanem Prophetam, Dauidi repetita fuit, & rex ipſe tam illuſtris DEI propheta tam illuſtribus propheтiis de CHRISTO extitit: adeo vt ſeculum Salomonis auro argentoque abundans, quod apud nullas alias gentes conſpectum eſt, & ſtupendum illud templi regiæque Salomonis ædificium, auro vbique nitens reſpectu Dauidici ſeculi, & ædificii iſtius ſpiritualis, lutea omnia pene fuerint: imo ſapientia Salomonis, qua omnes mundi populos ſuperauit, reſpectu Dauidicæ, terrenum quiddam ſapiebat. Fuit aureum ſeculum in reformationibus Eccleſiæ Iſraeliticæ ſub Aſſa, Ioſaphate, Ezechia, Ioſia regibus Iudæ : excitatis à DEO Prophetis, qui CHRISTVM venturum ad viuum depinxerunt. Fuit aureum ſeculum in ipſa captiuitate Babylonica : in qua populus DEI per Prophetas verbo DEI deducebatur ad ſuſpirandum ad veram terram promiſſam & nouam Hieroſolymam cœleſtem ; non ad quærenda hic aurea ſecula : vti certo oraculo DEI Ieremias edoctus, id ipſum ſcribæ ſuo Barucho capit. 45. prædixerat, & eum inſtruxerat : ne alta in terris quæreret. DEVS enim decreuit ea, quæ plantauit, euellere, & quæ exſtruxit, deſtruere; & omnia calamitati & cruci in mundo ſubiicere : quo homines, non quærendo alta in terris, hoc vnico tantum ſint contenti: vt in perpetuis mundi mutationibus & calamitatibus, quibus inprimis Eccleſia DEI ſubiecta eſt & erit, vſque ad conſummationem ſeculi, animam ſuam, fideles DEO, ad cœlos

ad cœlos adſpirando, loco prædę lucrentur. Fuit aureum ſeculum deficiente ipſo ſceptro Iudæ, & vix trunco Dauidis, ne-dum arbore apparente: cum populus Iudaicus ſub iugum Romanorum redactus eſſet, Iudæiſque Tyranni Tetrarchæ imperarent: denique exiſtentibus Epicuræis & Sadducæis: qui omnes promiſſiones de venturo Meſſia deridebant: id quod typus quoque fuit vltimi CHRISTI aduentus. In hac, inquam, humano iudicio deſperata pene Iudæorum ſalute, aurea ſecula erant Zachariæ, Eliſabethæ, Annæ, prophetiſſæ, Simeoni; vti ex pſalmis eorum imas quodammodo medullas hominis ſpiritualis penetrantibus, & ad gaudium in Spiritu Sancto, aureaque vera ſecula deducentibus, facile cuiuis fideli apparet: cui verbum CHRISTI eſt bonus odor vitæ ad vitam. Fuit vere aureum ſeculum CHRISTO vero DEO in carne manifeſtato: cui Auguſtus Cæſar cunas præparabat; & nato exercitus angelici cantabant; magi aurum deferebant: qui gentibus prædicatus eſt: qui triumphauit in cruce, deleto chirographo obligatorio debiti noſtri, quod iure hæreditario per primos noſtros parentes ad nos peruenit; & nobis ad ſoluendum impoſſibile fuit. Fuit aureum ſeculum, illa nunquam aut viſa aut audita Academia Spiritus Sancti: in qua tam ſubito Apoſtoli profecere: vt omnibus linguis CHRISTVM docere, omnes morbos curare, & mortuos quoque excitare, & abſque vllo transformatorio lapide philoſophico, potuerint; exiſtente ipſis ſolo CHRISTO, lapide illo precioſo angulari, in quem nunc impingunt omnes fanatici cacochymiſtæ: qui per lapidem Philoſophicum de metamorphoſi illa, cuius ſupra memini, nugantur. Fuit aureum ſeculum durante Martyrio fidelium CHRISTI pene continuis 300. annis: vbi CHRISTVS in cordibus fidelium ſuorum, quos ad contemnenda aurea mundi ſecula, & cœleſtia expetenda animauerat, triumphauit de mundo, & omni mundi, & eorum, qui mundum ſequuntur maieſtate & potentia. Fuit aureum ſeculum, cum CHRISTVS, qui aliquando, fabri filius dictus erat, qui Iudæis offendiculum, & gentibus ſtultitia erat, iam ab Imperatoribus & regibus atque populis infinitis, in conciliis & Synodis publicis in Europa, Aſia, & Affrica, pro vero DEO & HOMINE declaratur; & vti verus DEVS colitur & adoratur: & conuincuntur verbo DEI, tum etiam auctoritate Magiſtratus feriuntur blaſphemi Arriani, & aliæ horrendæ ſectæ de perſona & officio CHRISTI; blaſphema quæque contra expreſſum verbum DEI ſpargentes. Eſt & nunc DEI gratia aureum ſeculum; exiſtente nunc CHRISTO in ſuis æque ita potente, vti antea:

Viuit adhuc Chriſtus, manet inſuperabile Verum;
Dum perit, immenſo quicquid in orbe furit.

Expectantur aurea ſecula, ſub clade Gogi & Magogi, & conuerſione Iudæorum, impleta gentium plenitudine: quæ tamen omnia cruce, quod ad externum hominem attinet, permixta erunt: interno homine in Spiritu Sancto, gaudio ineffabili ad aurea cœleſtia ſecula adſpirante. Erit aureũ ſeculum etiam ſub vltima mundi ἀπιςίᾳ, & horrendis tremendiſq; ſignis præcedentibus, ante vltimum Chriſti aduentum: imo exiſtentibus ipſis tenebris: in quibus tamen, vti olim populo DEI in Ægypto, ita & hic lux DEI extrinſecus & intrinſecus lucebit: adeo vt Chriſtus, vbi hæc ſigna ab eius fidelibus conſpecta fuerint, eos animaturus ſit: non ad contriſtandum, multo minus deſperandum: ſed ad attollẽda capita ſua ad veram illam κατάςασιν, id eſt, rerum omnium inſtaurationem, quæ per cœleſtem alchymiam DEI, purgata terra cœloque, fiet: vnde vere aurea ſecula ęternum datura ſequentur; verus lapis Philoſophicus à Daniele cap. 2. prædictus,
v. 45 contritis mundi regnis, & ſeparato puro ab impuro, in ſuo cœleſti regno apparebit: eritque vnus paſtor & vnum ouile.

In ſumma, concluſurus illa omnia, quæ in hac opella mea ex verbo DEI
Col. 3. 3. 4 adſerui, adſero cum Apoſtolo: vitam noſtram nunc abſconditam eſſe cum Chriſto in DEO. Cum vero CHRISTVS VITA ILLA NOSTRA patefactus fuerit: tum & nos cum eo glorioſos comparituros; & æternum duratura aurea ſecula habituros eſſe.

Cum hanc opellam circuli mei iamiam typographo mittendam decreuiſſem: peruenit in manus meas tractatus quidam, cui titulus eſt; Secretioris Philoſophiæ conſideratio breuis à Philippo à Gabella Philoſophiæ ſtudioſo conſcripta, & nunc primum vna cum confeſſione Fraternitatis Roſeæ Crucis, Caſſellis excuſa à Guilhelmo Weſſelio Illuſtriſſimi Principis Typographo; Anno poſt natum Chriſtum *1615.* Hac conſpecta dici non poteſt; quantum me inceſſerit deſiderium legendi iſtius tractatus, & inprimis confeſſionis illius ſociorum. Equidem quod ad Phyſica eorum attinet: fateor me non ſine admiratione legiſſe, qualiter auctor tractatus iſtius, de myſteriis naturæ & erudite & myſtice & pie diſſerat; & quam pulcherrima precatione eundem tractatum ſuum concludat. Quam ſane precationem hic de verbo ad verbum adiungere non alienum abs re duxi.

» O æterne, immutabilis & infinite DEVS, qui vere ex te ipſo es, à quo alia
» omnia, aliunde nihil: qui bonus es ſine qualitate, magnus ſine quantitate, æ-
» ternus ſine tẽpore, omnipræſens ſine loco, Qui es vnica virtus, vnica perfe-
» ctio, quæ perfectiones omnes vnice complectitur, & res ſingulas longe late-
» que vltra ſummum, qui nobis videtur, perfectionis gradum poſſidet. Quam
» certe in contemplationem vbi diutiſſime incubuerimus, vnum hoc forte
Philoſophia. fuerimus adepti, vt ignorantiæ, hac in parte noſtræ non ſimus ignari: Ne i-
» gitur, dũ per auia te quærimus, O DEVS, nos ipſos perdamus: Da ex paterna

& in-

& infinita bonitate & misericordia tua, vt tuam gloriam & maiestatem potius amando, colendo, admirando, adorandoq; , aliquo saltem modo inueniamus, teq; per & propter vnigenitũ filium tuum Dominum nostrum Iesum Christum nobis obuium amplectamur & possideamus. "

Quod vt pro tuo erga nos gratuito amore, qui vere optimus & maximus es DEVS, per Spiritum tuum Sanctum faxis, votis & gemitibus quam possumus ardentissimis à te petimus & rogamus. Tibi vni & trino, viuo & vero DEO, sit laus & honor, in omnem seculorum omnium æternitatem. Amen.

Sed accedo ad confessionem, quæ in fine tractatus adiuncta est, & diuiditur in 14. capita.

In primo capite aiunt: se ab omni hæresi esse alienos, & in rempublicam nullius mali tentaminis suspectos dici posse: vt qui Mahometis & Papæ contra IESVM nostrum (ita enim verba sonant) blasphemias detestentur, & pro Capite imperii Christiani preces fundant, & arcana sua atque ingens auri pondus illi deferant. In secundo capite disserunt de Philosophiæ emendatione, quam propemodum iam animam quasi agentem, curandam & veræ sanitati restituendam esse aiunt. In quarto capite Patrem suum Christianum & doctrinam suam hisce verbis extollunt:

De priore ergo membro sic iudicamus: tantas esse Patris nostri Christiani, de omnibus iis, quæ à creato Mundo ab ingenio humano, siue diuina reuelatione, siue Angelorum, Spirituumue ministerio, siue mentis sagacitate, siue diutinæ obseruationis experientia inuenta, expolita, atque propagata sunt, meditationes: vt ex iis vnis, etiamsi à DEO omnipotente vniuersæ rei literariæ interitus immitteretur, noua scientiarum fundamenta iacere, nouamq; veritatis arcem, exstruere posteritas possit: quod fortassis facilius foret, quam relicta tam informi structura, hinc aream dilatare, illinc lucem conclauibus immittere, ianuas, scalas, & reliqua, quæ intentionem nostram repræsentant, immutare. Qui itaque sordeant nobis tanta; si Nobis tantum hæc scire, & non potius seculi sui ornamento data essent? Qui non libenter in vna veritate, quam per tot anfractus, tot labyrinthos quærunt Mortales libenter acquiesceremus, si Candelabrũ sextum nobis tantum lucere DEVS voluisset? Nonne satis erat nobis, nec famem, nec pauperiem, nec morbos, nec senium metuere? Nonne præclarum, sic in qualibet hora viuere, quasi à Mundo nato vixisses: quasi ad mundi interitum victurus esses? Sic viuere in loco, vt nec qui vltra Gangem habitant, suas res gestas abscondere, necqui in Peru viuunt, consilia sua celare possint? Sic legere in vno libro, vt quicquid omnes libri, qui fuerunt, sunt, prodibunt, habuerunt habent atque habituri sunt, legas, intelligas, retineas? sic canere aut psallere, vt pro saxis gemmas, pro animalibus spiritus attrahas, pro Plutone, potentissimos Imperii

" terreni Principes demulceas? O mortales, aliud est consilium DEI, & commoditas vestra, cui decretum Fraternitatis nostræ numerum hoc Fraternitatis tempore augere atque multiplicare : id quod ea alacritate in nos recipimus, quali ad tantos thesauros nullo nostro merito imo spe nulla, aut expectatione, admissi sumus; ea fide exsecuturi sumus, vt ne liberorũ quidem (quosiam quidem è fratribus, quibusdam habemus) commiseratio nos tangat: cum sciamus hæc inexpectata bona nec hæreditaria esse, nec promiscue conferenda.

Hæc qualia sint non assequor. Etenim per cognitionem mysteriorum naturæ & nouas quasdam reuelationes posse illos, etiamsi res omnis literaria interiret (vbi & Sacra Biblia ab illis intelligi puto) noua scientiarum fundamenta iacere: nouamque veritatis arcem exstruere: eo quidem contra immotam DEI veritatem in verbo DEI reuelatam pugnant, teste CHRISTO, qui cœlum, inquit, & terram interitura aut mutationem passura, sed verbum DEI in æternum duraturum esse. Et Sanctus Paulus ait, nullum aliud fundamentum poni posse, præter id quod iam ab illo positum est, quod est DEVS ille in carne manifestatus: qui nobis factus est à DEO Patre Sapientia, redemtio, iustificatio & sanctificatio, & in quo omnes thesauri cognitionis & sapientiæ absconditi sunt. Ob quam supereminentem cognitionem CHRISTI omnia pro stercoribus ducit: adeo vt illi mundus crucifixus sit, & ipse mundo. Quod si quis, inquit idem Apostolus, aliud Euangelium euangelizauerit, etiamsi esset angelus è cœlo, eum esse anathematizandum. Si vero de Philosophicis libris hæc scribunt, non est quod cum illis contendam: siquidem quosdam ex illis mysteriorum naturæ peritiores esse existimo, quam priscos Philosophos. Sed hominem mortalem ad tantam perfectionem, quam illi, hoc capite quarto, sibi tribuunt, arte ipsorum perduci posse, ipsis fratribus Roseæ Crucis iudicandum permitto: nimirum, an hæc in hominem mortalem in terris cadere queant; ne famem, morbum, senium metuat: qualibet hora sic viuat: acsi à mundo nato vixisset, & vsque ad mundi interitum victurus esset: vt sciat semper de omnibus rebus, quæ in vniuerso mundo, etiam in remotissimis locis: ne ipsum cælentur res absconditæ & consilia arcana: vt in vno libro legat, quicquid omnes libri hactenus docuerunt, nunc docent, & docturi sunt: vtque omnia intelligat, retineat? An non hæc solius DEI propria sunt, omniscium & scrutatorem arcanorum & hominum consiliorum esse? Ideo hæc illis & omnibus orthodoxis diiudicanda relinquo. Quod si mentem ipsorum in illo capite quarto non assequor, cupio ab illis declarationem; sin vero res ita sese habet, prout ego illam intelligo, peto ab iisdem emendationem. Ac quod de noua lingua sibi erigenda capite nono promittunt, & linguam latinam, tanquam redolentem confusionem Babylonicam odiosam reddere student: nescio, quo hæc ten-

Matt. 24.35
1. Cor. 3. 11.
1 Tim. 3. 16.
1. Cor. 1. 30.
2. Coloss. 3. 3
Phil. 3. 8.
Gal. 1. 9.

tendant; nisi eo, quod capite quarto affirmant: Si omnis res literaria interiret, eos ex sua scientia noua fundamenta, & nouam arcis veritatem exstruere posse. Vnde tacite vituperare videntur: quicquid Ecclesia Christiana de operibus DEI & aeterna vita in CHRISTO promissa hac vna lingua vere diuinitus data inter se collocuta est. Nam post confusionem linguarum in ædificāda superba Babylone hoc summum DEI donum ex inenarrabili DEI bonitate datum est Ecclesiæ Catholicæ vniuersali: vt, licet sint linguis inter se populi differentes: tamen hac latina inter se colloqui queant. Ac cum tam præclara & admirabilia magnorum virorum, monumenta extent: si dogma hoc admittendum esset: linguam latinam repræsentare confusionem Babylonicam in Bibliis; persuaderetur hominibus: quod & scripta ipsorum eandem simul redoleant: atq; ita explosis latinis scriptis & Græcis, non noua veritatis, sed erroris fundamenta iacerentur. Verum hoc impossibile est, nō modo hominibus, sed ne omnibus quidem diabolis efficere: vt intereant tam illustres testes operum DEI in Ecclesia eius gestorum. Quin imo, vsq; ad mundi consummationē scripta illa latina durabunt: & etiam si Iudæi, cōpleta gentium plenitudine, sub conuersione sua Christum aliquando profiteantur: amabunt tamen, quæ in lingua Græca & Latina prodiere: sicut nos amamus vetus testamentum, lingua Hebraica conscriptum. Quare videant ne noua fundamenta quærendo, nouasq; veritatis arces exstruendo illidant in lapidem illum Angularem CHRISTVM, & in carceres errorum ruant. Sic enim naturæ mysteria inquirere & scrutari decet: ne in id prolabamur, quod Apostolus inquit: volentes esse sapientes, stulti facti sunt in raciocinationibus suis. Quæ sane omnia à me bono animo & in spiritu mansuetudinis dicuntur: non quod condemnare eos velim, sed quod declarationem ab illis expetam. Etenim nonne hoc pie & vere ab authore huius tractatus dicitur ca. 10. Biblia sacra debere esse omnibus Regulam vitæ, omnium studiorum summam, Mundique vniuersi compendium: & à Mundi origine non fuisse maius, admirabilius, salubrius hominibus datum, quam sacrorum Bibliorum opus: quod qui habeat, felicem esse, qui legat feliciorem, qui edificat felicissimum, qui intelligat & seruet DEO simillimum. Hæc vere dicta quis non collaudabit? modo ex iisdem Bibliis aperte de articulis fidei Christianæ loquantur; & non nitantur educere vti insinuant, ex nouis fundamentis nouam veritatis arcem. Etenim vti supra dixi, sicut admiror scripta ipsorum Physica, licet adhuc incognitis characteribus inuoluta: & sicut pulcherrimam illam precationem auctoris, huius tractatus collaudo: ita non possum non condolere illis: quod non modo confessionem suam adhuc sub velamine quodam tegunt, vt nō constet, cum quibusnam ecclesiis reformatis sentiant: sed & alia in vulgus palam spargere non verentur: quæ & expres-

se, immotæ veritati diuinæ, in verbo DEI patefactæ repugnant, & in mortales homines non cadunt. Ipsorum ergo iam erit officii: quomodo hæc atq; alia intelligant, declarare, & cōfessionem suã dilucidiorẽ edere. Nam licet Triuni DEI mentionem faciant; CHRISTVM Dominum nostrum agnoscant; Spiritu sancto se regi petant: tamen hæc in isto fallaci & lubrico seculo non sufficiunt ad orthodoxam confessionem. Idem enim confiteri & Arriani & Sociniani possunt, relinquendo sibi suam interpretationẽ. Igitur si fratres R. C. à suspicione Arrianismi & Socinianismi & aliorum Enthusiasmorum, noua deliria per suas nouas reuelationes spargentium, liberi esse volunt: clarius in posterum de sacrosancta Trinitate vero illo DEO, essentia vno, sed tribus personis distincto: item de CHRISTO vero DEO & homine (qui mortuus est propter peccata nostra & resurrexit propter iustificationem nostri: qui λύτρον pro nobis soluit: & chirographum illud obligatorium, quod nō eramus soluēdo, annullauit, & pro nobis ipsemet soluit: atq; tum iustitiæ DEI, tum pro peccatis nostris satisfecit: & in quo, iustificati fide, pacem habemus) loquantur. Declarent quoque quid per Spiritum Sanctum intelligant: an eum agnoscant tertiam personam diuinitatis; atque ita verum cum Patre & Filio DEVM: cui mentiri non est hominibus mentiri, teste S. Petro in Actis Apostolorum, sed DEO: an vero cum Arrianis, Mahumetanis & Socinianis potentiam & efficaciam DEI tantum esse, intelligant. Quæ sane ideo vrgeo; quod hæc, in quibus omnes Euangelicæ Ecclesiæ consentiunt, ne verbo quidem attingant; ac vt alii fideles CHRISTO eiusque Euangelio, qui cum illis conuersantur, in hisce rebus genuinam, apertam, & categoricam responsionem ab illis vrgeant, vnice obtestor. Etenim probandi sunt Spiritus, hortante Sancto Ioanne, an sint ex DEO: & probati amandi & consociandi vinculo charitatis & mutuæ ædificationis ad propagandam gloriam DEI, & salutem omnium euangelio CHRISTI adhærentium.

Cap. 5 4 (margin, beside "ita verum cum Patre…")

1. ep. 4. 1. (margin, beside "sint ex DEO…")

De vniuersali sua medicina, cap. vltimo, confessionis suæ ita scribunt: " Sed cogitate, inquiunt, etsi Medicina est, quæ omnes pariter morbos depel- " lit: illos tamen, quos DEVS morbis exercere, castigare & punire vult, ad hanc " occasionem non immitti: ita, etsi mundum vniuersum ditare, erudire, & ab " infinitis incommodis liberare possimus: nemini tamen, nisi id DEVS annuat, " innotescimus: tantumque abest, vt inuito DEO quisquam bonis nostris fruatur: vt vitam potius quærendo perditurus, quam inueniendo felicitatem assecuturus sit. Quæ certe similia esse videntur prognosticis & calendariis mathematicorum nostri seculi, diuersas anni temperies & mundi mutationes prædicentium: qui, vt sese excusatos reddant: si euentus prædictionib. eorum non sit responsurus: semper addunt limitationem: nisi hoc vel illo interueniente planeta, effectus impediatur aut omnino immutetur. Sic & hi medi-

medicinam suam aiunt istis tantum profuturam, effecturamque, ne toto vitæ suæ tempore, vti cap. quarto asserunt, famem, pauperiem, morbum & senium metuant: quibus DEVS hoc ex singulari sua gratia per medicinam eorum dare voluerit: non autem iis, quos velit per morbos exercere, castigare & punire. Sed neque hoc patitur veritas verbi DEI: vt sit futura talis medicina, per quam veluti singulari priuilegio DEI talia dona, in hac militante ecclesia, & existentibus mortalibus corporibus nostris, in homines aliquos, conferantur. Quinimo, degenerante etiam iam ipsa rerum omnium natura, & ad suam restaurationem atque filiorum DEI reuelationem quasi parturiente; exterior ille homo noster corrumpetur de die in diem: quo interior ille renouetur: & vt onerati sub hoc terrestri tabernaculo suspiremus ad cœleste illud tabernaculum non manufactum: nec terrestria sed superna quæramus, contendendo ad nostrum cœleste πολίτευμα & ad palmam supernæ vocationis, quæ est in CHRISTO IESV. Ibi erunt vera aurea secula: ibi non erit senium, non morbi, non fames: nec Sol feriet capita nostra: cum DEVS ille in CHRISTO noster ex æterno sacrosanctæ Trinitatis decreto per lapidem illum hyperphysicum Mundi Regna contriturum à Daniele prædictum, renouabit in suo Alembico igneo cœlum terramque. Renouabit & omnes electos suos, vt sint conformes futuri (quamuis suis quisque gradibus instar stellarum) glorioso corpori CHRISTI tanquam capiti suo. Quo vt omnes credentes in CHRISTVM Theantropon & Euangelio eius adhærentes perducamur: neq; sapiamus vltra id quod sapere oportet, sed ad sobrietatem, φρονεῖν εἰς τὸ σωφρονεῖν, assidue nobis DEVS exorãdus est. Ac cum hi fratres Roseæ Crucis, in supra allegata precatione id sibi a DEO expetant: vt, vbi quam diutissime contemplationi rerum diuinarum & mysteriorum naturæ incubuerint, hoc consequantur: ne ignorantiæ suæ sint ignari: & ne dum per auia DEVM quærant, se ipsos perdant: sed vt vnigenitum Filium eius Dominum nostrum IESVM CHRISTVM obuium sibi amplectantur & possideant: det hoc illis DEVS pro sua misericordia, quod optant: ne per auia loca DEVM quærẽdo à vera illa & vnica via, veritate & vita, nempe CHRISTO & verbo eius patefacto aberrent: sed vt obuium sibi factum CHRISTVM, qui nunc tanquã SOL IVSTITIÆ in orthodoxis suis organis clarissime lucet, amplectantur: veram communionem cum illis ineant, doctrinam suam ab illis probari patiantur: ita vt præcipiente S. Paulo: Spiritus Prophetarum Prophetis sint subiecti. Quod nisi quam citissime fecerint: reddent non modo se suspectos absurdissimarum & nouarum hæresiũ: quas etiam Satan, transformando se in angelum lucis, spargere potest: sed etiam contemtibiles & exosos sese omnibus facient: quos non modo verbum DEI confundet: sed ipsa rerum natura, cuius mysteria scrutantur, erroris, hypocriseos, seductionis arguet.

Isa.4.

c.2.5.

1.Cor.14.29.

Verum meliora ego de fratribus hiſce Roſeæ crucis, tum ob illam precationem tractatui huic adiunctam, tum ob multa præclare, erudite, myſtice & pie, ibidem dicta, mihi promitto. Cumque id bono animo & ex charitate Chriſtiana, zeloq; Dei à me prolatum ſit: ſpero illos quoque idipſum in bonam partem interpretaturos; ſuam vero confeſſionem declaraturos.

DE

DE TEMPESTATIBVS MVNDI.

CVM DEVS OMNIA IN HOC MVNDO MVtationibus subiecerit: quo ad eum in Christo & per Christum, tanquam ad illud immutabile bonum eo ardentius aspiremus:

Quæritur;


QVIS MVNDI STATVS ET ECCLESIÆ, PRÆteritusne, an præsens, an ex prædictionibus DEI adhuc instans, alius alii præferendus sit?

Et respondetur;

SIQVIDEM OMNIA CONSILIO ET GLOriæ DEI, secundum æternam eius prouidentiam inseruiant: ea quoque omnia diligentibus Christum, qui est in istis tempestatibus nauclerus suæ nauiculæ, operari in bonum.


Hanc figuram & picturam declarabit totus Psalmus 46.

Tempestates mundi.



Aura tonet, sonet unda, minis fremat orbis & orcus,
Tu tamen insertos nos tibi CHRISTE *geris.*
Viuis enim CHRISTE, *& manet insuperabile verum,*
Dum perit immensa quidquid in orbe furit.

PRÆ-



PRÆFATIO WENCESLAI BVDOWECZ.

SIcut horrenda tempestate exorta, tonante cœlo, fulmine & grandine segetes, animalia hominesque feriente; turbine ventorum syluas & ædificia euertente, vniuersumque mare commouente; multis naufragio pereuntibus, cœlo denique ipsoque Sole caliginosissimis & tenebrosis nubibus obducto; sua tamen semper Soli constat serenitas: nec Sol sed solum, & quæ in solo sunt, patiuntur: nec tamen omnia & singula tempestate ista pereunt: sic in mundi & ecclesiæ mutationibus, quæ iudicio humano, casu agitari & volui, & in iis quasi Ecclesia DEI interitura videtur: tamen cum apud DEVM nulla sit obumbratio, teste Iacobo, ei quoque sua semper constet serenitas: licet homines carnales ob caliginem mentis suæ non modo non eam contemplari, sed ne quidem recte de ea cogitare possint. Certe licet nauicula ecclesiæ DEI in tantis tempestatibus, simulante ipso Christo quandoque somnum, videatur ab ipsis Hostibus opprimi, à grandine & fulminibus conquassari, à ventis euerti, & à fluctibus mergi: tamen cum CHRISTVS, custos ille Israelis non dormiat neque dormitet; sed fidelis & peritus sit nauis suæ nauclerus, qui nauiculam suam, iamiam quasi humano iudicio submergendam, temone verbi sui & magnete suo & velis Spiritus Sancti, regit & dirigit: ei in tenebris lucet; eam anchora fidei subleuat, spe viua alit; ideo eam quoque non obstantibus istis omnibus, toto mundo ipsoque Satana & omnibus eius instrumentis crepantibus victricem tandem ad portum vitæ æternæ, vbi primo hic consilio DEI inseruierit, perducet. Nam sicut Ecclesia cum CHRISTO sæpe hic in mundo crucifigitur, & quasi sepelitur: ita cum eodem quoque consurgit. Etenim cum DEVS hic in terris cum electis suis sæpe sub larua crucis comœdiam gratiæ & misericordiæ suæ peragit suam: & cum reprobis sub larua lucis & triumphi mundi tragœdiam iustorum suorum iudiciorum exercet: subsecuturo tandem vtriusque & comœdiæ & Tragœdiæ sub vltimum CHRISTI aduentum, alio euentu; cum scilicet detracta vtraque larua, & mortali Comœdia Tragœdiaque finita, noua immortalis & æternum duratura scena vtriusque prodibit; electis quidem ad æternam gloriam; reprobis vero ad ignominiam æternam. Quare fideliter in Comœdia DEI, fidelibus CHRISTI permanendum: siquidem vita nostra, teste Apostolo, nunc abscondita est cum CHRISTO in DEO: verum quan-

Marginal notes: c.1.17 (beside "ei quoque sua sem-"); Col. 3.3. (beside "siquidem vita nostra")

do CHRISTVS, VITA ILLA NOSTRA, patefactus fuerit: tum & nos patefiemus cum illo, gloriosi. Ac cum id ipsum in Horologio meo Lunari & Solari, in istis diuersis mundi & Ecclesiæ mutationibus abunde demonstratum sit: omnia ista non casu, sed DEI prouidentia geri, regi, & ad eius gloriam & salutem fidelium CHRISTI dirigi: perplacet mihi, quod D. Dauid Chytræus, piæ memoriæ, vir doctissimus cum quo sæpe literas Constantinopoli commutaueram, de prouidentia DEI in tractatu suo; cui titulus est de vita & morte: qui Witebergæ Anno *1590.* recusus est, his verbis scribit fol. *212.* Memini præceptorem nostrum Melanchthonem, de inextricabili illa quæstione fati & contingentiæ, sæpe sui præceptoris Francisci Stadini Doctoris Philosophiæ in Schola Tubingensi sermonem recitare: Quod vtrumque se scire dixerat: DEVM omnia præscire & determinare, & tamen esse contingentiam: sed quomodo hæc concilianda essent, vt cuilibet contentioso satisfieret, non prorsus perspicere. Quare dandum, DEVM aliquid posse, quæ nos inuestigare non possumus. *Hactenus Chytræus.* Cæterum vt ad meum propositum redeam, qui status mundi & Ecclesiæ, præsens ne, an præteritus, vel subsequens sit alius alii præferendus: iudicaui pio Lectori non iniucundum, nec inutile futurum: si de ea quæstione breuissimas theses Doctissimi & Reuerendissimi viri D. Iohannis Iacobi Grynæi hic adiungerem: quæ ita Basileæ impressæ ad verbum sonant.

Philippi Melanchthonis de prouidentia DEI.

DE PRÆSENTI STATV TVM TOtius humani generis, tum in primis veræ Ecclesiæ quæ peregre est.

I. Quæstio.

HOc vero illud est, quod (inualescentibus magnis DEI iudiciis, gladio, fame, peste,) præcipue quæritur: Meliusne, quam nunc in tanta ἀκαταστασίᾳ habent, res generis humani, & Ecclesiæ habere possint, an vero non?

Quæstio est de vtriusque optimo statu: qui nobis erit definiendus & discernendus.

Quando mundus opponitur Ecclesiæ, tum vero complectitur in multo maximam generis humani partem. Matth. *7. 13.* & *22. 14.*

Optimus status est, qui respondet diuinæ prouidentiæ, iustitiæ, gratiæ: secundum Domini prædictiones, promissiones, comminationes, & veros fines bo-

nes bonorum & malorum: qui monent, Piis quidem etiam in aduersis bene esse: impiis vero etiam in secundis male esse.

II.

RESPONSIO.

QVandoquidem præsens status, tum mundi, tum Ecclesiæ, respondet omnium moderatrici, prouidentiæ, quæ illum sinit mensuram suam implere, hanc in mediis tentationibus sanctificat. Melius enim vero, quam habent non possunt habere. Psal. *133*.4.*10*. Rom. 8.28. Psal. *69*.*23*.

Existimamus enim, hæc dubia non esse. Mundum totum iacere in malo. *1*. Ioan. 5. *19*. Posthanc vitam deteriorem mundi, meliorem Ecclesiæ conditionem fore. Isa. *66*.*23*.24. Dan. *12*. 3. Matth. *13*.*43*. *2*. Petr. 3.3. &c.

Præsentem tamen vtriusque statum, priori & posteriori oppositum, & DEI iudiciis congruentem suam habere commendationem.

III.

Sed enim, vt τὰ ἀντιθετικὰ ἢ ἀναγωγὴ non prætereamus, sic argumentamur.

Voluntatis diuinæ, quæ immutabiliter bona est, omnes effectus boni sunt. Matth. *19* *17*. Iacob. *1*.*17*. Et recte dixit Thomas Aquinas: DEVS, cui potentia passiua non competit, non mutatur. Atqui tam reiectio vasorum iræ, effectus est voluntatis diuinæ, quam electio, quæ est fons vasorum gratiæ & honoris Rom. *9*.22.23. Et notum est, quod habetur eiusdem capitis vers. 18. Itaque cuius vult, miseretur: quem autem vult, indurat. Item & dic terræ Israel: hic dixit Iehouah; ecce VENTVRVS SVM ad te, & educam gladium meum è vagina sua, & excidam ex te iustum & impium. Ezech. *21*. 3.4.5.

Sunt igitur boni effectus, reiectio reproborum & electio cæterorum. Bene itaque habet, cum iudicium DEI incipit ab eius domo. *1*. Pet. *4*.*17*. Et αὐτοκατάκριτοι seu suopte ipsorum iudicio damnati sunt, quotquot pro duritia cordis sui, quod resipiscere nescit, thesaurizent sibi ipsis iram in diem iræ & patefactionis iusti iudicii DEI. Rom. 2.*5*. Tit. 3.*10*.*11*.

Proinde vt reprobi, quia sunt arbores putridæ, non possunt bonos fructus ferre: sic electi, quia sunt bonæ arbores, non possunt malos fructus ferre. Matth. *7*.*18*.

Ac electio hisce fons est, vt fidei. Actor. 13.48. Tit. 1.1. sic etiam bonorum operum. Eph. 1.4. & 2.10.

IV.

Iam vero vt ad ea accedamus, quæ suo bono militans experitur Ecclesia, sic raciocinamur.

Optimus est etiam militantis Ecclesiæ status, cum ea videt, se in communionem CHRISTI efficaciter vocatam, & iustificari & sanctificari. Rom. 8. 29.30. Se Spiritu Sancto obsignari intus in diem redemtionis suæ. Eph. 4.30. ac fide, spe & charitate ita instrui, vt fructuum indicio dignoscantur, 1. Corinth. 13.13. foris per Sacramenta obsignari: Matt. 28.30. Se deniq; non solum à carne, mundo & Satana obsignari: sed etiam à scoriis apostatarum & hypocritarum purgari.

Atqui per Domini nostri Iesu Christi gratiam, reformatæ nostræ Ecclesiæ experiuntur illam gratiam: vt quotquot ex DEO nati sunt, agnoscunt; cæteri vel negant furenter, vel cum Epicureis rident.

Optimus igitur est hic reformatarum Ecclesiarum status, congruens vaticiniis de tempore vltimæ DEI patientiæ. Matth. 25. 2. Timoth. 3.1. & iis, quæ tum 2. Pet. 3. tum in Apocalypsi Ioannis Apostoli, habentur.

V.

Quæ sunt τεκμήρια boni, quo Ecclesiæ reformatæ per DEI *gratiam fruuntur?*

HÆc inter alia, quæ tamen soli Electi agnoscunt.

1. Quod experiuntur Caput dare solum corpori. Eph. 5.23.

2. Quod vident D. Iesum dominari in medio inimicorum suorum. Psal. 110 2.

3. Quod intelligunt, rectas esse vias Iehouę, in quibus iusti ambulant, prę-uaricatores corruunt. Oseæ 14.10.

4. Quod eis datur animaduertere, quid præstet Dominus Iesus Christus suis omnibus; tum quid contra moliatur Anti Christus suis: Matth 25.20. & 2. Thess. 2.7.8.9. tum quæ sunt νοήματα, machinationes satanæ, 2. Corinth. 2. 11. & τὰ βάθη profunditates eius. Apoc. 2.3.4.

5. Quod eiusdem, nec cum Romano Catholicis, nec etiam cum falsis fratribus & ἑτεροδιδασκάλοις potest conuenire.

6. Quod subductis quibusdā luminibus Ecclesiarum & scholarū, prout Domino

mino est visum, alia substituuntur: & stellæ istæ sunt in manu dextera Domini nostri Iesu Christi. Apoc. *1.16.*
7. Quod etiam eorum, qui bonam militant militiam, fidemque seruant, desideriis quibusdam non satisfacit. 2. Corinth, *12.*7.8. Actor. *16.6.*7.
8. Quod si sentiunt cœlitus tam palam fieri iram DEI aduersus omnem impietatem, Rom. *1.18.* quam rideri eos, qui conceperunt iniquitatem; prægnantes sunt dolore, & pariunt rem inanem. Psal. 2.4. & 7.*15*
9. Quod ciues earum canunt:

Viribus humanis non est Ecclesia tuta;
Regum præsidiis orphana mœsta iacet.

10. Quod Ecclesiis reformatis datur: vt sint instar illius rubi, quem Moyses conspexit ardentem quidem, sed qui non absumeretur. Exod. 3.2
11. Quod spectatrices sunt iudiciorum DEI & tragici interitus hostium suorum.
12. Quod lætantur, Electos seduci non posse Matth. 24.*24.*
13. Quod martyrum completur numerus. Apocal. *6.11*
14. Quod vident impleri prædictiones, quæ habentur: 2. Tim. 3.1.2.3.2. Pet. 3. & seqq.

VI.

Quæ sint indicia boni, quod in Politiis est reliquum.

1. Quod diuinitus seruatur ordo, qui est inter superiores & inferiores, licet neutri exacte faciant officium in θυμομαχίᾳ.
2. Quod quidam gubernatores ad veram religionem, tanquam ad finem architectonicum, sua referunt consilia.
3. Quod formæ πολιτειῶν Monarchia, Aristocratia, Democratia, alibi magis, alibi minus seruiunt iudiciis, legibus, disciplinæ, præsidiis generis humani.
4. Quod bella, si non pace, certe induciis sedantur: vt sese pii gubernatores possint colligere.
5. Quod sanctis precibus iuuantur boni magistratus: Tyranni subuertuntur. Cætera mitte loqui.

VII.

Quæ sunt indicia boni, quod in scholis & Academiis super est?

1. Quod earum quædam sunt πανδευτήρια τῆς θεογνωσίας.

2. Quod diuinitus excitantur δαδȣχοικοὶ φωστῆρες in Theologia, in Iure, in Medicina, in Philosophia, in Philologia, in Historia.

3. Quod DEI dono copia quædam est ingeniorum tam mediocrium, quam excellentium. Opus autem est & literariæ Reipublicæ non solum architectis; sed etiam fabris.

4. Quod docentes quidam ingenia excitant, alunt, acuunt, vt ministri Spiritus.

5. Quod discentium quidam, non properando tumultuantur in studiis, sed vt doctiores euadant, delectum adhibent; vt ex multis optima seligant: & ea prudenter referant, secundum DEI gloriam, ad suam aliorumque salutem.

6. Quod quædam Academiæ æmularum θυμομαχίας moderate ferunt, & veritatis conscientia contentæ, iniurias, quibus afficiuntur, condonant publicæ tranquillitati.

7. Quod Liciniis quibusdam, Academiarum & doctrinæ osoribus, Mæcenates quidam fortiter resistunt.

8. Quod agrestibus, sordidis, seruilibusque ingeniis, DEVS ipse ignominiæ notam inurit.

Cætera velim alios, iudicio superiores annotare.

Hactenus Grynæus.

Quæso, pius & fidelis CHRISTI miles, fundere volens pias, ardentes & assiduas cum gratiarum actione & gaudio Spiritus Sancti preces, habeat sibi commendatissima, sanctæ animæ Ottonis Casmanni scripta: in quibus tam ardentes ad DEVM preces: tam insignia piæ mentis cum DEO soliloquia extant: vt meo iudicio & priscos & neotericos Patres quod supra monui in hoc genere superare videatur. Legantur libelli eius,

1. *Lucta peccatoris resipiscentis.*
2. *Schola tentationum.*
3. *Mundus immundus.*
4. *Pulchritudo pulcherrima Christus.*
5. *Christianismi integritas.*
6. *Vade mecum. Quibus adde,*
7. *Spinæi de animi tranquillitate libellos.*

Qui sane diuini, Casmanni tractatus cum sint didascalici, non polemici, id est neminem offendentes: sed omnes, qui in verum illum DEVM Trinũ credunt,

credunt, ædificantes: certe non absque summo fructu, vti ab Euangelicis: ita à Romano Catholicis legi debent.

Quorum mentionem hic ad ædificationem omnium ad vitam æternam in CHRISTO Theanthropo, adspirantium & contendentium pro conclusione faciendam duxi.



CIRCVLI EXICONIBVS D.T.B.

ATQVE HOSCE PICTOS CIRCVLOS IDEO huc quasi Coronidis ergo, adiungere volui: quandoquidem hæc opella mea etiam circulos & picturas continet: vt demonstrem, talibus picturis etiam magnos viros, tum ad se, tum alios oblectandos & ædificandos, vsos fuisse, & eas ad posteros transmisisse.

SIC HANC OPELLAM, QVAM CIRCVLIS incepi, iisdem etiam finio.

CHRI-

CHRISTVS SOL IVSTITIÆ, OBIE-
ctum Ecclesiæ.



Fraternis luna ut radiis aduersa refulgens,
Pleno coruscat lumine:
Sic CHRISTI oppositos spectans Ecclesia vultus,
Splendore lucet integro.

Humana in diuinis ſapientia.




Lunam internueniens ceu terræ corpus opacum
Atra inficit caligine:
Sic interueniens hominum ſapientia, purum
Eccleſiæ infuſcat iubar.

CHRISTVS in vita & in morte lucrum.




Principium in tereti quæris quicunque figura,
Principium inuenies, hic, vbi finis erit.
Sic CHRISTVM *vero quisquis reuereris amore,*
Quæ vitam hora tibi finiet, incipiet.

Cœlestis patria.




Cernis, vt hæc medium cingat teres vndique mundum
Linea, & hinc spatio distet & inde pari.
Scilicet illa refert, quos nos tegit vndique, cœlum;
Tellurem hoc punctum, quod tenet ima, notat.
Cur igitur doleas, quorsum dic, quæso, labores,
Tu, patria pepulit quem pietatis amor?
Cœlum si versum tendis, quocunque recedes,
Hinc spacio cœlum cernis & inde pari.

Vita noſtra cum CHRISTO abſcondita.



Luna velut fratri propius coniuncta, periſſe
Stultis videtur funditus;
Quæ tamen admoti ſpectat qua lumina Solis
Longe refulget clarior.
Sic periiſſe pii vulgo qui morte videntur,
Abſit periſſe dixerim;
Ipſo qui potius Chriſto propiore potiti,
Quod quæſierunt, obtinent.

IN CHRISTO SINCERE ET constanter.



Stare cubum interiti cernis quicunque figuræ:
Hinc vitæ verum discito cautus iter.
Mores illa docet teretes hic figere, iussa
Te iubet immotos in statione gradus.